



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Cornelii Hazart Societatis Iesv Theologi Discursus  
Morales In Selectiora Loca Genesis, Exodi, Levitici,  
Numerorum**

**Hazart, Cornelius**


**Antverpiæ, 1688**


[urn:nbn:de:hbz:466:1-52700](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52700)




Th. 2098.

A. II  
II.









R. P.  
CORNELII HAZART  
Societatis IESV  
THEOLOGI  
DISCURSUS MORALES  
IN SELECTIORA LOCA  
GENESIS, EXODI, LEVITICI,  
NUMERORUM.

OPUS  
CONCIONATORIBVS

In primis accommodum

CVM  
INDICE

*In quò annotantur solæ materia morales quæ facillimè quibusvis  
concionibus aptari possunt.*



*Socis*

*IESV Paderborna.*

ANTVERPIÆ,

Apud MICHAELEM KNOBBARUM sub signo S. Petri. 1688.

*Cum gratia & Privilegio.*



R. P.  
CORNELIUS HAZART  
Societas 1737  
THEOLOG  
DISCURSUS MORALES  
IN SELECTIONA LOCA  
GENESIS. EXODI LEVITICI  
NUMERORUM  
OPUS  
CONCINATIONARIIS

In prima acconnodum  
D. M.  
INDEX  
In quo numerus locorum ubi de  
concordia scripti sunt

UNIVERSITÄT  
Paderborn  
1737

## LECTOREM.

**P**Aucis te volo, *Benevole Lector*, priusquam hujus operis mei lectionem aggrediare. Scio non ignorare te tot propemodum esse Scripturam Sacram vel exponendum, vel interpretantium genera, quot liber ille divinus, non verba dumtaxat, sed etiam apices, ac reconditos potissimum sensus complectitur.

Pars eorum non minima hoc unum agit ut litteræ corticem exteriorem discutiat. Pars circumlocutionibus, quas vulgo *Paraphrases* vocant, juxta litteram, textum elucidant: Alii denique, præmissâ ipsius textus, quoad sensum, interpretatione, quasi ex divite quadam aurifodina, sensus inde vel tropologicos, vel allegoricos, vel anagogicos, vel metaphoricos, vel morales eruderant.

Huic ego, in hoc opere, postremæ viæ insisto: Non expendo (nisi fortassis admodum raro) Scripturæ Sacræ verba, nec apices; non disputo de litterali sensu verborum, ne de novo agerem quod tot doctissimi viri ante me jam pridem egere. Hoc unum potissimum ago; Selectiora quædam loca, ut sonant, adduco, tum, quasi ex prævio quodam concionis themate, varias inde veritates morales deduco, sed modo ac stylo obvio ac familiari, non longe quæsitâ, nec exquisitâ latinitate, sed vulgari: Existimo enim, sicut præstans naturæ forma fucio non eget, sic materiam excellentem per se, comptiori stylo, aut cothurnato non indigere, ne verborum elegantia plus tribui videatur, quam dictorum substantiæ.

Quapropter moraliter sermocinaturus super libros divinos, qui hoc opere continentur, malui, communem In-

*Ponendum post Titulum.*

a

ter-

terpretum viam tenere, quam sequi vestigia Poëtarum, Historicorum, aut Oratorum, quibus curæ est heroica magnorum Ducum ac Principum facta describere, & laudibus exornare: Familiaria vero, meo quidem iudicio, sermone familiari tractanda exponendaque sunt.

Habeo hac in re faventem mihi doctissimum illum Romanum Philosophum *Senecam*. Sic enim primo audio illum dicentem *Epistola 100: Fabiani Papyrii*, inquit, libros legisse te cupidissimè, scribis, sed non respondisse expectationi tuæ; compositionem ejus accusas: Mores ille, non verba composuit, & animis scripsit ista, non auribus. Oratio sollicita Philosophum non decet.

Non aliter scribit idem *Seneca Epist. 75*: Minus accuratas, inquit, tibi à me Epistolas mitti, quereris, quasi sermo meus esset si unà sederemus, & ambularemus, illaboratus & facilis: Tales esse Epistolas meas volo quæ nihil habeant accersitum nec fictum: Quid sentiam, ostendere quam loqui malo. Hæc sit propositi nostri summa, quod sentimus loquamur, quod loquimur sentiamus, multum operæ impendi verbis non oportet. Non quærit ager medicum eloquentem, sed sanantem: Non delectent verba nostra, sed prosint.

Non poterat *Seneca* ad rem nostram accommodatius loqui. Et hoc quidem te monitum volebam, *benevole Lector*, ne *Momus* aliquis, qui omnia carpit, vel *Zoilus*, qui omnibus invidet, vitio daret quod laudem meretur, vel nausearet quod infirmo aut moroso non sapit ingenio, vel ne quæret nodum in scirpo, dum operis medullâ neglectâ, etiam minimos apices carperet, si forte minus latini, aut verba, si minus exculta, aut periodos, si minus concinnæ, exploderet. Ad Grammaticos tales remitto, ut isthic scrutentur, si quid quod carpere possint, reprehendant. Nos versamur in aliis, solidas merces, non scruta divendimus.

UTERE ET FRUERE.

PRÆFATIO  
IN  
HISTORIAM PATRIARCHÆ  
IOSEPHI.



*Anticum Iosephum*, magni illius Patriarchæ *Iacobi* progeniem, & celeberrimum quondam *Aegypti* protegem, in lucem educimus. Historia est quasi præliminaris eorum quæ fusè narrantur in libro *Exodi*. Hinc enim initium cœpit filiorum *Israël* in *Aegyptum* adventus; hinc illorum durissima servitus; hinc tot tantorumque portentorum tragædia; hinc denique *exitus Israel de Aegypto*, & tot annos extractum iter *ad terram lacte & melle fluentem*.

Historia est quâ nullâ jucundiorē in totis Bibliis esse existimat *Ieremias Drexelius*, propter miros variosque eventus, è quibus tota pæne contexta est, modo enim occurrunt eventus prosperi, mox adversi, modo tristes, mox læti, modo felices, mox infelices, denique insperati, quibus necesse est hominis animum plurimum oblectari, juxta tritum illud: *varietas delectat*.

2. Affectibus plena est, unde *Benedictus Fernandus* Societatis Theologus, aperte fateretur, se numquam historiam *Iosephi* venditi legisse aut memorasse quin ubertim illi lacrymæ manarent ex oculis: Quis enim, ut alia taceam, siccis oculis intueri possit *Iosephum* ruentem in collum minoris fratris sui *Benjamini*, cumque suis lacrymis perfundentem?

3. Nescio an alia uspiam historia sit aptior omni hominum generi, summis, infimis, opulenti, egenis, nuptis, innuptis, senibus, juvenibus, viris, ac feminis. Hic documenta sua habet omnis ætas, status, conditio, ut merito *Iosephus* dici possit omnium virtutum magister.

*Philo Iudeus* doctissimus inter *Iudeos*, exemplar omnis Politicæ illū fuisse affirmat: scripsit enim *Philo* quadraginta sex libros, inter eos decimus nonus est, cui titulus: *vita viri ætivilis, Iacobi filius*,

4 DISCVRSVS MORALES IN  
Prorex *Aegyptius*, integerrimus *Iosephus*: verus Politicus, qui non  
solam *Aegyptum*, sed & orbem p[er]ne univ[er]sum ab interitu famis  
servavit incredibili prudentia, qui adversa & prospera, amara &  
dulcia, laeta & tristia, eo semper animo pertulit, ut nec in illis in-  
folesceret, nec in istis desperaret, qui & in summo principatu quem  
gessit, omnibus principibus ac magistratibus formam regiminis de-  
dit, quam summa cum laude, ac satisfactione omnium seque-  
rentur.

Denique sicut *Christus*, absolutissimum virtutum omnium fuit  
exemplar, ita in *Iosepho*, qui vera *Christi* figura fuit, & quasi apogra-  
phus, omnes virtutes eluxere, praesertim i. invincibilis patientia,  
maxima charitas, castitas admiranda, singularis constantia, hu-  
militas, mansuetudo, Dei timor &c. Ipsum jam opus aggredia-  
mur.

## PARS I.

Discursus in Historiam Iosephi.

### DISCURSUS I.

De nativitate & pueritia & adolescentia Iosephi.

**S**olet Scriptura filios Patriarchis progenitos nobis passim ita  
proponere, ut scire possimus quando aut quomodo nati sint cum  
quibusdam aliis circumstantiis. *Gen. Cap. 4.* dicit: *Adam cognovit*  
*uxorem suam Evam, quae concepit & peperit Cain, dicens: Possedi homi-*  
*nem per Deum: Rursumque peperit fratrem ejus Abel.*

*Cap. 5.* dicit: *Vixit Lamech centum octoginta duobus annis, & genuit*  
*filium, vocavitque nomen ejus Noë, dicens: Iste consolabitur nos ab operi-*  
*bus & laboribus manuum nostrarum, in terra cui maledixit Dominus.*

*Cap. 21.* dicit: *Concepit Sara & peperit filium in senectute sua, vocavit-*  
*que Abraham nomen, filii sui Isaac, & circumcidit eum octavo die.*

*Cap. 25.* Fuse narrat nativitatem *Esau & Jacob*, ex *Rebecca & Isaac*,  
cum hic esset sexaginta annorum.

Denique *Cap. 35.* cum variis circumstantiis narrat nativitatem  
*Benjamin* ex *Rachel*, quomodo illa ex partu mortua sit, & vocaverit  
puerum jam natum *Benoni*, hoc est filium doloris sui.

Sed

Sed de natiuitate *Iosephi*, quomodo, quando, & ubi natus sit, aut de eius pueritia, nulla mentio in Scriptura, hoc unum habemus, quod esset filius *Rachelis*, & *Jacob*: Capite enim 35. nihil aliud dicit Scriptura quàm: *Filii Rachel sunt Ioseph & Benjamin*; & Cap. 37. *Ha sunt generationes Iacob, Ioseph &c.* Quid putatis hic latere mysterii? existimo ego non aliud esse quam quod scripturarius noluerit illius facere mentionem, nisi cum factura esset catalogum generationum *Iacob*, in eoque ostenderet eminentem *Iosephi* virtutem supra omnes ceteros fratres.

Sic ergo Cap. 37. incipit vitam *Ioseph*. *Ha sunt generationes Iacob. Ioseph cum sedecim esset annorum, pascebat gregem cum fratribus suis; accusauitque fratres suos apud patrem crimine pessimo.*

Viden? genuerat tot filios *Iacob*, sed ubi ad generationes deuentum est, praeteritis ceteris, unus tantum *Ioseph* enumeratur, solusque quasi in scenam producit & per omnium ora vagatur: Pleni enim sunt rimarum hominum animi, idcirco profundunt quidquid exceperint. Actum ergo est si vel uni dixeris praeterquam cui debes; noli dicere: dixi optimo meo amico, hoc est, ut passim dicitur, qui est alter ego: Noli fidere, tuo enim te gladio jugulas: Nam si eum censes esse ut te, ergo ut illi aperuisti quod filere debebas, ille etiam alteri aperiet, si enim non faceret, tibi esset dissimilis.

Sic passim etiam occulta proximi crimina narrantur omnibus, praeterquam iis qui adhibere remedium possint, & quod iis deferri debebat ex charitate ut emendarent, ad omnes defertur ex nimia loquendi licentia: unus *Ioseph* est, qui crimen fratrum suorum soli aperuit patri suo: Quod autem illud crimen fuerit non explicat *Moses*, ideo putant *Rupertus*, *S. Thomas*, *Abulensis*, & alii, fuisse peccatum luxuriae contra naturam, quod tam infame & enorme est ut ne quidem nominandum putauerit *Moses*.

Denique filius erat qui deferebat: Multum refert quis aut qualis sit qui delator est, non enim omnibus passim credendum aut firmandum: Nam saepe contingit ut una ancilla quidquam de alia ad dominam deferat, sed ex passione, scilicet postquam iurgatae sunt, quare non facile credendum. Fit etiam saepius ut aliquid deferant quod foris audiverunt de domina vel domino, multa addunt de suo, rem ex aggerant, susurrantes agunt, & peccant, adeoque non audienda, multa enim interdum fingunt ut dominis blandiantur:

*Jacob* autem non male fecit quod *Iosepho* aurem præberet, quia filius ejus erat qui fratres suos accusabat. Statim post hæc addit Scriptura.

## DISCURSUS II.

*Israel* autem diligebat *Ioseph* super omnes filios, fecitque ei tunicam polymitam.

Amor parentum ergo liberos.

Quid hoc? itane vero? diligebat *Jacob* *Iosephum* super omnes filios? & quidem tam aperte ut ei pretiosorem vestem faceret qua distingueretur à cæteris, imo supra reliquos emereret? Putabam ego ad rectam familiæ administrationem necesse esse, ut amor parentum erga omnes liberos esset æqualis: Sic enim me docet *D. Ambrosius* hoc loco, dicens: Jungat liberos æqualis gratia quos junxit æqualis natura. Sic me docet doctissimus *Titelmannus* scribens in illa verba *Davidis* Ps. 100. *Perambulam in medio domus meæ*: In medio, inquit, oportet ambulare, ut æque propinquus sit omnibus, ut ex æquo omnibus, absque personarum acceptione invigilet. Sic me docet *Nicetas* in illa verba *Iob* Cap. 29. *In circuitu meo pueri mei*: Pater familias, inquit, respectu filiorum suorum debet esse, quod centrum est in circulo. Sicuti enim omnes lineæ quæ à centro ad circuli extremitatem ducuntur, æquales sunt, quia circulus undequaque æque longe abest à centro, sic pater aut mater familias æqualiter ad omnes liberos suos extendere debent affectum suum, ut unus non longius ab eorum animo absit quam alius: Sic me docet Philosophus *Seneca* *Epist.* 66. *Feræ*, inquit, non distinguunt fætus suos, & se in alimentum pariter omnium sternunt: Aves ex æquo partiuntur cibos: Et quis, inquit, pater vel mater tam iniquam censuram inter suos agat, ut filium sanum quam ægrum magis diligat? procerumve quam brevem? pulchrum quam deformem? tandem concludit, parentes ne unã quidem prolem amare, qui unum tantum amant præ cæteris. Quomodo ergo *Jacob* Patriarcha tam sanctus & prudens diligebat *Ioseph* super omnes filios? Imo, inquit, magnus ille Antistes *Tostatus* in *Cap. 37. Genes.* Ponamus unum plus diligi aliis, nulli tamen specialis amoris exhibenda sunt signa: Et tamen *Jacob* ita patere voluit suum affectum erga unum *Iosephum* ut illi vesté faceret qua supra cæteros emereret.

Quid

Quid dicemus ad hæc? Patriarcham errasse aut male fecisse: non ausim hoc dicere propter viri sanctitatem. Dico ergo justum fuisse illius amorem; non enim amabat illum quia formosior, quia gratiosior, sed quia cæteris virtuosior erat.

Hoc est quod ait *D. Ambrosius lib. de Joseph cap. 2.* Fuit ne, inquit, reprehendus *Jacob* quia unum cæteris præferbat? nequaquam; quia plus illum amabat, in quo majora virtutum insignia videbat.

Hoc ipsum ostendit in *Rebecca* matre *Jacobi* & *Esau*: Præferbat *Jacobum Esau*, quia ille justus erat, hic vero injustus, quia quos filios natura dederat æquales, gratia fecerat dispares; amabat ergo unum præ alio non ex donis naturæ in quibus erant æquales, sed ex privilegii gratiæ, in quibus *Jacob* longe superabat *Esau*. Quapropter, inquit *Ambrosius*, non possumus libertatem auferre parentibus, ne eos plus diligant, quos plus credunt mereri.

Optime dictum: Non enim equum videtur ut quis virtuosos negligat, & vitiosos foveat, vel eodem amore prosequatur inobedientes & immorigeros, atque obsequiosos ac bene moratos. Denique quis dubitat quin etiam inter virtuosos ille majore amore dignus sit, qui cæteris virtute præcellit? Sicuti enim omnis virtus mercedem meretur & laudem, ita etiam singularem quandam benevolentiam atque amorem.

Non possumus manifestius habere hujus rei exemplum, quam *Christi*. Diligebatur ab eo *Ioannes*, non quod gratior, aut sagacior, aut junior cæteris esset, sed, ut canit *Ecclēsia*, quod specialis prærogativa castitatis ac virginitatis ampliori dilectione fecerat dignum, quia in illa præsertim virtute cæteros superabat: sic *Christus* servavit ordinem charitatis, illum plus diligendo, qui plus diligere merebatur, hoc enim, inquit noster *Alvarez de Paz*, etiam justitia petit & exigit.

Possunt ergo etiam parentes bene ac laudabiliter hoc factum Domini in suis liberis imitari, possunt meliores magis amare, & perfectiores præponere imperfectioribus, & majoribus donis honorare. Sic enim etiam fecit *Christus* respectu *Ioannis*.

1. Nullus præter *Ioannem* in sinu *Christi* supra pectus ejus, in cenâ recubuit; quam familiaritatem & amicitiam tanti faciebant *Romani*, ut *Xiphilinus* inter maxima quæ *Heliogabalus* ab *Aurelio* Imperatore acceperat, numeret, quod in pectore & in sinu ejus recubuit, & carnavit.

2. Maxima



2. Maxima *Ioanni Christus* secreta ac mysteria revelavit, ut notat *D. Thomas* in cap. 13. *Ioan.* Soli *Ioanni* indicavit in ultima coena quis illum esset proditurus: Revelavit illi *Christi* divinitatem, & generationem æternam, ut patet ex illis verbis cap. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Revelavit illi secreta regni cælestis, ac triumphantis Ecclesiæ, dum totius intima cæli illi ostensa sunt, & quidquid in illo ageretur, conspexit: Revelavit illi secreta militantis hic in terris Ecclesiæ, quæ ei eventura essent usque ad finem mundi. Hæc omnia expressit *Ioannes* in sua *Apocalypsi* quæ tot habet, inquit *Hieronymus epist. 103.* sacramenta, quot verba.

3. Pretiosissimum quem *Christus* habebat thesaurum, moriens *Ioanni* reliquit, scilicet matrem suam *Mariam*, cum ei dixit de cruce: *Ecce mater tua.* Quantus ille thesaurus fuerit quem *Christus* hic *Ioanni* commisit, patet ex patribus; hanc enim matrem appellat *D. Germanus* diadema pulchritudinis, diadema Ecclesiæ *S. Proclus.* Alii pretiosum diadema regum.

Habent Scriptores pro summo honore quod *Theodoricus* Rex *Artemidoro* *Romam* commisit, cui nulla, inquit, par civitas. *Maria* est civitas sancta, inquit *D. Bruno*: Est civitas regis magni, inquit *D. Germanus*: Est civitas Domini virtutum, inquit *D. Bernardus*: Est civitas illa de qua dicebat Propheta: *Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei,* inquit *D. Gregorius*; hanc civitatem cui nulla par, *Ioanni Christus* servandam tradidit: Militibus omnem in una tunica suppellectilem suam forte divisit, regnum suum latroni dederat, totum corpus suum cruci, Spiritum suum paternis manibus reservabat: unum quod supererat pretiosissimum munus, matrem ex divino testamento *Ioanni* reliquit. Sic ergo amabat *Christus Ioannem* singulari supra cæteros Apostolos amore, quia Virginitas eius, qua supra cæteros eminebat, hoc merebatur. Sic, inquit *Chaldaicus* textus, *Iacob diligebat Ioseph plusquam universos filios suos, quoniam filius sapiens erat.* Non aspiciebat venustatem in pulcherrimo filio, sed solam sapientiam.

Dilexerat illum in cunis, sed per sedecim continuos annos, amorem suum sic cohibuerat, ut nullum toto eo tempore legatur amoris signum exhibuisse; tunc vero charitatem in eum effudit cum inter fratres graviter peccantes mansit illæsus & innocens, eosque ad patrem detulit; tunc enim primum dicit Scriptura, *diligebat illum super omnes filios suos; tunc fecit illi tunicam polycam, ut etiam exterioribus*

rioribus signis amorem suum testaretur, & fratres ejus viderent quid mereretur ejus constantia, quâ illis peccantibus non peccaverat, ejusque zelus quo peccatum illorum deferebat patri ut emendarentur. Non poterat quidquam laudabilius præstare *Jacobus*, nec alii parentes, si tales filios præ cæteris diligant.

## DISCVRSVS III.

*Videntes fratres Ioseph quod à patre plus cunctis filiis amaretur, oderant eum, nec poterant ei quicquam pacificè loqui.*

**H**ic paucis verbis depingit Scriptura totam naturam invidiæ, dicens: *Videntes quod Ioseph amaretur, oderant eum*: Ergo solus amor parentis erat causa invidiæ; atqui amor parentis bonus erat atque laudabilis, igitur invidia originem trahebat ex bono. Habet hoc enim omnis invidia ut doleat de bono alterius, gaudeat de malo. Sic invidebat *Saul Davidi* quia non poterat ferre illius prosperitatem & laudes: Invidebat *Rex Abimelech* *Isaaco* divitiis, ideo dicebat illi: *Recede à nobis, quoniam potentior nobis factus es valde.* Invidia.

Hinc recte dixit *D. Prosper lib. 3. de vita contempl. cap. 5.* Invidus alienum bonum, suum facit invidendo supplicium.

Magis particulariter *D. Bernardus, de fallac. present. vitæ*: Invidi, inquit, alienum bonum non ferunt, quia se solos æstimant, se solos appetunt reputari. Literatus est aliquis? odit focium. Astutus est in negotiis sæcularibus? neminem vellet sibi similem inveniri. Pecuniosus est? Si ditescere viderit alterum, cruciatur. Fortis est aut formosus? da ei parem, & contabescit. Quis facile potest quale sit hoc malum verbis exprimere, quo invidus odio prosequitur divinum munus in homine? Tantos porro invidus poenâ justâ habet tortores, quantos invidiosus habet laudatores: Siquidem invidiosum facit excellentia meriti, invidum poena peccati. Paucis ego rem omnem complector: Invidi desiderant soli esse docti, soli consulti, soli gratiosi, soli formosi, soli opulenti, propterea hæc doctes non ferunt in aliis, adeoque, si possent, illas destruerent.

Hac peste ita correpti fuerunt fratres *Iosephi* (hoc solo nomine quod probus adolescens amaretur à patre) *ut non possent*, inquit, Scrip-

Scriptura, ei quidquam pacificè loqui; quidquid ergo illi vel de illo dicebant, omnia erant æque acerba & mala, quantumvis in *Iosepho* laudabilia essent & bona.

Hanc invidiæ indolem vivis depictam coloribus olim videre licuit in *Pharisæis* respectu *Christi*, de quibus Scriptura *Matth. cap. 27.* manifestè affirmat, quod illi inviderent. Audi nunc quid inde secutum sit, scilicet quod non possent illi vel de illo quidquam pacificè loqui.

Dixerat *Christus* doctrinam suam, uti revera erat, esse divinam. Ipsi autem dicebant illi: *Dæmonium habes*. Dixerat: *Qui ex Deo est, verba Dei audit*, illi vero dicebant: *Samaritanus es*. Dixerat: *Ego sum Pastor bonus*: illi dicebant, *Insanis*; non poterant ei quidquam pacifice loqui.

De illo vero non minus absurda spargebant in vulgus. Ejecerat dæmonem coram ingenti populi turba, hæc stabat attonita, & factum laudabat, *Pharisæi* vero dicebant: *in principe dæmoniorum eiecit dæmonia*. Sanaverat cæcum natum die Sabbati, totâ *Ierosolymâ* obstupescente: Illi vero dicebant: *Non potest hic homo à Deo esse qui sabbatum non custodit*. Conversabatur & comedebat cum peccatoribus ut illos converteret. *Pharisæi* dicebant: *Potator vini est*. Audiebant illum concionantem in templo & Synagogis, & dicebant: *Filius fabri est, unde ille literas scit cum non dederit?* Videbant magnam vulgi partem ab eo converti, & dicebant *Numquid aliquis principum credidit in ipsum?* Non poterant de illo quidquam pacificè loqui quia invidebant.

Denique quidquid boni erat in *Christo* vertebant in malum, vel obscurabant. Hoc omnes invidi faciunt: si quis generoso sit animo, dicunt esse audacem, si quis constans, dicunt esse obstinatum, si quis patiens, dicunt esse insensibilem, si quis rigidus in justitia, dicunt esse crudelem, si quis prudens, dicunt esse fraudulentum, si quis parcus, dicunt esse avarum, si quis liberalis, dicunt esse prodigum, si quis pius, dicunt esse hypocritam, si quis attentus negotiis, dicunt esse pecuniæ cupidum, si quis gratiosus, dicunt esse adulatorem, si quis eloquens, dicunt esse garrulum, & hoc, ut dum aliorum dotes & virtutes obscurant, ipsi soli emineant. Sic denique non poterant fratres *Iosephi*, ex invidia, quidquam ei nec de illo pacificè loqui.

Verum hic non stetit illorum invidia, contigit enim, inquit Scriptura,

ptura,

ptura, ut *Ioseph* duo somnia haberet, & hoc, inquit, *maioris odii, & invidiae seminarium fuit.*

1. Viderat in somnis se cum fratribus in agro ligare manipulos, suumque manipulum stare erectum, fratrumque manipulos circumstantes adorare manipulum suum: Hæc cum narraret fratribus suis, dixerunt: *Quid? numquid rex noster eris? aut subjiciemur ditioni tuæ.*

2. Somniarat quod videret solem & lunam, & stellas undecim se adorantes, & hoc referebat patri & fratribus; *sed increpavit eum pater, & dixit: Quid sibi vult hoc somnium? num ego & mater tua, & fratres tui adorabimus te super terram?*

Quamvis præcipua horum somniorum significatio erat quod *Ioseph* aliquando futurus esset princeps fratrum suorum, latebant tamen etiam varia alia sub illis mysteria.

Ac primum quidem quod ad illum principatum perventurus non esset nisi per labores & sudores. Patet hoc ex illis verbis *Iosephi*: *Putabam nos ligare manipulos in agro*, deinde meum stare erectum, vestrosque illum adorare: Prius ligare humi jacentes omnes manipulos, postea meum exurgere & adorari? Non est exiguus labor, sed multo constat sudore, in ardente sole, & calore æstatis ligare manipulos: Volebat ergo Deus significare quod *Ioseph* futuram suam dignitatem deberet labori, nosque docere quod ait *Xenophon*: *Dii laboribus omnia vendunt*: Si quis enim ad celsitudinem virtutis in hac vita, & ad summum bonum beatitudinis in altera, velit ascendere, laborandum prius est, sine labore nil obtinebit.

Legimus in Historiis Societatis non unum fuisse patrem è nostris, qui in *India* occidentali profecturus ad ethnicos ut illos ad fidem adduceret, non aliam viam invenisse nisi quam ipse cum sociis quotidie summo labore sterneret, tam enim erant undique omnia obsita spinis, truncis atque fruticibus ut securibus quotidie excidendæ forent, ad viam sternendam, adeo ut unus inter cæteros solidum annum impenderit ut centum leucas conficeret. Tam difficilis & arcta via est quæ ducit ad virtutem, & per virtutem ad cælum: Virtutem enim posuere etiam ethnici in montibus inviis, ac præruptis & asperis rupibus; de cælo vero dixit *Christus*: *Arcta via est quæ ducit ad vitam*, ad neutrum pervenies nisi labore; tu ipse tibi viam sternere debes, & quasi vi brachiorum excindere quid-

quid obstat. Hoc est quod jam pridem Deus ipse clamavit per *Isaiæ* Prophetam *cap. 40. Parate viam Domini, rectas facite semitas Dei: Nec enim viam istam stratam invenies nisi tu ipse in sudore vultus tui operi manum admoveas. Non dabitur, inquit Bernardus de modo Bene vivendi cap. 51. regnum Dei otiosis, sed digne laborantibus.*

Quanto labore opus est, ut nauta trajiciat mare, & salvus in portum perveniat? nisi enim modo vela attollat, modo demittat, contra fluctus clavo luctetur, remis suum cursum fortiter promoveat, sed complicatis manibus sedeat, & nihil agat inter furias ventorum & fluctuum, numquam in portum destinatum perveniet, sed impinget in Syrtis & scopulos, ubi ipse cum navi naufragio peribit.

Mundus hic mare est. sic ait *D. Hilarius in cap. 8. Math.* Mari justè comparatur hic mundus ait *Cassiodorus in Psal. 4.* In hunc mundum inquit *Seneca de Consolat. cap. 28.* hoc est, in profundum inquietumque mare projecti sumus.

Hanc mundi cum mari similitudinem etiam rationibus stabiunt Patres. Primam dat *S. Augustinus in Ps. 103.* Hoc sæculum, inquit, tentationum fluctibus quatitur, tempestatibus & procellis tribulationum turbatur. Secundam dat *Cassiodorus*, dicens: Mundus falsitatibus amarus est, & vitiorum tempestatibus commovetur, Tertiam dat *Seneca*: Sicut mare, inquit, alternis fluctibus reciprocum est, & numquam stabili loco consistit, sic etiam mundus. Quartam dat *D. Hieronymus Epist. ad Heliodor*: dicens: Sicut mare plenum est Syrtibus & scopulis qui latent sub aqua, sic mundus undequaque est plenus periculis.

Denique hac nobis eundem est, inquit *Augustinus*, hoc mare trajiciendum, nos nautæ sumus, navis quam vehimus, anima nostra est, portus quo tendimus cælestis patria est: Ergo laborandum est, luctandum contra fluctus tentationum, pugnandum contra pyrras diabolos qui assidue vagantur ut nobis & navim, & bona animæ nostræ eripiant, standum fortiter contra tempestates passionum nostrarum, manibus pedibusque resistendum vitiorum periculis, si velimus pervenire ad portum æternitatis; si enim desides sumus, & otiosi, omnia perdidimus, & navim, & bona, & cælum: Sicut enim *Joseph* ad summam dignitatem pervenit laborando & sudando in colligendis & ligandis manipulis in agro, sic nullus hominum pertingere potest ad summam beatitudinem nisi per

con-

continuos labores; ubi enim incipit otuari, ibi perit.

Et quis homo, si tantum ratione præditus est, non indignetur quod plerique plus laboris impendant pro mundo, quam pro cælo? plus laboris pro corpore, quam pro anima? & tamen, inquit *Thomas Morus*: Plurimi in hac vita dimidio labore cælum lucrati fuissent, quo infernum mercantur. Cumque hic ipse vir sanctus interveniret virgini ad speculum se contemplanti, quæ multo cum labore comas in nodum cogebat, & tunicam, quod gracilior videretur, arctissimè constringebat dixit illi *Morus*: Nisi Deus, inquit, pro hoc tuo tanto labore infernum reddat, magnam tibi faciet injuriam.

Percurramus semel mundum universum cogitationibus nostris, & videbimus verum esse quod ait *D. Gregorius distinct. 1. omnes*, inquit, hujus sæculi dilectores in terrenis rebus fortes sunt, in cælestibus autem debiles: Nam pro temporali gloria defudare usque ad mortem appetunt, & pro perpetua ne parum quidem in labore persistunt. Pro terreno lucris quilibet tolerant injurias, & pro cælesti mercede vel tenuissimi verbi contumelias ferre recusant. Terreno judici toto etiam die assistere fortes sunt: In oratione vero coram Domino vel unius horæ momento lassantur. Pudet me, inquit *Hieronymus epist. ad Demetriad.* dum considero quod tantus sit hominum fervor pro sæculo, & quod tam facile negligant cælestes divitias & immortales honores.

Incipiamus à militibus. Horum labores *Augustinus* depinxit in *Psal. 36.* Veterani milites, inquit, versantur inter vulnera tot annos, incipiunt militare à juventute, exeunt senes ut habeant paucos dies senectutis suæ, & ut hoc assequantur quid non tolerarunt? quæ itinera, quæ frigora, quot æstus, quantas necessitates, quæ vulnera, quæ pericula? & non attendunt patientes hæc omnia nisi paucos dies quietis. Quis talia tolerat pro æterna quiete? Quantum laboris impenditur, quantum sanguinis funditur in bello ut expugnetur urbs una, imo exigua aliqua munitiuncula? quis tantum facit ut intercipiat cælestem illam & amplissimam urbem *Jerusalem*, in cujus respectu totus orbis, ut inquit *Seneca*, non est nisi punctum?

Pergamus ad mercatores. Plurimi illorum ita sunt absorpti & immergi suo lucro ut vix aliud cogitare videantur. Sive mensæ accumbant, sive cubitum concedant, sive strato assurgant, hoc unum illis

Labores  
mundanorum.

versatur in mente. Jubet, inquit *Augustinus* in *Psal.* 18. auri cupiditas ut mare trajiciant, & obtemperant: Jubet ut se ventis procellisq; committant, & faciunt: vel ut ait *Poeta*. *Horatius* *epist.* 1. *impiger extremos currit mercator ad indos, per mare pauperiem fugiens, per Saxa, per ignes.* Est ne aliquis qui tantum laboris subeat ut caelum, quod Deus venale exposuit, emat? Hinc magnus ille *Indiarum* *Apostolus* *Franciscus Xaverius* erubuisse & succensuisse legitur, quod mercatores prius in *Japoniam* penetrasent, quam orthodoxa fides illic praedicata fuisset.

Quos labores subeant aulici ut ad honores perveniant quis est qui ignoret? Aspirabant ad summos honores *Jacobus* & *Ioannes* *Apostoli*, volebant enim esse aulici *Christi* dum peterent primas sedes in regno ipsius, & parati sunt quidvis subire ut illas obtineant: Cum enim peteret ab illis *Christus*. *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?* statim respondent *Possumus*: Si forte nescitis quis ille calix *Christi* sit, audite: *Christus* de se ait: *Ego in laboribus à juventute mea*: Hoc vos poteritis? *possumus*. Quid si quadraginta solidos dies ac noctes jejunandum in deserto? Hoc *Christus* fecit, vos hoc poteritis? *possumus*: Quid si super fluctus ambulandum? *possumus*: Quid si currendum per campos & montes inter torridi solis ardores, in sudore vultus, usque ad defatigationem? hoc vos poteritis? *possumus*: Quid si totas noctes vigilandum, si catenæ vobis injiciendæ, si raptandi ad judices, si flagellandi? hæc omnia in calice *Christi* continentur, vos hæc poteritis? *possumus*. Adeo nihil illis tam durum, nihil tam impossibile quod recusant aggredi, modo primas sedes obtineant in aula *Christi*.

Hic habes verum omnium pœnæ aulicorum & aspirantium ad honores prototypon: Nullum reformidant laborem, nullum recusant cruciatum, nullum subterfugiunt periculum, nullum per timefcunt dispendium, non vincula, non vulnera, non ipsam mortem, dummodo magni evadant. Dives si agrum coëmit, prius de pretio agit: miles si propugnacula in vasurus est, prius situm explorat: nautæ non omni freto se committunt: Illi soli calicem exhaurire audent quem numquam experti sunt, nec viderunt. Non curant quid ebibant dummodo eis liceat honoribus prætensis potiri: Ubi invenies qui tantum faciat ut primas sedes & dignitates adipiscatur in aula cælesti, & regno cælorum?

Pergamus ad opifices. Quam indignum est, inquit *S. Theodorus*

*Siudisa*

*Studia Serm. 17. in astatem*; sæculares promptius opificia tractare, quam nos operari pro cælo. Describit *Ecclesiasticus cap. 38.* fabrum ferrarium laborantem: 'Sedet, inquit juxta incudem, vapor ignis urit carnes ejus, in calore fornacis sudore diffuit, magna vi tundit malleis ferrum &c. ut opus suum perficiat, & hoc singulis & totis diebus. Hic exclamat doctissimus *Eusebius Nievenbergius in Asceticis*: Pudeat nos minus & mollius curare inastimabile perfectionis opus, quam faber ferrarius suos ferreos clathros. Invenies enim, inquit *Chrysostomus de Eucharist. cap. 5.* qui cum centum & sexaginta octo horas habeant in hebdomada quibus laborant pro mundo, tædio afficiuntur si missa medietatem horæ excedat: Eo enim gratior missa quo brevior.

Merito sanctissimi viri considerantes diligentiam sæcularium in laborando pro mundo, & negligentiam in laborando pro virtute & cælo, hæc, etiam cum lacrymis deploravere.

Occurrebat olim *S. Nonno Præfuli Heliopolitano, Pelagia meretrix*, auro & gemmis, alioque mundo muliebri à capite ad calcem ornatissima. Stetit præful ut illam contemplaretur, dixitque cum lacrymis ad circumstantes. Quot horas putatis hæc mulier expendit dum se in cubiculo comit, ungit, componit, & nos quantillum temporis & studii, neque id sine tædio, insumimus, ut animam excolamus, & Deo placeamus.

Idem legitur in alia muliere deplorasse cum lacrymis *Abbas Pambo*, dicens: Duplex mihi causa stendi est: una quod videam hanc mulierem sibi aliisque exitio esse; Altera quod plurimi non tantum curæ adhibeant ut sibi prosint, ac Deo placeant, quantum hæc mulier ut sibi obsit, & Deo displiceat.

Provocat similes homines ad extremum judicium *D. cyprianus* dum ait *Serm. 1. de elemos.* Ponat unusquisque ante oculos suos diabolum cum suis servis prodeuntem in medium, & dicentem supremo judici: Ego pro istis, quos mecum vides, nec alapas accipi, nec flagella sustinui, nec crucem pertuli, nec sanguinem fudi, sed nec regnum cælestè illis promisi, & tamen dederunt mihi munera pretiosa, & grandia, & nimio ac longo labore, & sumptuosissimis apparatus quæsita. Tu mihi, *Christe*, tales tuos munerarios demonstra. Quid ad hæc respondemus fratres charissimi?

*Christus* dicet: *Nudus eram & non cooperuisti me*: Et producet diabolum, unum ex servis suis aulicum illum impium *Rajolaum*, qui  
ut



ut placeret *Elisabethæ* reginæ *Angliæ* in unam crepidam gemmis ac unionibus distinctam impendit sex millia & sexcentos aureos: Producat illius feminæ *Syrma*, de qua scribit noster *Causinus* quæ in illud profudit duo millia florenorum & quingentos: Producat collare illius puellæ in quo componendo biennium infumptum, & honestæ familiæ alendæ sumptus expensi.

Deus bone! tanti sumptus pro diabolo & mundo, quorum centesima pars sufficiebat ad cælum emendum! quis hæc non deploret? laborandum quidem pro mundo est, sed millecuplo plus laborare pro mundo & corpore, quam pro cælo & animâ, quis hoc concipiat, aut ferat in *Christianis*?

Dilectio  
inimico-  
rum.

Hoc primum mysterium quod latebat in primo somnio *Joseph*, cum somniaret se manipulos cum fratribus, non absque labore, ligare in agro, & mox manipulum suum jacentem in terra, sese erigere, & à fratrum suorum manipulis adorari.

Alterum mysterium erat in somnio secundo: *Vidi*, inquit, *quasi solem & lunam, & stellas undecim adorare me*. Per stellas undecim significabat Deus undecim fratres suos, per solem, patrem, Sed magnam difficultatem inveniunt interpretes ut assequantur quid luna significaret: Putant aliqui matrem *Josephi* designari: Sed mater ejus *Rachel* numquam illum adoravit, jam enim pridem mortua erat, & sepulta in *Bethel*. Quare doctissimus quidam Scriptor per *Lunam Ægyptum* significatam fuisse existimat, ut disceremus, ait, adorandum à probis & improbis quisquis remittit injurias sibi factas: Plurimas in *Ægypto* passus erat injurias *Joseph*, omnes lubenti animo condonavit, & ideo tota illum *Ægyptus* adoravit. Non enim potest carere gloria nec honore qui parcat: Est enim regium inimicis ignoscere.

Varias habemus hujusce rei in Scriptura exempla. Occiderat *Absalon* fratrem suum *Amnonem*, & dicit Scriptura 2. *Reg. cap. 13. Luxit David filium suum cunctis diebus & persecutus est Absalonem*. Ecce simpliciter *Davidem* appellat dum hostem persequitur, quasi tunc non mereretur nomen regis: Sed mox addit Scriptura quod cessaverit persequi *Absalon*, tunc illum regem vocat: *cessavit*, inquit, *Rex persequi Absalon: David est dum non parcat, rex est quando reconciliatur hosti, & condonat injurias*.

Quare putas cur facies *Moyssis* in monte *Sinai* semel tantum coronata fuerit tanta luce ut filii *Israel* oculos suos in illum non possent intendere, cum tamen plus quam semel ascendisset in montem actus

rus cum Deo! dicam: Cum primum montem *Sinai* ascendisset, versatus quidem ille cum Deo est, sed inter fulgura atque tonitrua. At inde reversus & tabulas legis confregit, & aureum vitulum evertit, & sacrificulos trucidavit; Ubi vero in montem reversus est, veniam poposcit pro filiis *Israel*, furorem Domini mitigavit, voluit inimicis ignosci, tunc rediit splendore coruscus qui capite eius instar regiae coronae cingebat, ut quisque videret regium esse condonare injurias.

Eodem modo *Jacob* cum occurreret fratri suo *Esau*, dicebat illi: *Vidi faciem tuam quasi viderim vultum Dei*: Siccine ille qui dixerat se occisurum fratrem suum, ille rebellis matri, ille spirans furoris flammam & ignem, instar Dei apparet? non mirum, quia jam osculatus fuerat fratrem, & iram, lacrymis profusis in collum *Jacobi*, extinxerat.

Quid magis notum quam doctrina illa *Christi* quam toti mundo reliquit in scripto *Matth. cap. 5. Diligite inimicos vestros, ut sicut filii patris vestri qui in caelis est.* Quid hoc est aliud dicere quam fore ut Deum, vel speciem Dei referant in vultu, sicut filii referunt speciem patris, qui injurias sibi factas compensabunt amore. *Christus* qui hoc dixit, plus quam *Salomon* erat, & tamen hoc docuit quod *Salomon* diu ante non docuerat, sed re ipsa praestiterat. Rebellerat contra eum *Adonias*, & in partes suas attraxerat *Joabum* militiae principem, & *Abiathar* summum Sacerdotem, partemque exercitus ut *Salomoni* raperet sceptrum e manibus, coronam de capite, eumque exturbaret e folio, dixeratque palam: *Ego regnabo*. Sed praevaleuit *Salomon*: Quid tunc putatis illum egisse cum *Adonia*? forte illum eiecisse in exilium, aut morte multasse? nihil minus: Sed cum *Adonias* confugisset ad templum & teneret cornu altaris, dixit *Salomon*, inquit Scriptura, *3. Reg. cap. 1. non cadet ne unus Capillus ejus in terram*, adductumque ad se benignè excepit & dixit: *Vade in domum tuam*, liberumque dimisit. Quod si *Salomon* rebellem sibi ita tractavit ut ne capillum quidem ejus unicum tactum velit, quid dicemus de his qui vindictam sumere volunt de iis, qui vix verbo illos offenderunt?

Miraris tantam animi generositatem in viro? mirare non minorem in femina. *Anna Samuelis* mater, summo dolore oppressa quod sterilis esset, confugit ad tabernaculum Deum oratura. Vidit illum *Heli* Pontifex labia moventem, & praedevotione accen-

fam in vultu, & temulentum esse existimavit, inquit Scriptura, dixitque ei: *usquequo ebria eris? digere paulisper vinum quo mades*: Gravis injuria in feminam innocentem & sanctam! Quid hic expectatis ab *Anna*? quod vestes præ dolore consciderit, vel comam discerperit, & non fleverit tantum sed ulularit? Nihil simile: Hoc unum placidissime respondit Pontifici convitianti: *Nequaquam, Domine mi, nam mulier infelix nimis ego sum, effudi animam meam in conspectu Domini*. Dominum appellabat qui illam ebriam esse dixerat: Tantum templi sanctitate profecerat ut publicam reprehensionem accusationemque perferret. Nos vero *Christi* corpore pasti, qui pro carnificibus supplicavit, & calicem bibentes cruoris ejus, qui in remissionem sibi inflictarum injuriarum effusus est, *furiis* agimur in adversarios.

Ergone surdis auribus cecinit *Christus*, & in ventum clamavit: *Diligite inimicos vestros?* at inquires, difficile est non percutere percussorem, an ego silebo, dum hostis contra me latrat? at ego quaero ex te: An *Christus* divina sapientia, nescivit quid tibi imperaret cum dixit ut non tantum inimicos diligeres, sed etiam orares pro persequentibus te? Igitur vel tu impudens es qui non obtemperas, vel *Christus* inscius est qui imperavit: Atqui *Christus*, magnus ille cæli magister, inscius non est, ergo tu vel impudens es, aut lapide durior, qui tali magistro non obedis. Pergamus in historia.

## DISCURSUS IV.

*Fratres Joseph cogitant illum occidere.*

**P**ostquam *Joseph* narraverat somnia quæ habuerat, fratribus suis, contigit ut illi oves pascere juxta urbem *Sichem*, quando *Jacob* vocavit ad se filium suum *Joseph*, & dixit: *Fratres tui pascunt oves in Sichemis, vade mittam te ad eos: Quo respondente, præsto sum, ait ei: Vade, & vide si cuncta prospera sint erga fratres tuos, & pecora, & renuntia mihi quid agatur. Perrexit itaque Joseph post fratres suos: Qui cum vidissent eum procul, antequam accederet ad eos, cogitaverunt illum occidere, & mutuo loquebantur: Ecce somniator venit, venite occidamus eum, & mittamus in cisternam veterem &c.*

Plurima hic consideranda sunt quæ ad bonorum morum instructionem spectant. i. Cura & providentia patris erga filios suos, & obedientia *Joseph* erga patrem suum. Miser

Misit Jacob, inquit Scriptura, Joseph ad fratres suos dicens: *Vade & vide, quid agant.* En hic curam ipsius: Non intellexerat quidquam mali committi à filiis, sed voluit prævertere ne quidquam committerent: Mittitur Joseph ad illos non quod malè se gerant, sed ne hoc faciant. Parentes enim non tantum curam filiorum gerere debent dum malè agunt ut sanentur, sed etiam vel maximè invigilare ne malè agant, ut serventur innoxii. Majus enim est aliquem in sua innocentia servare à peccato, quam post innocentiam perditam & post lapsum erigere? Nam qui semel lapsus est, semper retinet aliquid quod illum possit irritare ad relapsum, sicut fomes quantumvis exiguus dum sub cinere latet, materiam subministrare potest incendii: At qui innocens est tanto longius abest à lapsu, quanto magis in innocentia sua fovetur, & minus habet à quo incitetur ad malum: Itaque si parentes filios peccantes corripiant, agunt quod debent, si verò illorum mala non curent prævertere, pejus agunt quam bestia, præsertim gallinæ quæ pullos suos abscondit sub alis ne lædantur & abripiantur à vulture.

2. Mittens Jacob Josephum ad fratres, ait illi: *Vade & vide* quid agant: Non dicit: Audi quid agant, sed *vide*, non vult ut ulli credat nisi oculis suis. Incerta sunt, & sæpenumero falsa quæ audiuntur, raro falsa sunt quæ videntur nisi forte eminus videantur. Cura parentum est respicere quid filii agant, sed non perspicere, videre, sed non nimium rimari, sicut enim lethale est non aspicere quæ geruntur, ita exitiale interdum est plus inspexisse quam par aut necesse est. Nolo filiorum actiones aspici lippientibus oculis, sed nec etiam nimis acutis, si debili aspicias oculo, insolescent, si videas etiam quæ vix videntur, numquam quiescent.

Præterea dicebat Jacob Josepho: *Renuntia mihi quid agatur*: Magna prudentia, & optimum consilium: Non enim omnia propalanda sunt quæ explorando cognoveris, sed patri tantum vel alteri qui possit emendare, si quid mali commissum est, & tunc narranda quæ vere sunt, non autem quæ hinc inde falso sparguntur, aut quæ tu tantum suspicatus es, sicut faciunt detractores, susurriones, & garruli.

Vidistis curam & prudentiam patris, videte nunc promptam obedientiam filii: vix Jacob hæc tria verba: *vade ad fratres*, dixerat Joseph, cum statim ille dixit, *præsto sum*: Poterat non absque ratione Joseph se excusare, & dicere: Pater, tu nosti quod fratres me oderint, idque

Obedien-  
tia libe-  
rorum  
erga pa-  
rentes.

idque verborum amaritudine ostentarint, adeoque poterat timere ne illa pateretur à fratribus quæ reipsa passus est. Poterat etiam suspicari quod pater illius tædio laboraret, ideoque illum dimitteret, & dicere: Ergone me dimittis ut ovem statuas inter leones? tamen sanctissimus adolescens non modo non reluctatus est aut cunctatus, sed statim se accinxit itineri.

Hæc obedientia liberis tam necessaria est ut sine illa salvari non possint; quid enim vis clariùs quam quod *Paulus* ait: *Rom. cap. 1.* Fornicarii, inquit, homicidæ, detractores, susurriones, & parentibus inobedientes digni sunt morte, scilicet æterna, quia Deo odibiles sunt.

2. Dicit *Paulus*: Iustum est ut filii obediant parentibus: Quid hoc significat, iustum est? hoc est, omnia jura hoc exigunt: Sunt autem jura in triplici specie, nempe, divinum, naturale, & civile.

1. Ius divinum exigit ut liberi parentibus obtemperent: Patet ex Dei mandato, *honora patrem & matrem.*

2. Ius naturale hoc exigit: Quia tametsi non esset expressum Dei mandatum, hoc tamen natura docuit, & omnes nationes in genere, & omnes homines in particulari, qui cum hac lege nascuntur, illam ubique circumferunt in conscientia.

3. Ius civile hoc exigit; quia ubique terrarum poenæ statutz sunt à magistratibus contra liberos inobedientes.

Ergo filii inobedientes peccant contra jus divinum, naturale & civile, consequenter, ut ait *Paulus*, digni sunt morte æternâ.

Iam quæstio est quomodo, & in quibus debeant obedire: Quomodo, docebit nos *D. Paulus* dicens *Ephes. cap. 6.* *Filii obedite parentibus in Domino:* Mox addit: *Servi obedite dominis carnalibus, sicut Christo.*

Quantum conjicio, hoc est argumentum Apostoli: Servi debent obedire dominis suis carnalibus, ergo multo magis liberi suis parentibus, & est argumentum à minori ad majus. Si enim servos compares cum liberis, sunt longè minores, parentes cum sæcularibus dominis, sunt longè majores. Servi sunt advénæ in domo in qua habitant, liberi vero naturales domestici: Servi non habent aliam obligationem erga dominos suos quam quod hi illos in domum receperint; Liberi vero habent mille obligationes erga parentes: Servi non habent aliud nisi suam mercedem, liberi sunt hæredes omnium bonorum?

Compara jam parentes cum dominis: Domini non dederunt vitam

vitam servis, hanc dederunt liberis parentes, Domini non educantur tot curis, nec tanto labore servos suos à pueritia, sicut parentes liberos suos: Domini non ostendunt tantum affectum nec benevolentiam erga servos, sicut parentes erga liberos: Sequitur ergo à minori ad majus, juxta argumentum Apostoli: Si servi obligationem habent obediendi dominis suis, multo majorem habent liberi obtemperandi parentibus suis.

2. Dicit Paulus quod servi debeant obedire dominis sicut Christo. Si servi recognoscere debent Christum in dominis, quanto magis liberi in parentibus? Quid enim similitudinis habent domini sæculares cum Christo, nisi quod illorum potestas, ut Paulus ait Rom. cap. 13. ab illo, vel à Deo descendat? At parentes repræsentant Christum in sua persona; sunt prototypa Dei, ut dixit Xenophon inter ethnicos, & D. Cyrillus Alexandrinus inter Catholicos; sunt minores dñi, ut dixit Plato. Igitur, à minori ad majus, si servi debeant obedire dominis suis sicut Christo, multo magis liberi parentibus suis. Hæc satis quo ad modum quo debent obtemperare: Iam quæret aliquis, in quibus? Duobus verbis ad hoc respondet Apostolus, dicens Coloss. cap. 3. In omnibus, scilicet præter peccatum, nam prius dixerat illos debere obedire in domino, ergo, inquit Bernardus epist. ad Heliam in nullo quod est contra dominum, de cætero in omnibus, sive in spiritualibus, sive in temporalibus, sive illis imperent ut deserant mala confortia quibuscum versantur, sive ut sibi caveant à juramentis, sive ut fugiant domos meretricias, sive ut non vagentur noctu per plateas, sive ut statuta hora veniant domum, sive ut non dissipent pecunias suas, denique, in omnibus, quantumvis molestum sit, vel repugnet naturæ, vel sensualitati, sine murmuratione aut contradictione: In omnibus, tanquam si Christus ipse vel Deus imperaret. Hæc firma sunt & indubitata, est enim infallibilis doctrina Spiritus S. quam per os Pauli locutus est.

Vidimus insignem Josephi obedientiam quam præstitit patri illum mittenti ad fratres, quamvis graves rationes haberet, quibus, ut diximus, se excusare posset: Abiit ergo domo, & perrexit ad fratres, qui cum vidissent eum procul, inquit Scriptura, antequam accederet ad eos, cogitaverunt illum occidere, & mutuo loquebantur: Ecce somninator venit, venite occidamus eum.

Primo cogitaverunt illum occidere, hinc ventum est ad verba, dicit enim scriptura; mutuo loquebantur, & inibant consilia, denique venit

Cogitationes  
mala omnium  
malorum  
instituta.

venitur ad factum, dicunt enim: *venite occidamus eum*, quis primus fons horum malorum? cogitatio: Primo enim & ante omnia, *cogitaverunt*. Hoc est quod *Christus* ait *Matth. cap. 15. De corde exeunt cogitationes male, homicidia, adulteria &c.* prius versantur in corde deinde exeunt in os, & demum in opus, ubi *Augustinus lib. de continent. cap. 2.* dicit: Nihil malorum quod cogitatio non antecedit mala. Propterea *S. Nilus in Parenesi*, vocat cogitationes pravas semen diaboli; rectè semen vocat, illud enim prius latet sub terra, deinde erumpit in lucem, denique profert fructus: Rectè vocat semen diaboli, quia ille hoc unum agit, ut cogitationes pravas spargat in mentibus hominum pro cuiusque ingenio & genio, ut inde progrediantur ad opus.

Confirmat hæc Sapiens dum ait: *Ante ruinam mala cogitatio*. Prius ergo vulnus cordi infligitur, mox livor erumpit in cutem, tum ex livore vulnus apertum: Sic ait *Isaias* contigisse *Judæis*: *Dereliquerunt, inquit cap. 1. dominum, blasphemaverunt Deum Israel, abalienati sunt retrorsum*: Primo & ante omnia recesserant à Deo in corde, mox in ore prodiit blasphemia, denique recesserunt à via vitæ.

Audio *Salomonem cap. 2. Sapient.* describentem aliquot juvenes luxuriosos, ebriosos, voluptuosos, crudeles, impios: *Luxuriosos*, quia vix erat locus in quo non relinquebant vestigium suarum impuritatum: *Ebriosos*, quia implebant se, inquit *Salomon*, vinis pretiosis: *Voluptuosos*, quia coronabant se rosis, & fruebantur bonis hujus mundi, sectantes omne genus deliciarum: *Crudeles*, quia opprimebant pauperes, persequerantur innocentes, & non parcebant viduis: Denique impios, quia non credebant animæ immortalitatem. En quanta farrago, & colluvies criminum: Ex quo fonte illa profuxit? ex cogitatione originem traxit, nam *Salomon* ait: *Hæc cogitaverunt*, hoc primum: Quid deinde? ex cogitatione in corde, ventum est ad verba, *dixerunt* enim, inquit *Salomon*, & inierunt consilia quomodo hæc opere complerent, donec tandem & cogitationes, & verba proruperunt in opera. Viden quod verum sit quod idem *Salomon* ait: *Ante ruinam mala cogitatio?* & illud *Augustini*: Nihil malorum quod cogitatio non antecedit mala?

Hoc etiam probè sciebat *S. Iob*. ideo, inquit *cap. 31. Pepigi fœdus cum oculis meis ut ne quidem cogitarem de Virgine*, ne scilicet ipsam opus cogitationem sequeretur.

Quid ergo factio opus? quid fit quando volumus sistere fluxum & cursum

cursum torrentium? obturandus est fons: Atqui cogitatio fontis malorum est, si ergo sistere volumus cursum peccatorum, cogitationes vel prævertendæ sunt, vel repellendæ.

Hoc clamat *Isaias* Propheta cap. 1. *Auferte malum cogitationum vestrarum.* Hanc etiam doctrinam inculcat *Eustochio* Virgini epist. 22. *de custod. virginit. D. Hieronymus*, ubi explicat illa verba *Davidis*: *Beatus, qui tenebit & allidet parvulos suos ad petram*, & sic ait: Ille laudatur, ille prædicatur beatus, qui ut cœperit cogitare fordida, statim interficit cogitata, & allidit ad petram, petra autem *Christus* est.

Simili modo *Augustinus de honest. mulier. cap. 5.* Si aliquis, inquit, carbonem apprehenderit, & cito eos projecerit, nihil ei nocebit, ita & qui libidinis malum in corde suo morari permiserit, excutere à se sine maxima plaga non poterit.

Fratres *Iosephi* cogitationes de occidendo illo in corde foverunt, ideo ab uno peccato, in plura alia graviora prolapsi sunt, juxta illud axioma Philosophorum quod receptum est à Theologis, nempe, *dato uno absurdo, facile sequuntur alia plura*: Sicuti enim figlobus volvatur à vertice montis, non cessat donec per spinas, & vepres, & frutices perveniat ad profundum vallis, sic creatura rationabilis, si semel inceperit dare locum peccato mortali, prolabetur in plura, donec decidat in abyssum: Unum enim peccatum, inquit *D. Gregorius*, suo mox pondere ad aliud trahit. Vitia enim sic à se mutuo dependent, sicut annuli catenæ, si unum annulum trahis, necesse est alios sequi, parvum sæpe est à quo incipimus, sed sequitur magna cauda.

*Petrus* Apostolus montem *Olivetum* aditurus cum *Christo*, primo nimium sibi præfiderat dicens: *Etsi omnes te negaverint, non te negabo.* Deinde, cum deberet orare, dormivit, cum deberet quiescere, strinxit gladium & pugnavit contra *Malchum*, cum deberet stare, aufugit, cum deberet ire ad latus *Christi*, secutus est à longe, tandem cum deberet *Christum* libere confiteri, negavit, mentitus est, juravit, se hominem non nosse. Atque ita catenam sibi fabricavit: à minimo ad maximum. Sic etiam *Iudas. 1.* Nimis amans pecuniæ, tum avarus, deinde fur, postea murmurator contra bona opera, tum contemptor salubrium monitionum, deinde violator sanctissimi Sacramenti, postea proditor infamis Domini sui, tandem interfecto sui. Viden ut vitia sint catenata? peccatum primum januam aperit secundo, secundum tertio, tertium quarto, sic  
itur



itur donec veniatur in abyssum unde non datur exitus; Et ita contigit fratribus *Iosephi* ut patebit ex discursu historiae.

Unus tamen fuit inter alios qui caeteris se opposuit ne fratrem occiderent, & hic erat *Ruben*; videamus quid ille fecerit.

## DISCURSUS V.

*Fratres Iosephi projiciunt illum in cisternam veterem.*

*Deinde venundatur Ismaëlitis.*

**R***uben*, inquit Scriptura; audiens quod vellent illum occidere, nitebatur illum liberare de manibus eorum, & dicebat: Non interficiatis animam ejus, nec effundatis sanguinem, sed projicite eum in cisternam hanc quae est in solitudine, manusque vestras servate innoxias, hoc autem dicebat volens eripere eum de manibus eorum, & reddere patri suo: Confestim igitur ut venit ad fratres suos, nudaverunt eum tunica talari & polymita, miseruntque eum in cisternam veterem quae non habebat aquam.

Axioma Theologorum est: E duobus malis minus eligendum quando aliter fieri non potest. Malum erat occidere fratrem, & malum erat illum in cisternam projicere, sed minus quam occidere: Cum ergo *Ruben* videret fratres suos pertinaciter in proposito *Iosephum* occidendi persistere, consuluit minus, nempe ut illum vivum in cisternam projicerent ubi non erat aqua: Et quamvis illud consilium ex parte personae consulentis bonum non esset, poterat enim aliter fieri, quia *Ruben* tanquam primogenitus, & familiae caput, debebat *Iosephum*, pro auctoritate sua, absolute illorum manibus eripere, & remittere ad patrem; ex parte tamen finis quem sibi proposuerat, malum non erat, quia consilium illud in cisternam mittendi dabat, ut fratrem suum absentibus fratribus, e cisterna educeret, duceretque ad patrem. Quidquid sit, fratres secuti sunt illud consilium, & *Iosephum* superiori tunica exutum miserunt in cisternam veterem, hoc est, in puteum ubi olim fuerat aqua de qua oves pastorum bibebant, jam vero propter vetustatem desierat. Atque ergo erat de vita *Iosephi*, nisi *Ruben* consilium illud dedisset.

*Confli-* Consilium bonum ubique & omnibus necessarium est, sed ma-  
*vii adhi-* ximè in omni regimine sive rerum publicarum, sive familiarum.  
*gendis sed* Probat hoc commune proverbium: Quisque caecus est in propria  
causa,

causa quantumvis sagax & prudens: Et illud: Plus vident oculi <sup>ante omnia</sup> quam oculus. Quis unquam, inquit *Seneca de tranquill. cap. 1.* sibi <sup>Deus.</sup> verum dicere ausus est? quia in omnibus nostris nobis plerumque blandimur, & iudicio favor officit: Accedit amor proprius qui nobis ea quæ cupimus, tanquam iustiora & utiliora proponit, quæ tamen reipsa nobis damnosa sunt & mala.

Hæc denique est communis Patrum ac Philosophorum doctrina. Mentitur noster aspectus, inquit *Ambrosius lib. 4. Hexam. cap. 6.* noli ergo fidele ejus æstimare iudicium. Plerique, inquit *Aristoteles lib. 5. Polit.* de propriis rebus suis mali sunt iudices. Fallimur enim sæpe etiam in rebus clarissimis, quid ergo erit in obscuris aut dubiis? Igitur, inquit *Salomon Prov. cap. 3.* Ne innitaris prudentia tua, ad eoque nihil sine consilio facias, inquit *Ecclesiasticus cap. 32.*

Iam quæstio est, quales in consilium adhibendi sint. Hanc quæstionem solvit *Rabanus* dum ait in *Glossa*: Prævidenda est consilii prudentia, fides, voluntas, religio. Prudentia requiritur ut possit distinguere inter bonum & malum, prævidere quid commodi vel incommodi ex ejus consilio sequi possit: Requiritur fidelitas ut non decipiat, & non duplici animo agat, sed verbis exprimat quod sentit in corde? Requiritur bona voluntas ut non spectet proprium commodum & utilitatem, sed alterius, & non procedat ex passione. Denique requiritur religio ac pietas ut consulat ea quæ possint alteri conducere ad animæ ipsius salutem. Quare si constiterit aliquem esse vitiosum, negligentem religionis, odiosum Deo, nullo modo est audiendus, nam è cænofo fonte hauriri non potest limpida aqua: quis enim credat illam alteri bene consulere posse qui non bene consulit sibi? Stultum est, in rebus sacris consilium petere à profano, in virtutum actionibus à vitioso, in fugiendis salutis impedimentis ab eo qui salutem propriam negligit.

His ita positis in genere, descendo ad casus particulares. Agam inprimis de illis qui necdum aliquem certum vitæ statum amplexi sunt, hoc maximè spectat juventutem, & quia ab eligendo vitæ statu potissimum salus dependet, & maxima consultatione prævia opus est, paulo fufius de illo agam.

At primum quidem quanti momenti sit & juvenibus & domicellis certum vitæ statum deligere, non ex Patribus ostendam, sed ex Ethnicis, ut videamus hoc etiam ipsam naturam & rationem docere?

D

Audite

Audite *Ciceronem* loquentem *lib. 1. de Officiis*: Ante omnia, inquit, constituendum est in quo genere vitæ nos esse velimus: Hæc deliberatio est omnium difficillima, ideo maxima hujus rei cura adhibenda est, ut constare in vitæ perpetuitate possimus.

Audiamus *Senecam*: Sic ille *epist. 71.* Respiciendum est ad propositum totius vitæ: Ille enim consentire debet quidquid agimus, non disponet singula, cui nisi jam vitæ suæ summa proposita est. Ideo, inquit *cap. 1. de beata vita*, plurimi peccant, quia de partibus vitæ deliberant, & non de totâ. Scire debet quid petat ille qui sagittam vult mittere, & tunc dirigere, & moderari manu telum.

Verum, inquit *lib. de tranquill.* Videas plerosq; sine proposito vagari, quærentes negotia, qui non quæ destinaverunt, agunt, sed in quæ incurrerunt: Nempè in quæ vel fortuna, vel casus, vel occasio, vel spes commodi, vel utilitatis, vel naturæ impetus, vel focii, vel parentis exemplum pellexerunt: Plerumque enim, ait *Cicero*, parentum præceptis imbuti ad eorum consuetudinem moremque deducimur.

Ita fit: Filius *Cauissidici* ducitur ad jus & praxim; medici, ad scholam *Hippocratis* & *Galenii*; mercatoris, ad patrum suum, ad viri prædivitis officinam, ut libros rationum condiscat; filius centurionis ad castra &c. an unquam tecum antea deliberaſti de tali vitæ genere, an tibi sit futurum saluti? nequaquam, sed, ut ait *Cicero* ad parentum consuetudinem moremque deducimur.

Magnus error, exclamat *Seneca*, nihil enim magis præstandum est, quam ne pecorum ritu, sequamur antecedentium gregem, pergentes non qua eundum est, sed qua itur, & ad similitudinem vivitur: Inde ista tanta coacervatio aliorum supra alios ruentium, quod in magna strage hominum evenit cum ipse populus se premit: Nemo ita cadit ut non alium in se attrahit, primi exitio sunt sequentibus. Hoc in omni vita accidere videas.

Censet ergo hic gentilis Philosophus, illos se perdere, & exitio sibi esse, qui nullam curam adhibent ut certum vitæ statum amplectantur, sed temere quidvis arripiunt.

Interea, inquit *Lesius* noster *Quest. 3. de statu vitæ*, agitur de re non exigua, sed omnium maximâ, nempè de æterna vita, de æterna morte: Sæpe enim à statu vitæ dependet infelix vel felix æternitas, multi enim, inquit, in matrimonio salutem amisere qui in statu spirituali salvi fuissent, contra, quidam pereunt in statu spirituali vel religione, qui in matrimonio salvi fuissent. Cum autem hoc  
spe

spectent potissimum juvenes qui plerumque naturæ impetu, aliisque passionibus abripiuntur, necesse est ut nullum vitæ genus arripiant, nisi consiliarios adhibeant. Videamus quales illi debeant esse. Ante omnia consulendus Deus, sine quo si quid statuimus, vanum est. Proposito ergo ex una parte statu matrimonii, ex altera statu spirituali, rogandus Deus quotidie, ut nobis inspiret quod scit futurum maximè salutare, & in eum finem crebrius confitendum & communicandum, ut inspiratione divina digni reddamur, solus enim Deus in particulari hoc novit, qui omnes rerum eventus certò prænoscit. Si enim ipsi Ethnici volebant nihil prorsus nos aggredi sine Deo, juxta istud illorum axioma: *A Iove principium*, quando magis statum vitæ quæ est res omnium maxima, ut *Cicero* ait?

Quam pauci qui hoc faciant in deligendo matrimonii statu? eo enim plurimi convolant non semel consulto Deo, an in tali statu sint operaturi salutem suam: Quisquis ita procedit, merito timere debet quod ipsius matrimonium etiam futurum sit sine Deo: Quid aliud hinc expectandum quam infelix matrimonium? Consulto prius Deo, etiam consulendi parentes, qui enim rationabiliter invitatis vel insciis parentibus matrimonium ineunt, graviter peccant contra omnem respectum quem debent parentibus, ideo permittunt leges ut severè possint à parentibus castigari, etiam exheredatione bonorum.

Propono vobis in exemplum juniorem *Tobiam*: Ibat hic cum angelo *Raphaele*, sed incognito, ad civitatem *Rages*: In via dicebat angelus, *Tobia*, est in illa civitate vir quidam nomine *Raguel*, habet hic filiam nomine *Saram*, hanc debes accipere in uxorem: Cum eo pervenerimus petas illam à patre, & tibi dabit. At, inquit *Tobias*, audi vi quod ista filia septem viros habuerit, omnesque prima nuptiarum nocte occisos esse à diabolo, vereor ne mihi simile quid contingat, & cum sim unicus filius, quanto dolori hoc foret parentibus meis? non dubito quin præ dolore morerentur. En juvenem qui ceteros omnes doceat, quando enim cum illo agitur de matrimonio, ante omnia sollicitus est de sua salute, ne à dæmone occidatur, & nihil audet tentare insciis & invitatis parentibus ne illos dolore afficiat.

Jam quæstio est quos consiliarios adhibere debeat is, qui de statu spirituali amplectendo deliberat.

In primis, ait *S. Thomas Opusc. 17. cap. 10.* Ab hoc consilio amovendi sunt

funt ſæculares præſertim tales qui nihil aliud ſomniant niſi quod terrenum & ſæculare eſt, divitias, honores, voluptates, quomodo enim illi poſſint conſilium dare de ſtatu vitæ quæ tota dicanda eſt Deo, cum vix ipſi norint quid ſit Deo ſervire? Tales, inquit *D. Bernardus ſerm. Ecce nos*, dicent: Noli præcipitanter agere, diu delibera, magnum eſt quod proponis, & opus habens multa deliberatione, experire quid poſſis, ne poſt factum poenitere contingat: Tales ſplendore rerum temporalium excæcati, putant voluntariam paupertatem eſſe miſeriam, caſtitas illis videtur melancholia, obedientia ſervitus, ſobrietas afflictiõ, habitus vilis, dedecus, denique omnia vitæ ſpiritualis exercitia homine generoſo indigna. Fieri non poteſt ut ex tali corde ſana conſilia prodeant. Ergo conſulendi illi qui vitæ ſpiritualis notiã habent, & experti ſunt quid ſit Deo ſervire, juxta illud commune proverbium: Cuique in ſua arte credendum eſt.

Cum ergo *Ruben*, volens liberare *Joſephum* à morte, conſilium dediffet fratribus ſuis ut cum potius projicerent in cifternam ( ipſe enim in animo habebat illum inde extrahere ) ſecuti ſunt conſilium ipſius, & nudaverunt eum tunica polymita ac talari, miſeruntque in cifternam. Hoc initium fuit perſecutionum & paſſionum *Joſephi*.

Non poſſum ſatis mirari quod *Moyſes* illo eodem capite minutiffima quæque deſcribat, & ne verbo quidem uno attigerit querimonias *Joſephi* tam crudeliter tractati à fratribus: Tranſibant illac mercatores *Iſmaëlita* cum ſarcinis, & *Moyſes* in particulari deſcribit quod merces illis ſarcinis continerentur, portabant, inquit *Aromata*, & *ſtraſten*, & *refinam* in *Egyptum*: Quid erat opus tam minutim deſcribere merces? numquid ſufficiebat dicere, tranſibant mercatores? numquid potius deſcribendæ erant lacrymæ, & querelæ, & triſtia verba miſeri adoleſcentis *Joſephi*? certum hoc ſignum eſt, quod ne verbum quidem ullum ſit contra locutus, injuriæque tam atroces ſumma patientia ac ſilentio tolerarit.

Patientia  
via ad  
calum.

Tota perfectio Chriſtianæ vitæ dependet à duabus radicibus, ſcilicet, benè facere, & multa pati: Decipit enim ſeipſum qui ſe ſalvandum putat ſi bonis operibus non addat patientiam, quotieſcumque ſeſe offerent occaſiones aliquid tolerandi.

Poſſumus hoc videre in *S. Paulo*. Cum *Chriſtus* illi appareret in via *Damaſcum* verſus, & clamaret de cælo: *Saule, quid me perſeque-  
ris?*

videtur petiit Saulus: Domine quid me vis facere? offert se Paulus, ut bonus Christianus, facere opera bona; sed hoc non erat satis, ut patet ex verbis quæ dicebat Christus Ananiæ discipulo suo: Ego, inquit, ostendam Paulo quanta oporteat eum pro nomine meo pati.

Nihil frequentius clamant Scripturæ quam patiendum esse ut perveniatur ad cælum. Hoc clamat Christus Matth. cap. 5. Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum: Iterum: Beati eritis cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint. Hoc clamant Apostoli. Per multas tribulationes oportet intrare in regnum Dei. Hoc denique Christus Matth. cap. 16. Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Quomodo fieri potest ut aliquis abneget seipsum? nam ut ait D. Gregor. Hom. 32. in Evang. Fortasse laboriosum non est homini, relinquere sua, sed valde laboriosum est, relinquere semetipsum.

Audiamus quid fecerit D. Gregorius Nissenus ut sententiam illam Christi, abneget semetipsum, declararet. Quærebat ex eo quidam ejus discipulus quomodo hoc esset intelligendum? Vade, inquit, ad cæmeterium, & dic omne malum quod poteris fingere, contra ossa mortuorum quæ illic reperies. Cumque eò abiisset, incepit dicere mille injurias, & exclamare: O vos ossa pessimorum hominum, latronum, homicidarum, usurariorum, adulterorum, denique quidquid illi veniebat in buccam: Hoc facto revertitur ad S. Gregorium, & ait se complevisse quod jusserat. Quid, inquit Gregorius ista tibi responderunt? nihil omnino, aiebat discipulus; Tunc ait Gregorius, hoc est abnegare semetipsum, ut nullas injurias sentias. Hoc est, ita te habeas, quasi surdus ac mutus esses, sentire enim humanum est ac naturale, ideoque non malum, sed illis non turbari, hoc facit amor divinus, quem propterea Salomon Cant. cap. 8. comparat morti: Fortis, inquit, ut mors dilectio. Si amor Dei eandem habet cum morte potentiam ac fortitudinem: Ergo sicut mors nobis eripit vitam naturalem, sic amor nos privat vitâ sensitivâ, consequenter, sicut mors nos quoad corpus, insensibiles reddit ad omnia, sic amor divinus, animum insensibilem reddit ad persecutiones, afflictiones, & injurias.

Quomodo hoc demonstrare possumus manifestius quam exemplo Davidis? Fugiebat filium suum Absalonem sibi rebellem: In via occurrit illi quidam Semei, qui dicebat illi mille injurias: Egredere, ait, vir sanguinum, vir Belial, reddidit tibi Dominus universum sanguinem do-

*mus Saul.* Non poterat quidpiam pejus illi dici, nam, ut notat *Hieronymus* in 2. *Reg. cap. 18.* uno verbo *Hebraico* exprobrabat *Davidi* quod esset adulter, impius, abominabilis. Quid ad hæc *David?* ne verbum: *Tanquã surdus*, ait, *Ps. 37. non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suũ* & *Ps. 38. Obmutui, & non aperui os meum, quoniã tu fecisti:* Ergo fortis ut mors dilectio, ideo enim & surdus & mutus instar mortui erat *David* ad tam enormes injurias, quia sciebat Deũ hoc permisisse; amor erga Deum insensibilem illum reddebat, consequenter non amat Deum, qui non potest ferre injurias: Amor enim, inquit *D. Gregorius*, magna operatur, si non operatur, amor non est: Atqui nescio an quid majus possit esse quã patienter ferre injurias, dicit enim *Crysostomus* in *cap. 5. Matth.* Nihil prorsus huic gloriae posse comparari, igitur ubi non est tolerantia injuriarum, ibi amor Dei non est quia illic fortitudo non est, sic enim ait Philosophus *Senecalib. de Ira cap. 25.* Proprium est magnitudinis veræ non se sentire percussum, sic irritus ingenti scopulo fluctus assultat: Qui non irascitur, inconcussus injuria perfitit; qui irascitur, motus est. Siluit *Ioseph* innocens inter injurias fratrum, ideo comparavit illius fortitudinem *Moyse* *Dent. cap. 33.* fortitudini Tauri, & Rhinocerotis. Et hoc est quod *Isaias* ait *cap. 30.* *In silentio erit fortitudo vestra:* Nullum majoris fortitudinis signum quam filere & mutum esse inter injurias, adeoque nullum majus amoris divini signum, qui semper fortissima operatur, aut si non facit, amor non est: Inter maximas laudes quas Evangelistæ tribuunt *Christo*, est, *ipse autem tacebat.* Testes, inquit *Matthæus cap. 26.* accusabant eum dicentes multa falsa testimonia, mox addit: *Iesus autem tacebat:* accusabant eum, inquit *cap. 27.* coram *Pilato* Præsidente Principes Sacerdotum, & Seniores, mox addit: *Nihil respondit.* Summus Sacerdos interrogabat illum, inquit *Marcus cap. 14.* *Non respondes quidquam ad ea que tibi obijciuntur?* mox addit: *Ille autem tacebat, & nihil respondit.* Ridebat & spernebat illum *Herodes*, inquit *Lucas cap. 23.* ut hominem fatuum, & mox addit: *At ipse nihil respondebat:* Denique hoc prædixerat *Isaias* cum illum compararet agno qui coram tondente se obmutescit, & non aperit os suum ut contradicat.

Non video cur hæc toties repetantur in Scripturis nisi ut inde discamus singulariter esse heroicum actum, filere inter injurias, eumque exerceri non posse nisi summa cum fortitudine, & amore divino, Aut ergo mundus errat, aut *Christus:* Mundus putat esse ignominio-

miniosū ad injurias filere, *Christus* suo silentio toties contrariū docuit: Atqui *Christus* non potest errare, ergo mundus necessario errat.

Modo videamus quid fecerint fratres *Josephi* cum illum in cisternam misissent: Statim, inquit Scriptura, *sedentes comederunt panem*. Itane? lubet epulari post tantum scelus? fratrem vultis fame perire, & vos comeditis? exposuistis illum moribus belluarum, & tam securi estis ut comedatis: Auditis innocentem puerum lacrymantem, & non compatimini?

Hoc est quod *Salomon* ait *Prov. cap. 2. Exultant cum male fecerint: omne peccatum malum est, sed nihil pejus nec abominabilius quam post peccatum peractum adhuc vel exultare, vel se de eo jactare* Lætarī  
in malo  
impium? quasi benè fecisses, hoc enim est post Deum offensum, post injuriam majestati illius illatam, illi adhuc insultate, quasi vel non debuisset prohibere quod tu fecisti, vel certè legem ab illo latam irridens quasi indignam quæ à te servaretur.

Potestne aliquid excogitari indignius homine quam lætari, cum deberet ex intimo cordis sui ingemiscere, & tundere pectus suum, præ dolore, & exclamare cum  *Davide: Peccavi Domino?* quam exultare, cum deberent oculi ejus esse duo fontes lacrymarum? quam gloriari in peccato, cum deberet illud ex totis viribus detestari? quam statim post peccatum bibere & comedere, cū deberet sedere in cinere, & pœnitentiã agere in cilicio? quid hoc est? hoc nihil est aliud quã omnē naturam humanam ac rationē procul à se abjicere.

Hoc merito deplorat *D. Bonav. ser. 2. de Magd.* Perdit, inquit, hominem, & sollicitè eum quærit: Perdit equum, & non quiescit, perdit ovem, & post eum vadit: perdit peccando Deum, & quiescit, comedit, bibit, & non quærit. Ergo in suo peccato lætari, est animam minoris facere quam bestiam, imo diabolicam est ut notat *D. Bernardinus*: Sicuti enim, inquit, angeli gaudent super uno peccatore pœnitentiam agente, sic dæmoni proprium est dum homo peccat, exultare in signum odii quo Deum prosequitur, cum illi malè fit, & infertur injuria, igitur nihil habet minus diabolo qui simul lætatur cum illo quando malefecerit.

Hanc diabolicam pravitatem notavit *D. Augustinus* præsertim in adulteris: vertunt, inquit peccata in jocos, juxta illud quod ait *Salomon Prov. cap. 30. mulier, inquit, adultera, tergit os suum, & dicit: non sum operata malum.*

Commiserant gravissimum scelus filii *Israel* in deserto, ut narratur

*Exodi*



*Exodi cap. 32.* Fecerant enim vitulum aureum, ut illum adorarent, erexerant illi idolo altare, obtulerant sacrificia, jusserant voce preconi proclamari: *Cras solemnitas Domini est*, & ipsi se mutuo excitantes ad istum impium cultum, clamaverant: *Hi sunt dii tui Israël qui te eduxerunt de terra Ægypti.*

Quot & quam atrocia scelera in una ista idololatria! in primis bestiam *stertilem* adorare ut Deum, quid potest abominabilius excogitari? 2. Illi idolo altare erigere & sacrificia offerre quæ soli vero Deo debentur, Potest-ne major esse honoris divini contemptus? 3. Proclamare festum illud esse solennitatem Domini, quantum sacrilegium, mutare festa Dei in solennitatem idoli! Denique clamare: *Hi sunt dii tui Israël qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Quanta impietas & ingratitude! sciebant, & viderant *Pharaonem* cum toto exercitu suo, cum exirent *Ægypto*, à Deo submersum in mari rubro, viderunt sua castra præcedentem semper columnam ignis de nocte, & nubem de die cum jam iter aggredierentur, & adhuc dicunt illum vitulum esse Deum qui illos eduxerat ex *Ægypto*: Intolerabilis ingratitude!

Et tamen post tot tantaque scelera, inquit Scriptura, *sedit populus manducare & bibere*, quasi præclarè rem præstitissent: Deinde bene pasti, *surrexerunt ludere*, quasi ludus esset peccare: Denique omnia resonabant festivis vocibus, & cantibus, & post tanta scelera, exultabant, & effundebant se in omne genus lætitiæ & oblectamenti.

Quid ergo mirum quod tanta impietas, & inhumana insolentia, jubente Deo, constiterit sanguine viginti trium millium hominum: Nec hoc Deus contentus, præterea dixit: Ego adhuc peccatum illud visitabo in die ultionis, reservans sibi adhuc vindictam pro die judicii.

Sed parum est hujusmodi homines in hæc vita puniri, audi quid dicat *Iob cap. 21.* ubi describit paucis verbis vitam impiorum, dicens: *Ducunt in bonis dies suos*, hoc est, totam vitam impendunt libidini & omni generi peccatorum, currunt eorum filii sus deque, sine fræno, & sequuntur vitia parentum: Interea inquit *Iob*: *tenent tympanum & cytharam*, gaudent ad sonitum organi, & exultant, & saltant, quasi nihil mali commiserint, & peccata forent materia gaudii: Sed quid postea? *In puncto ad inferna descendunt.* Numquid merito merentur luctum æternum qui gaudent ob Deum offensum

sum, & exultant in ipsius contemptu? quid enim atrocius, etiam inter homines, quam gaudere in malo alieno? Interea dum fratres *Ioseph*, quasi sibi gratulantes de miseria *Ioseph*, simul in publico campo epularentur, viderunt, inquit Scriptura, *Ismaelitas* viam venire de *Galaad*, & camelos eorum portantes aromata in *Aegyptum*. Dixit ergo *Iudas* fratribus suis: Quid nobis prodest si occiderimus fratrem nostrum & celaverimus sanguinem ipsius? melius est ut venundetur *Ismaelitis*, & manus nostra non polluantur, frater enim & caro nostra est. Et acquieverunt fratres sermonibus illius: Extrahentes ergo eum de cisterna, vendiderunt eum *Ismaelitis* viginti argenteis, qui duxerunt illum in *Aegyptum*.

Ex sequenti discursu patet *Ruben* fratrem natu maximum huic actioni non interfuisse, dicit enim Scriptura: Reversus *Ruben* ad cisternam, non invenit puerum, & scissis vestibus pergens ad fratres suos, ait: Puer non compareret, & ego quo ibo? Verosimile est quod separatus à fratribus, occasionem expectaret ut fratrem de cisterna solus extraheret, & duceret ad patrem suum: Prius consilium dederat ut illum non occiderent, sed mitterent in cisternam, at hoc dicebat, inquit Scriptura, illa intentione ut illum postea liberare posset, & reddere patri suo.

Aderat ergo *Iudas* cum venirent *Ismaelita*, & ille volens liberare *Iosephum* à morte, ne in cisterna fame periret, vel discerpere- tur à belluis, consilium dedit ut venundaretur *Ismaelitis*.

Deus erat qui loquebatur per os ejus qui volebat permittere ut innocens in cisterna moreretur, omniaque sic disposuerat ut *Ioseph*, juxta somnia quæ habuerat, magnus fieret in *Aegypto*, & suo tempore à fratribus adoraretur. Hæc est mens *Chryso- stomi Homil. 61. in Genes.* Servavit, inquit, Deus *Iosephum*, ut fratres ipsius etiam inviti, dispensationi divinae servirent, & facerent ea quæ Deus per visiones prædixerat.

Itaque vendiderunt fratrem suum *Ismaelitis* qui duxerunt illum in *Aegyptum*. Finis quem Deus sibi proposuerat bonus erat, sed quem fratres sibi proponebant, malus: Hi enim illum vendebant ut factus mancipium, spes non esset fore ut illum aliquando adorarent; sed contra evenit, inquit *D. Gregorius*. Ideo enim per dispositionem divinam venditus fuit ut adoraretur.

Unde rectè inquit *Salomon Prov. cap. 21. Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum.* Hoc est quod *Ioseph*, cum

E illis

illis postea innotuisset, dixit: *Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum*: Deus enim ipsorum malum consilium verterat in bonum.

Cæteroquin tria rursus hic gravia peccata commiserunt illi fratres. 1. Quia venderant illum in servum: Erat hæc magna injustitia, eripiebant enim *Joseph* ad quod habebat jus à natura, scilicet libertatem: unde tulit hanc legem Deus *Exodi cap. 21. Qui furatus fuerit hominem, & vendiderit eum, convictus noxæ, morietur*: Et aliqui maluerunt vitam amittere quam libertatem. Secundum crimen fuit impietas erga parentem. Tertium contemptus Dei. Denique assidue ex uno peccato ruebant in aliud.

## DISCURSUS VI.

*Mittunt tunicam Josephi sanguine tinctam ad Patrem;  
illius dolor.*

**I**am *Joseph* venditus erat à fratribus, & ductus in *Aegyptum*; quid jam consilii? gravissimè enim peccarant contra parentem, orbando illum filio quem præ cæteris adamabat, merito ergo time-re poterant se graviter à patre puniendos, si id rescisset: Quid ergo consilii? *Tulerunt*, inquit Scriptura, *tunicam ejus, & in sanguine Hædi, quem occiderant, tinxerunt, mittentes qui ferrent ad patrem, & dicerent: Hanc invenimus: vide utrum tunica filii tui sit, an non: Quam cum agnovisset pater, ait Tunica filii mei est, fera pestima devoravit Joseph.*

Hac fraude volebant tegere malitiam suam, & ut adhuc magis occultaretur, non tulerunt ipsi-met tunicam, sed alios miserunt qui ferrent, ne suspicio suboriretur Patri illos fratrem occidisse, nam, ut ait *Ovidius: difficile est crimen non proderè vultu*, timebant crimen ex corde proditurum in faciem. Ergo omnem modum adhibent ut tegatur.

Frustra est: Dicit enim *Christus Matth. cap. 10. Nihil opertum quod non reveletur, & occultum quod non sciatur*, vel statim, vel aliquanto tempore post. Jam fratres illi tegunt crimen suum coram parente, frustra est, tandem aliquando erumpet quando veniet in *Aegyptum*.  
Omnia

Omnia quidem & singula peccata hominum quantumvis in occulto facta, patebunt in die iudicii, ita tamen disposuit providentia Dei, ut plerumque etiam in hac vita revelentur ad maiorem confusionem peccatorum, & terrorem cæterorum. Scriptura multam in hac re materiam nobis suppeditat. 1. *Exodi cap. 2.* Occurrebat Moyses cuidam *Agyptio* qui percutiebat unum ex filiis *Israel*, cumque circumspexisset, inquit Scriptura, *huc atque illuc, & nullum adesse vidisset, percussus Agyptium abscondit sabulo.* Et tamen statim addit Scriptura: *Egressus Moyses die altero, vidit duos Hebræos rixantes, dixitque ei qui faciebat injuriam: Quare percutis proximum tuum? & respondit: Quis te constituit principem & iudicem super nos? num occidere me tu vis, sicut heri occidisti Agyptium? Timuit Moyses, & ait: Quomodo palam factum est verbum hoc? fecerat enim quantum poterat, ut lateret: Tamen, inquit *Salianus*, quantacumque usus fuerat circumspeditione in occultanda cæde, non potuit vitare quin res maneret in vulgus, imo deferretur ad regem *Pharaonem*, qui volebat propterea, ut ait Scriptura, *Moysen occidere.**

2. *Lib. 2. Reg. cap. 12.* narratur quantam *David* adhibuerit diligentiam, ut occultaret adulterium suum cum *Bethsabæe* uxore *Vriæ*: **Ac** primum quidem vocavit *Vriam* ex castris, dixitque ei: *Vade in domum tuam, ut scilicet cognosceret uxorem suam, ut illi, & non Davidi imputaretur fætus qui ex adulterio natus est, iussit Vriam benè tractari missis illi cibis de mensa sua: Sed non ivit Vriæ domum, pernoctavit enim cum aliis aulicis ad introitum palatii, quod cum relatum esset ad Davidem, dixit illi: Numquid de via venisti? quare non descendisti in domum tuam? & ait Vriæ ad David: Arca Dei & Israel, & iuda habitant in papilionibus, & dominus meus *Ioab*, & servi domini mei super faciem terræ manent, & ego ingrediar domum meam, ut comedam & bibam, & dormiam cum uxore mea? per salutem tuam, & per salutem animæ tuæ, non faciam rem hanc.* *David* his non contentus, vocavit *Vriam*, inquit Scriptura, *ut comederet coram se, & biberet, & inconvivisset eum, qui egressus vespere, dormivit in strato suo cum servis Domini sui, & in domum suam non descendit.* Tandem *David* videns se frustra laborare ut *Vriæ* accederet ad uxorem suam, ne fortè aliquam eî suspitionem moveret, si nimium premeret, adulterium suum tegere voluit alio non minori peccato. Scripsit enim ad *Ioab* ducem qui erat in castris, & obsidebat urbem *Rabbat*, ut poneret *Vriam*, ubi acrius erat prælium, eumque dereliqueret ut percussus interiret,

teriret, atque ita factum est: Cumque nuntius missus ad *Ioab* nuntiaret *Davidi*, quid actum esset *Vriam*, quasi ipse illius cædis prorsus inscius esset, respondit: *Varius eventus est belli, nunc hunc, nunc illum consumit gladius*: Vade, & dic *Ioab* ut propterea non despondeat animum, sed strenuè pergat in obsidione. Poterat-ne majora & efficaciora media adhibere ut adulterium maneret occultum? frustra omnia, nam post omnia venit ad illum *Nathan* Propheta dixitque illi ex parte Dei: Tu in abscondito occidisti *Vriam*, & uxore ejus abusus es, ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis *Israel*, & in conspectu solis. Ergo nihil tam occultum, ut ait *Christus*, quod non revelabitur.

Peccata  
latere  
non pos-  
sunt cri-  
am in  
hac vita.

Denique peccata latere non possunt, quantumvis illa conemur abscondere: In occulto peccas, sed non silebit iniquitas cum te prostraverit. *Cain* clanculum fratrem occidit: Nullus parricidii testis, nullus iudex, denique in agrum exiit ut secreto cædem patraret: verum patrato scelere, ipse sanguis iniquè profusus clamare cœpit de terra. Hinc dicebat illi Deus *Genes. cap. 4. Si malè egeris, statim in foribus peccatum tuum aderit*. *Indas* tam placidè *Christum* prodidit ut latente in corde proditione, ex eadem patina cum *Christo* canaret. Post proditionem verò ita in ejuspectore clamare proditio, cœpit, ut potius laqueum eligeret quo se suspenderet, quam clamorem istum ferret.

Non ibi quiescit scelus ubi nascitur: Videtur *David* hoc voluisse significare, cum ait *Psal. 139. Cogitaverunt iniquitates in corde, tota die constituebant praelia*: Vides hic quod occulta in corde iniquitas ita erumpat, sicuti clangore tubarum, & tympanorum strepitu, & clamore pugnantium, & bombardarum explosione, bellum se prodit: hoc est quod *David* ait: Peccasti in corde, & in occulto, non manebit occultum, sed erumpet cum strepitu & clamore sicut bellum. Ignis quantumvis occultus in domo, detegitur per fumum, numquam illum celabis quamdiu caminus est. Mergitur quis in mari, ad fundum usque pervenit, & occultissimè perit, ubi vero perierit, ab imo ad summum ejicitur & fatens cadaver in littore jacet toti mundo conspicuum: minimum, inquit *Christus*, est granum Sinapis, & latet sub terra dum putrescit, verum ubi computruerit, assurgit in truncum, explicat ramos, & ingens ad arborem concursus volucrum fit. Sic minimum putatur peccatum cum patratur, & in abscondito fit, sed erumpit suo tempore, & sese per

per hominum ora perque domos diffundet, juxta illud proverbium etiam corvi prodeunt. Tam occultè sol vapores bibit è terra ut à nemine videantur, sed ubi in nubem evasère, se manifestant imbribus, fulguribus, ac tonitruis.

Nullum crimen plerumq; occultius committitur quam impudicitia: Ideo, meo quidem judicio, floribus comparata est, non tantum quia fragilis est & vana, sed quod odore se prodat, latere non potest flos, etiam cum absconditus est, proditor illius est odor vel factor: Simili modo luxuria quæ latet in corde, suo factore animum peccasse indicat, facitque ut etiam post mortem fateat, dum homo vix expiravit.

Denique ipso etiam sæpe elucet in vultu. Amabat impudico amore fororem suam *Thamarem Amnon* primogenitus *David*, sed iste amor ita se prodebat in vultu, ut ab omnibus aulicis notaretur.

Idem plerumque evenit in aliis peccatis. Quare putatis Apostolum *Petrum* & non *Ioannem* interrogatum in domo Pontificis ab ancilla, an esset ex discipulis *Christi*? uterque admissus erat in domum, & *Ioannes* notior erat Pontifici quam *Petrus*. Ancilla tamen fabulatur cum ignoto, & non alloquitur familiarem Pontifici: Puto quod ista ancilla, dubitationem & timorem, notas animi, in vultu *Petri* reflexerat, hinc illi exprobrabat quod esset discipulus *Christi*, timor elucens in vultu hominem prodebat. Sicut enim, ut ait *Ecclesiasticus cap. 8. Sapientia hominis lucet in vultu ejus*, sic suas vultui notas imprimit insipientia peccatoris: Probè hoc sciebat *Cain*, quamvis enim tam occultè occiderat fratrem, ut putaret etiam Deum cædis illius non esse conscius, timuit tamen ne quis obyii hanc in ejus vultu viderent, & illum occiderent ut *Abelis* mortem ulciscerentur, dicebat enim Deo: *Omnis qui me invenerit, occidet me*: Nulli notum erat homicidium nisi soli Deo, quid ergo timendum ab hominibus, & quidem ab omnibus qui nihil prorsus sciebant? timebat ergo hoc unumquemque visurum ex vultu.

Verum tam cæci sunt plerique peccatores ut sua peccata quæ hominibus manifesta sunt occulta penitus esse existiment. Hanc stultitiam clarè videre possumus in *Juda*, proditore, & nullibi melius: Dicebat *Christus Matth. cap. 26. discipulis suis simul secum assidentibus mensæ: Amen dico vobis, quia unus vestrum me traditurus est, & contristati valde, ceperunt singuli dicere: Numquid ego sum Domine?*

at ipse respondens ait: Qui tingit mecum manum in parapside, hic me tradet: Respondens autem Iudas qui tradidit eum, dixit: Numquid ego sum Rabbi? omnes Apostoli ex prædicatione Christi trepidabant, & interrogant singuli, cum tamen in conscientia sua scirent se innocentes: Iudas verò sine metu, & quasi prorsus innocens foret, interrogat Christum, & manum etiam in parapsidem mittit, sed quo fine hoc explicat nobis D. Hieronymus; Dixerat, inquit, Dominus: Unus vestrum me tradet, perseverat proditor in malo: Ipse reliquis retrahentibus manum, solus manum in parapsidem cum Christo mittit, ut audacia bonam conscientiam mentiretur: Tam enim cæcus erat ut putaret neminem proditoris illius esse confcium, cum tamen Christus illum publicè, quamvis tacendo nomen, redarguisset.

Vide ergo differentiam inter Iudam, aliosque Apostolos, hi sciebant se puram ab omni labe habere conscientiam, & tamen timent ne fortè verum sit quod ipsa veritas prævidebat. Iudas vero, inter evidentissima signa proditoris, nec timet humanæ conscientie fragilitatem, nec divinam reveretur præscientiam, existimat crimen suum latere posse, & sui cordis consilium occultum esse.

Accipe aliud exemplum mulieris Samaritana, quæ veniebat ad fontem juxta quem fatigatus ex itinere Christus confederat, ut Ioannes narrat cap. 4. Dicebat illi Christus, voca virum tuum: Respondit illa: Non habeo virum; bene, inquit Christus, dixisti quia non habeo virum, quinque enim viros habuisti, & quem jam habes, non est tuus. Ipsa rei novitate percussa, Domine, inquit, ut video, Propheta es tu: Non video ego quomodo mulier ista Christum pro Propheta haberet, quia dixerat quod quinque viros illegitimos, ut putat Augustinus; habuisset. Quid enim in tota civitate poterat esse magis publicum, & omnium ore decantatum quam illius incontinentia, quæ tot viros habuerat quibuscum peccaverat, & adhuc sextum habebat quicum vivebat in adulterio: sed tam erat excæcata, ut quæ publicè nota erant, & quasi, ut vulgò dicimus, ambulabant per plateas, tam occulta esse existimabat, ut à nemine sine revelatione divina, vel spiritu prophetiæ, cognoscaut sciri possent.

Sic plurimi alii peccatores quasi nihil egissent, cum sint infames, capite in cælum elato incedunt, & comparent in publico quasi puri ab omni labe, & innocentes: Atque ita fit ut tales homines dum sua peccata aut non vident, aut nolunt videre, maximè acuti sint in pervidendis defectibus alienis.

Patet

Patet inter alios in *Pharisæo* qui in templum venerat oraturus. Homo erat, ut cæteri *Pharisæi*, plenus vitiis, hoc est superbus, hypocrita, in dandis eleemofynis, & in faciendis longis orationibus publicè in plateis, nihil aliud captans nisi vanam gloriam, & gratiam hominum, superstitiosus, viduarum deceptor, omnium aliorum contemptor, infamis propter injustitias &c. Hic tamen tam cæcus erat ut nihil horum videret, dicebat enim: *Non sum sicut cæteri hominum*, nullum excipit, omnes flagitii arguit, se solum deprædicat, dicens: *Iejuno bis in sabbato, decimas do omnium quæ possideo, sed quales sunt cæteri homines? raptores*, inquit, *injusti, adulteri*: Ecce, videt in aliis etiam peccata quæ non erant, falsum enim erat quod omnes reliqui homines, nullo excepto, tales erant, quales ipse depingit: videbat retro se stantem aliquem *Publicanum*, ille, inquit, est raptor, injustus; verum quidem est quod *Publicanus* ille haberet suos defectus, sed oportebat *Pharisæum* proprium suum animum inspicere, & non alienum, sed ideo tam perspicax erat in alienis, quia prorsus cæcus erat in propriis.

Videamus modo quid fecerit *Iacob* cum tunicam sanguinolentam *Iosephi* videret, & illi qui attulerant, dicerent: *Vide utrum tunica filii tui sit, an non*: Ah!, inquit, *fili mei tunica est: Fera pestimacome dit eum, bestia devoravit Ioseph: Scissisque vestibus indutus est cilicio, lugens filium suum multo tempore: Congregatis autem cunctis liberis ejus ut lenirent dolorem Patris, noluit consolationem accipere, sed ait: Descendam ad filium meum lugens in infernum.*

Non est hic dolor absimilis dolori *Davidis* cum deploraret mortuum suum filium *Absalonem*; de quo sic ait Scriptura *lib. 2. Reg. cap. 19. & 19. Contristatus rex, ascendit cenaculum porta, & flevit, & operuit caput suum, & clamabat voce magna: Fili mi Absalon, Absalon fili mi, quis mihi tribuat ut ego moriar pro te, Absalon fili mi, fili mi Absalon.*

Ecce quantus utriusque dolor propter mortem filii sui, sed non habebat uterque eandem rationem sic dolendi ac flendi. *David* enim deplorabat mortem animæ filii sui, & *Iacob* mortem corporalem sui *Iosephi*. Uterque laudabiliter, *David* tamen laudabilius, quia flebat mortem æternam *Absalonis*, sciebat enim, aut certè magnam rationem suspicandi habebat quod absque pœnitentiâ mortuus esset in peccato: Justè flebat, inquit *Gregorius* filium parricidam, *David* vir sanctus erat, propterea non adeo curabat temporalem filii mortem, quàm æternam, Cogitabat enim secum: Ergone filius meus *Absalon*



*salon* meus, jam ardet in inferno & privatus visione divina in æternum exul è cælo? Si enim ipse aliquando, ut fatetur, toto corpore contremisceret, cum cogitaret annos æternos, & vereretur ne Deus illum in æternum projiceret, quanto horrore putamus percussum, cum cogitaret *Abalonem* suum de facto in æternum projectum esse à Deo? hinc non est mirum quod totus dolore obrutus, non voce submissa, sed magno ululatu, quocumque iret per palatium, exclamaret, ita ut omnes audire possent: *O fili mi Absalon, miser Absalon!* quis mihi det ut ego moriar pro te, paratus morte sua temporali, æternam illius redimere.

Filii im-  
morigeri.

Hic recordor illius quod legi apud *Petrum Iavricum tom. 2. Histor. Indica.* Quædam inquit, femina gentilis per plures annos idola sua rogaverat ut prolem nancisceretur, sed incassum, tandem edocta ut Deum Christianorum invocaret, fecit, & ecce nondum anno evoluta prolem masculam peperit, quam in baptismo *Crucem* appellari voluit, deinde aliam peperit, cui & *Crucis* nomen imposuit, tertiam enixa est, & hanc quoque *Crucem* appellari voluit: Jamque ad fidem conversa, singulis diebus veneris cum suis tribus *Crucibus*, ad templum, *Christum* crucifixum veneratione, suamque ternam prolem oblatura properabat.

Quod filii hodieque deberent gerere nomen *Crucis*, quia parentibus *crucis* sunt, ut non immerito, juxta commune proverbium, dici posset, quæque domus habet suam crucem: Quantum enim doloris, & afflictionis multi parentibus afferunt dum malè se gerunt? dum mortem animæ, & simul æternam, peccando incurrunt? & tamen quot parentes reperias qui tunc non plorent filios suos ut *David* sed uberrimis lacrymis temporalem illorum mortem ut *Jacob*.

Hoc deplorat *Augustinus in Psal. 57.* Audite me, inquit, fratres, Christiani sumus, & tamen plerumque si filius cujusquam moriatur, plangit illum; si peccet, non illum plangit: Tunc erat plangendus, tunc enim pejus mortuus erat luxuriosè vivendo, quam moriendo luxuriam finiens: Tunc quando faciebat illa in domo tua, non solum mortuus erat, sed & fœtebat: Hæc dolenda sunt.

*Augustinus* vult dicere: Si Ethnici, & Athei hominem peccato mortuum non plangant tolerabile videri posset, cum mortem animæ, amissionem gratiæ & gloriæ, mortem in pœnis inferni æternam non apprehendant: At nos, inquit *Augustinus*, Christiani sumus

ferimus, vitam gratiæ, vitam gloriæ, vitam animæ æternam, summum aliquod *bonum* esse, quo per peccatum mortale privamur, fide certa credimus; intollerabile est, tunc non plorare: Flere mortem filii corporalem ut *Jacob*, nullus improbat, hoc enim docet natura, sed non deslere filii mortem æternam, quam *David* in *Ab-salone* filio suo tantopere deplorabat, hoc Christianum non est, sed Ethnicum & impium.

DISCURSUS VII

*Ioseph venditur ab Ismaëlitis in Ægypto Putiphari Magistro militum Pharaonis.*

**P**erseverante *Jacob*, inquit Scriptura, *in fletu, Madianita vendiderunt Ioseph in Ægypto Putiphari eunuchis Pharaonis, magistro militum.*

Quod postea paulo clariùs explicat *cap. 39. Ioseph igitur, inquit, ductus est in Ægyptum, emitque eum Putiphari Eunuchus Pharaonis, princeps exercitus, vir Ægyptius, de manu Ismaelitarum, à quibus perductus erat.*

Tunc addit Scriptura: *Fuit Dominus cum eo, & erat in cunctis prospere agens, habitavitque in domo Domini sui.*

Mira res, cum in domo patris sui degeret *Ioseph*, non legitur Deus illi adfuisse, ne quidem tum, cum apud patrem fratres suos de crimine pessimo accusaret. Hinc patet quod miseriæ magis impetrent patrocinium Numinis, quam zelus & felicitas. *Ioseph* servituti suæ debet adscribere quod Dominus esset cum eo. Tantum abest ut quis miser esse recuset, ut hoc optandum sit vel maximè, quando quidem miseriæ & Deus uno nexu vinciantur.

Hoc præ cæteris hic notandum quod inter felicitatem & servitutem *Iosephi* nihil temporis intercesserit: Cum enim dixisset Scriptura, quod venditus esset in servum, statim subnectit: *Et erat in cunctis prospere agens*: Non poterat enim non esse felix, etiam in servitute, quando Dominus erat cum eo: Etiam inter vincula crescit felicitas, quando Deo in servitute servitur: ut enim quis maximè miser, maximè felix sit, sufficit Deum illi adesse? Plurimi tamen omnia curant, omnia colunt, uno Deo excepto, quasi vero ut felices esse possemus, oporteret à Deo abscedere. Ergone dubitabit aliquis an Deus felicitatem efformare possit inter miseras, qui tot præstantissimas gemmas, delicias hominum, producit inter medias tempestates & fluctus Oceani? F. Cla-

Deum se-  
cum ha-  
bere ma-  
ximè fe-  
licitas.

Clamat sponsa in Canticis cap. 2. *Iam hyems transit, imber abiit: Flores apparuerunt in terra nostra: Unde putas, o sponsa, tantam horti & agris obvenisse fertilitatem ut florent? respondet: Dilectus meus locutus est mihi; accessit ad me, locutus est animæ meæ, inde ista fertilitas, aerisque serenitas. Ibi ergo flores & ver in terra quæ prius erat obsita urticis & spinis, ubi Deus adest: omnes calamitates abscessere ubi ille propius accessit.*

Videtur etiam mihi hoc Deus voluisse significare quando apparuit *Moyss* in Rubo ardente quod cum *Moyse* de longe videret, dicebat: *Vadam & videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur Rubus; accessit, & audivit vocem de Rubo clamantem: Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob: Deus erat in rubo, ideo ardebat, & non comburebatur. Quod si spinæ, quæ pabulum ignis sunt virent in mediis flammis præsentem Deo, quid nos poterit infestare, si Deus nobiscum est?*

Cum Apostoli navigarent, aberat *Christus*, ideo cymba fluctibus ferè hauriebatur præ turbine & tempestate: ubi adfuit, statim malacia subsecuta est: Nihil ita distat à rore ut ignis, & tamen Deus cum tres principes *Babylone* projecti essent in fornacem ardentem, vertit ignem in rorem, & felices esse ostendit, cum maxime miseri viderentur. Quid ergo mirum quod scriptura dicat, quod *Ioseph*, etiam in servitute sua, *esset in cunctis prospere agens*, quando statim addit, *fuit Dominus cum eo?* Quid potuit clarius dici quam quod miseriæ sint origo felicitatis, nec miseriæ sint reputandæ dum Deus adest? *Iob* sibi Deum adesse cognovit, quando ad extremam paupertatem redactus, clamabat: *Dominus abstulit: Ideo se feliciorem existimabat cum sederet in fimo, quam cum sederet in throno: In throno enim multa habebat quæ timeret, multa quæ animum turbarent; in fimo verò dicebat: O quam securus moriar in hoc nidulo meo. Numquam se feliciorem putabat Apostolus Paulus quam inter calamitates, alioquin quomodo poterat dicere se superabundare gaudio in omni tribulatione sua? quid plura? *Christus* ipse in persecutionibus felicitatem constituit, cum dixit: *Beati qui persecutionem patiuntur.**

Sed quod maxime mirum est, *Putiphar* ipse, cui serviebat *Ioseph*, quamvis gentilis, Deum felicitatis authorem in servo suo agnovit, dicit enim Scriptura: *Optime noverat Dominum esse cum eo. Ioseph postremus mancipiorum erat in amplissima ista domo, & Putiphar dux*

exercitus erat; observabat tamen inter omnes suas curas atque negotia, non tantum rudi quodam modo acta adolescentis, sed etiam minima quæque scrutabatur; videbat *Iosepho* omnia prosperè succedere, & hanc ei felicitatem venire à Deo. Quis Ministrorum regis ita subditos suos aut quis parentum ita filios suos observat, novitque suos, ut postremum familiæ suæ servum *Putiphar*, ejus mores, Deique erga illum favorem penitus pervidebat? unde conjiciebat *Putiphar* felicitatem, qua in gerendis tractandisque negotiis utebatur *Ioseph*, à Deo esse; existimo hoc illum potissimum assecutum fuisse quod *Ioseph* palam suam erga Deum religionem profitebatur, & quamvis *exterum* ac mancipium, contrariam suo Domino fidem publicè non erubescibat, ex hac libertate, ac professione publica religionis, tantum abest ut dominum suum offenderet, ut etiam vel maximè gratiam ab eo iniret: Sic enim ait Scriptura: *Invenitque Ioseph gratiam coram Domino suo, & ministrabat ei, à quo prepositus omnibus gubernabat creditam sibi domum.*

Ecce, inde *Ioseph* evectus, unde deprimi debebat: Gratiam iniit adolescens apud herum gentilem per cultum Dei qui invisus erat *Egyptiis*: Adeo virtus hominem facit, etiam hostibus gratiosum & amabilem. Jam vide quam prudens fuerit *Putiphar* in amore & affectu. Prius pietatem servi prosperitatemque animadvertit, tum eum domui suæ præfecit, id non fecit, ex sola commendatione, aut propter preces aliorum: Ipsemet famulis suis invigilabat, ipse prohibitatem mancipii observabat, quâ probè perspectâ, non expectavit donec æconomus moreretur, sed statim illum promovit, quamvis *exterum*. Non promovit illum antequam merita ipsius viderat, hoc enim stultum fuisset ac temerarium, sed tunc illum præfectum constituit cum non ex auditis, sed ex propria observatione nosset majora in illo merita esse quam in aliis, & hoc rationabile erat ac justum.

Videamus porro quomodo *Ioseph* se gesserit jam promotus: *Gubernabat*, inquit Scriptura, *creditam sibi domum*. Non legitur sibi prospexisse, aut quidquam in rem suam ex administratione tantæ atque opulentæ familiæ derivasse, nullum expulisse ex conservis suis, nullum corrupisse, nullum sibi obstrinxisse, non superbiisse, non rapuisse, non seposuisse quidquam pro se, hoc unum agebat ut regeret creditam sibi domum: Ne quidem meminerat domini sui, sed domus solius; neque enim curabat adulationibus gratiam aucupari

*Putipharis*, sed hoc unum spectabat ut rectè, & justè domum ipsius gubernaret, non excedebat limites suos, non attingebat quod non erat Jurisdictionis ipsius. Rarum exemplum in præfectis, quorum plurimi ad se trahunt quod suum non est: ut enim torrentes facilius exundant quam flumina, sic inferiores præfecti, non raro potestatem suam latius conantur extendere quam Reges. Sequitur in Scriptura: *Benedixitque Dominus domus Egyptii propter Ioseph, & multiplicavit, tam in ædibus quam agris, cunctam ejus substantiam.* Tanti valet vel unica persona sancta in domo, ut Deus propter illam domui benedicat.

Tandem addit Scriptura: *Erat autem Ioseph pulchra facie, & decorus aspectu.* Hactenus nescieramus quæ esset species aut forma *Iosephi*. Prius describit *Moses* traditam *Iosepho* familiam, ejusque operâ opes & agros *Putipharis* multiplicatos, jam tandem in scenam ejus pulchritudo producitur: Puto hanc postremo loco positam, ne quis suspicaretur *Iosephum*, ob pulchritudinem à *Putiphare* supra cæteros evehctum, & miraremur in homine ethnico, quod sæpenumero non invenimus inter Christianos, apud quos is gratior est, & charior, qui venustior est, non is qui plus cæteris sapit, sed pulchritudine eminet. Felix *Putipharis* domus, in qua nihil de pulchritudine *Iosephi* cogitatum, nec mentio facta, nisi post administratam egregiè domum, prius enim solius virtutis ac religionis ratio habebatur. Quamvis enim pulchritudo corporis sit eximium naturæ donum quod oculos animosque hominum rapit, nihil tamen hominem magis contemptibilem facit quam quando caret virtute, & non accedit pulchritudo animæ: Tunc enim, inquit *Euripides* Philosophus, res infelix est, tunc facile inducit hominem ad impudicitiam; unde *Martialis* rectè scripsit ad suam amasiam: *Vellem, inquit, ut esses minus formosa, esses enim magis pudica; quod etiam alii Poætæ advertère, sic enim Ovidius: Lis est cum forma magna pudicitia: Sic Horatius: Rara est concordia formæ atque pudicitia: Imo sic & Propheta Ezechiel cap. 16. Habens fiduciam in pulchritudine tua fornicata es.* Nihil etiam est quod hominem magis superbum facit quam pulchritudo sine virtute: Hoc est quod ait *Ovidius: Fastus inest pulchris, sequiturque superbia formam:* Patet ex duobus præsertim exemplis scripturæ: Describit *Ezechiel cap. 28.* regem *Tyri: Elevatum est, inquit, cor tuum, & dixisti, Deus ego sum.* Unde hæc tanta arrogantia? ex pulchritudine, addit enim *Propheta: Elevatum est cor tuum in decore tuo.*

Lib.

Lib. 3. Reg. cap. 1. dicitur quod *Adonias* filius *David* eo arrogantiae processerit, ut vivente patre juberet se proclamari in regem, & diceret: *Ego regnabo*: Scriptura rationem subnectit: *erat autem*, inquit, *pulcher valde*: Ex pulchritudine ista, inquit *Lyranus*, fuit elatus ad usurpandum sibi honorem regium.

Propterea *Plantus* pulchritudinem istam vocavit magnam miseriam, & inde conclusit Poëta *Propertius*, apud infernos esse millia multa formosarum, quia pulchritudine sua seductæ in omnia vitia prouere, nullam virtutis curam habentes ut pulchritudinem animæ conjungerent pulchritudini corporis; nam ut ait *D. Chrysostomus*: Non in forma corporis, sed in moribus pulchritudo sita est. *Ioseph* habebat utrumque, non tamen spectavit Dominus ejus *Putiphar* pulchritudinem corporis ut illum ad summum familiæ suæ munus extolleret, sed solam pulchritudinem morum.

## DISCVRSVS VIII.

## Sollicitatur Ioseph à Domina sua ad adulterium.

Post multos itaque dies, inquit Scriptura, *injecit Domina sua oculos suos in Ioseph*, & ait: *Dormi mecum*.

Nescio quid hic primum admirer, an tempus quo femina ista *Iosephum* sollicitavit, an vero projectam istius feminæ petulantis impudentiam?

Tantum temporis intercesserat quo *Putiphar Iosephum* emerat, & inter hanc sollicitationem, ut prius *Ioseph* ædibus & agris substantiam Domini sui auxisset ac multiplicasset; ergo diuturnum, vel ut ait Scriptura *post multos dies*. Quoties toto illo tempore fuerat *Ioseph* spectatus à Domina, sine illa cogitatione flagitii quoties cum illo egerat innocenter, ipsiusque consuetudine usa sine lascivia, imo fortassis illius sanctimonia ad pias cogitationes excitata. Tandem post hæc omnia, *conjecit oculos suos*, inquit Scriptura, *in Ioseph*, & flagravit, jam enim aliis illum oculis aspiciebat quam prius, scilicet impudicis, impudicus autem oculus, ut ait *Augustinus*, impudici cordis est nuntius vel, ut alius quidam ait: *Oculi sunt in amore duces*. Unus oculorum jactus in *Bethsabeam* perdidit *Davidem*, semel vidisse mulierem *Dalilam*, perdidit *Sampsonem*. Hinc quidam nostri sæculi scriptor optimè dixit: oculus aperta janua est, & introitus

ad pravas cupiditates, qui temerè hanc januam aperit, citiùs quam putat, in animum furem recipit. Ergo, inquit, *D. Gregorius lib. 21. Moral. cap. 2.* Comprimendi sunt oculi, ne animus rapiatur ad culpam. Fomes oculus petulans est qui libidinis incendium excitat: Ideò statim arsit Domina *Iosephi*, quia oculos in illum coniecit.

Sed videte mulieris impudentiam, Poterat ad peccatum viam sternere paulatim laudando *Iosephi* pulchritudinem; poterat de longè illum aggredi dicendo se mirari ejus dexteritatem atque prudentiam in regendo familiam, tractandisque negotiis domini sui, poterat illius animù delinire aliis blandis sermonibus, poterat occasionem captare cum illo, lusu aliquo, tempus fallendi, vel suaviter inambulandi, ut illi virus quasi sine sensu instillaret: sed nihil simile, non dissimulat coram servo, non curat injuriam & ignominiam quam inferret marito, non imperat *Iosepho* ut fileat, non eligit locum secretum, non circumspicit num à quoquam audiatur, sed primo statim aggressu dicit: *Dormi mecum*: quid poterat dicere impudentiùs? Adeò effrænus libido est: Instar torrentis est qui, non qua decet, sed qua potèst, per fata, per silvas, per dumeta, cæco impetu procurrat in mare. Unum hoc curat, ut currat.

Et quod impudentiam hujus mulieris magis exaggerabat erat, quod cum *Ioseph*, ejus petitioni primæ non annueret, *hujusmodi verbis*, ut ait Scriptura, *per singulos dies loquebatur, & molesta erat adolescenti.*

Restitit ergo *Ioseph* mulieri tam impudenter se sollicitanti, & dixit: *Ecce Dominus meus, omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo sua, nec quidquam est quod non in mea sit potestate, præter te quæ uxor ejus es: Quomodo ergo possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?*

*Constantia Iosephi in repudiando adulterio.*

Habemus hic duo exempla admodum rara & extraordinaria, unum *Iosephi*, alterum mulieris: Primum admirabilis fortitudinis ac constantiæ in tuenda castitate, secundum summæ desidiæ ac impudentiæ in illa prodigenda: Quamvis enim femina natura sua sit mollior ac fragilior viro: Invenies tamen passim in historiis, omnibus pœnè seculis, feminas extitisse, quæ fortius pro tuenda castitate vel virginitate pugnarint, quam viros aut juvenes: Habent enim plerumque feminae cum fragilitate pudorem quemdam honestatemque animi sibi innatum, quæ viri, juvenes præsertim, ita passim non habent. Si inspicias ethnicorum historias, invenies non unam quæ

quæ mori maluit quam castitatem amittere. Si historias *Judaicas*, invenies *Thamarem* filiam *Davidis* tam generose resistentem fratri suo *Ammoni*, ut castitatem amittere non potuerit nisi per vim sibi illatam: Invenies *Judith* quæ nullis deliciis, nec blanditiis *Holofernis* adduci potuit ut caderet: Invenies *Susannam* inter manus se sollicitantium sic depugnasse ut mallet innocens tradi iudicibus trabenda ad mortem, quam peccare. Si legas historias Christianas, omnia ubiq; plena sūt hujuscemodi exemplis; Elegit *Agnes* potiùs viva comburi, quam impudicitiae flammis ardere. Innumerae aliae omnia potiùs tormenta sustinuere, ne impuris tyrannorum suorum amoribus consentirent; unum integrum monasterium Virginum sibi met nasum præciderunt, ut horrore essent barbaris in monasterium irruentibus, ne ab illis violarentur, quo facto Barbari in furorem versi, omnes ad unam usque crudeliter trucidarunt: Pauca aut nulla talia exempla invenies in juvenibus. Itaque extraordinarium exemplum est illam mulierem tam fuisse impudentem ut ultro, non semel, sed singulis diebus, & tam diu, & tam apertè, *Josephum* invitaret ad scelus. nec minùs rarum fuit *Josephum* tam constanter, tam animosè se defendisse, ac restitisse.

Hoc autem rariùs ac mirabiliùs fuit, quod *Joseph* esset tam formosus, nam ut supra ostendimus, magna pugna est inter formam & pudicitiam.

2. Erat in flore juventutis, circiter viginti sex annorum; mirum illum in tali occasione, juveniles illos impetus cohibere potuisse.

3. Servus erat, mirum quod nobilitas Dominae, ac reverentia, illum adducere non potuerit ad peccandum.

4. Omnia illi prosperè succedebant; facilius homines labuntur in prosperitate quam adversitate.

5. Timere poterat ne Domina, quod postea contigit, præ furore illum falso accusaret, si peccare renueret.

6. Si admitteret, nihil erat quod timeret rem emanaturam, non enim suspicari poterat quod domina seipsam marito & servis, & toti denique civitati, redderet infamem.

Ecce quot illecebræ ad peccandum, & tamen *Joseph* constanter recusat; & ait: Dominus meus omnia mihi tradidit quæ sunt in domo ejus: volo illi esse fidelis, nec in animo reperire possum ut tu fidelitatem quam illi debes, tam turpiter frangas. Dominus meus omnia posuit in potestate mea præter te, nolo excedere limites potesta-



potestatis meæ, tu in potestate viri es, & extra meam. Denique quomodo possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?

Nota, non dixit, Non peccabo, sed non possum peccare; & quare non potes? quia omnia possum. Nescio an hanc argumentandi rationem norint qui cum potestate alios regunt, quibus multa non licent, quia tam multa licent: major enim potestas non solvit frænum libidinis sed ligat. Hinc severissimè fuit punitus *Adam*, quod cum esset à Deo statutus totius orbis Monarcha, haberetque in potestate, ut dicebat illi Deus, omnes herbas, & arbores, & fructus, non abstinerit se ab uno pomo. Ideò in *Davidem* sævitum à Deo acrius propter libidinem, quia rex erat, adeoque non leviora potentium sunt scelera, sed graviora: Tanto enim magis obstricti sunt Deo servire, quanto majoribus ab eo affecti sunt beneficiis.

*Ruben* erat primus filiorum *Jacob*, ideò nemo aliorum gravius punitus, nec maledictus est à parente quia commiserat adulterium, dicebat enim illi cum jam proximus morti decumberet: *Tu es Ruben primogenitus meus, prior in donis, major in imperio, sed maculasti stratam patris tui, & effusus es sicut aqua, non crescas.* Quasi diceret, peccasti cum esses tam potens & magnus, non imperabis fratribus, quia concupiscentiis tuis in tali statu, & tam excelsò existens, non imperasti, amisisti in homines principatum, quia noluisti uti principatu tuo in crimina: Tu putabas, quod cum primus esses in donis, te posse quoque primum esse in peccando, sed errasti, quia quo quis major est, eo feediores illius sunt maculæ: In regibus portenta sunt, quæ vix privatis imputarentur. Rectè ergo, postquam *Joseph* commemorasset amplam illam à Domino suo sibi traditam potestatem, dicebat Dominæ: *Quomodo possum hoc malum facere ego, qui tam magnus effectus sum, adeoque gravius peccarem quam alii?*

Sed quod sequitur majorem vim habet, nempe, *quomodo peccare possum in Deum meum?* Deum, quem timeo ut judicem, Deum, quem revereor ubique præsentem?

Adulterium  
ejus  
qui mali-  
gis.

Hinc apparet quod *Joseph* tunc haberet præ oculis gravitatem injuriæ, quæ Deo, præsertim infertur per adulterium, non possum, inquit, tantam injuriam facere Deo meo. Quanta enim fiat injuria Deo per hoc peccatum, patet ex omnibus circumstantiis.

I. Ex circumstantia eorum qui illud committunt: Vir enim gerit personam *Christi*, uxor vero repræsentat Ecclesiam ejus sponsam,

sponsam. ergo per adulterium dehonatur *Christus* in viro, & ejus sponsa Ecclesia in uxore: Magna injuria.

2. Ipsemet Deus illos tam firmo nexu simul conjunxit ut separari non possint nisi per mortem: prohibuitque expressè homini, ut non separaret quod ipse conjunxit: Atqui qui adulterium committit, separat, contra præceptum Dei, quod ipse conjunxit, conjungit enim se alteri: Ergo magnam facit injuriam Deo.

3. Votum fecerunt conjugati Deo & sibi mutuo, se numquam fidem datam violaturos; sed qui adulterium committit istam fidem infringit: Ergo non tantum sibi mutuo, sed etiam ipsi Deo cui votum illud obtulit, facit injuriam.

4. Vocarunt Deum in testem quod darent jus in mutua corpora, dicit enim *Paulus* 1. *Cor. cap. 7. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir, similiter vir potestatem corporis sui non habet, sed mulier.* Sed vir qui adulterium committit privat illo jure uxorem, & uxor matitum, dat enim alteri potestatem corporis sui: Ergo non tantum peccat contra Justitiam, sed etiam, falsum reddit testimonium Veritatis æternæ, quam vocavit in testem dum sibi jus in mutua corpora darent: Nescio an major injuria Deo inferri possit.

5. Magna injuria est ex parte liberorum, vetuit enim Deus *Gen. cap. 21.* filium ancillæ hæredem fieri cum filiis uxoris legitimæ; si qua ergo proles nascitur ex adulterio, fur est qui portionem bonorum furatur à legitimis prolibus: Ergo per adulterium non tantum fit injuria legitimæ proli, sed etiam Deo, quia fœdus ejus infringitur quod fecit cum *Abraham.*

6. Ex parte matrimonii: Est enim, inquit *Paulus* matrimonium ex omni parte honorabile, & sanctum: Sed qui adulterium committit, sanctitatem illam destruit, quia facit matrimonium quasi instrumentū diaboli: Ergo sacrilegus est: Atqui nullum sacrilegium fieri potest sine particulari injuria Dei: magnam igitur injuriam facit Deo qui adulteratur.

Denique quanta & quam enormis illa injuria sit, patet ex gravissimis suppliciis quibus Deus adulterium passim punivit.

1. Legem statuit in veteri testamento ut si quis adulterii esset convictus à tota communitate, quasi totius Reipublicæ pestis, lapidaretur.

2. Per *Jeremiam cap. 9.* clamat: *Derelinquam populum meum, & recedam ab eis.* Derelinqui à Deo, maxima pœna est: Sed cur Deus hoc faciet? quia, inquit, *omnes adulteri sunt.* G      Quan-

Quanta supplicia immiserit Deus *Davidi* propter adulterium, notum est ex Scripturis præsertim *lib. 2. Reg. cap. 12. & seqq.* Ubi *Nathan* Propheta illi prædicit fore, ut non recedat gladius de domo ejus in sempiternum. Deinde mala quæ superventura erant ei ex propria ipsius domo, quæ mox subsequuta sunt: Mortuus est enim infans natus ex adulterio: *Amnon* ipsius primogenitus propriam suam sororem oppressit: *Absalon Amnonem* fratrem suum crudelissimè in convivio trucidavit, insurrexit in parentem, & expulit illum ex aula, & *Jerusalem*: *Absalon* pependit è quercu, & tribus confixus lanceis miserimè periit, cum incredibili luctu parentis: *David* maledictus fuit à *Semci*, & impetitus lapidibus, derelictus à propriis ducibus, & consiliariis, rebellavit contra illum alter filius ejus *Adonias*. Hæc omnia prædixerat ei *Nathan*, cum diceret ex parte Dei: *Suscitabo malum de domo tua*: Ecce quot mala ex uno adulterio. Tu jam ex dictis conclude quanta injuria inferatur Deo per adulterium: Meritò ergo dicebat *Joseph* dominæ suæ: *Quomodo possum grande hoc malum facere*, ut habet textus *Hebraeus*, & *peccare in Deum meum*?

Verum non erant hæc satis ut flammam impuri amoris in domina sua pudicus adolescens extingueret. *Accidit* enim, inquit Scriptura, *quodam die ut intraret Joseph domum, & operis quiddam absque arbitrio faceret, & illa, apprehensa laciniâ vestimenti ejus, diceret: Dormi mecum.*

Libenter scirem quid tunc faceret *Joseph* quando tam validè oppugnabatur à Domina, & tamen non cecidit: Dicit textus *Hebraeus*: *ingressus domum est, ut faceret opus suum*. Quodnam illud opus? audiamus quid ulterius dicat textus *Hebraicus*: *Investigabat*, ait, *Scripturas*, seu codices, *rationis suæ*: Non intendebat aliorum muneribus: Non parabat calices pro mensa, hoc enim erat pocillatoris: Non disponebat missus qui debebant poni in mensa Domini, hoc enim erat dispensatoris; non circumagebat equos, hoc enim erat magistri equitum, non docebat falcones ad prædam, hoc enim erat aucupis, non vacabat ludo, hoc enim est otium: Sed faciebat quod erat œconomi, perolvebat rationes suas: Quo opere implicitus, tam insignem victoriam retulit, & triumphavit de dominâ, quia scilicet faciebat opus suum. Nos vero & valdè & frequenter erramus, ut neglectis quæ nos spectant, alienis nos immisceamus, hinc illud Proverbum: *age quod agis*. Si mater familias multas quotidie horas orationi impendat in templo, non facit opus suum, ingrediatur in do-

mum

num suam, curet ea quæ familiæ sunt, invigilet liberis, intendat servis & ancillis, pareat ea quæ ad victum necessaria sunt, videat in quo possit juvare maritum suum, & similia, hoc enim est opus ipsius. Si Pater familias ingrediatur domum suam, subducatur rationes suas, scribat, operetur; hoc est opus ipsius: Denique quisque agat quod est opus suum. Non omnium est ferre cilicia, nec longas orationes facere, nec rigidè jejunare, nec pernoctare in precibus; quisque habet opus quod sibi proprium est, & statui suo; hoc diligenter agat: Non lego quod *Ioseph*, cum maximè sollicitaretur à femina, aut jejunaverit, aut flevit, aut in aliquam speluncam recesserit, sed faciebat opus suum ad quod Deus illum destinaverat, & in hoc opere tantam de luxuria victoriam retulit, cujus memoria nunquam, quamdiu stabit orbis, interciderit. Tanti est ut quisque strenuè faciat opus suum, ut Deus majora sæpè dona conferat iis, qui hoc agunt, quàm iis qui orant dum non debent, aut per negotia aut impedimenta domestica, non possunt.

Quando nam evecti sunt ad summam dignitatem Apostolatûs, *Iannes, Iacobus, Petrus & Andreas*? non cum orarent in templo, non cum domi jejunarent, sed cum facerent opus suum, dum retia in mare demitterent, vel reficerent in littore, ac piscarentur. Ergo piscando, non orando, adepti sunt primi Apostolorum majorem angelis dignitatem; numquid hic vides quàm gratum sit Deo accurate opus suum peragere?

Quando *Moyse* apparuit Deus in Rubo, illumque pastorem legavit ad *Pharaonem*? Quando pascebat gregem suum. Quid sublimiùs quam illum ut legatum mittere ad regem *Egypti*? quid humiliùs quam sequi & deducere oves? sed hoc erat opus ipsius.

Sic *Saul* ad regnum *Israelis* evehitur, & in regem ungitur quando per montes & campos quærit asinas patris sui amissas: In Prophetam eligitur *Elifans* cum araret; Dux exercitus à Deo statuitur *Gedon*, cum triticum purgaret. Nonne hinc patet quod Deus à te non exigat sublimes contemplationes, nec rigidas poenitentias, nec longas orationes ut tibi familiæque tuæ benedicat, sed ut quisque cum timore Domini agat opus suum quod Deus illi imposuit in tali vel tali statu? hinc cum quidam olim religiosus, verteret domum, rogatus esset, quid ageret si Deus illum tunc evocaret è vitâ? respondit, pergerem in verrendo, quid enim meliùs possem facere quàm opus quod mihi impositum est?

G 2

Cum

Cum ergo *Ioseph* faceret opus suum, solus in cubiculo, accessit ad illum *Domina*, & apprehensa lacinia vestimenti eius, dicebat, dormi mecum: At ille, inquit Scriptura, relicto in manu eius pallio, fugit, & egressus est foras. Non tantum extra cubiculum, sed etiã extra domum: Quo enim longiùs abscedebat ab occasione, eo minus erat periculum. Reliqua vitia fortiter pugnando vincuntur, sola luxuria fugiendo. Hęc est doctrina *S. Augustini ser. 250. de Temp. Ioseph*, inquit, ut impudicam dominam posset evadere, fugit: Ergo contra libidinis impetum arripe fugam, si vis obtinere victoriam: Inter omnia Christianorum certamina sola duriora sunt pręlia castitatis, ubi quotidiana est pugna, sed rara victoria, quamvis hic non obtineatur victoria pugnando, sed fugiendo.

Sic etiam docet *Hugo Cardinalis in cap. 21. Numeror.* Non est, inquit, potentius remedium contra luxuriam, quam fuga.

Luxuria  
remedia  
fuga.

Tres hujus veritatis rationes nobis assignat *D. Bernardinus serm. 20. de Luxur.* Prima, ratio est. Ignis est, inquit, luxuria, & homo fœnum, quamdiu fœnum est proximum igni, non est liberum ab incendio, amove inde, est extra periculum.

2. Ratio est: Nemo potest luctari cum homine qui totus obsitus luto est, quin ipse se fœdet. Luxuria sordidum est peccatum, si cum illo vis pugnare, fordesces, uti ait *Sapiens Eccles. cap. 1. Qui tangit picem inquinabitur ab eã*. Propterea etiam pallium quod impudicę mulieris manus tetigerat, projecit à se *Iosephus*, ne & ipse solo illius tactu inquinaretur.

3. Ratio: Non est consultum pugnare cum hoste qui vires suas accipit ex eo quod illi ad manum est: Talis hostis est corpus nostrum, quiescere potest dum extra occasionem est, sed fit hostis noster dum in occasione est, quo enim diutius illic hęret, eo magis accenditur: ergo fugienda occasio.

Denique *S. Apostolus Paulus* qui dixerat, cum ageret de aliis peccatis: *Accipite armaturam Dei, & stete fortes in fide*, pugnate, de sola luxuria dicit: *Fugite, fugite fornicationem 1. Cor. cap. 6.*

Puto hoc olim Deum per angelos suos significasse *Genes. cap. 19.* quando *Loth* eduxit è *Sodomis*: Erat hęc civitas monstrum omnis luxurię: Angeli eduxerunt inde *Loth*, & posuerunt extra civitatem, dixeruntque: *Salva animam tuam, noli respicere post tergum, nec stes in omni circa regione*, fuge in montem, sed ita fuge, ut ne quidem respicias, sic volebat illum fugere, ut ne quidem semel staret, imò

imò ne quidem oculos ad tam impuram civitatem converteret, & quia uxor ejus hoc fecit, periit, & conversa est in statuam salis. Igitur aut fugienda est impudicitia, ut fecit *Ioseph*, aut pereundum.

## DISCURSUS IX.

*Ioseph falso accusatur, & conjicitur in Carcerem.*

Vidimus fugientem *Ioseph*, & relinquentem pallium in manu mulieris: Illa, inquit Scriptura, cum vidisset vestem in manibus suis, & se esse contemptam, vocavit ad se homines domus suae, & ait ad eos: *En introduxit (maritus) virum Hebraeum ut illuderet nobis.*

Quis jam credat amatum fuisse *Iosephum* ab hac muliere, quae tam cito in eum, & tam furiosè debacchatur? nescit amare lascivia, se enim amat, suaeque delicias qui impudicus est: Nam si ista femina dilexisset *Iosephum*, procul dubio siluisset, & scelus texisset: verum non tantum evulgavit flagitia, sed etiam finxit.

Videamus illius furor. 1. Dicit se à *Ioseph* esse contemptam: Quid hoc? an propterea *Ioseph* illam contempserat, quia noluerat cum illa peccare? hoc enim erat illam contemnere, marito servare intactam, & capitis sui periculo propugnare fidem, quam illa debebat marito? quomodo contempsit, qui nullum ei convitium dixerat, nullum maledictum, nulla verba injuriosa?

Sic agunt homines flagitiosi & impii, contemni se putant, si quis illorum malitia se opponat, & pro hoste habent, quisquis illorum pravis voluntatibus non obsecundet: Illi vero amici sunt qui effraenem illorum in peccata licentiam non impediunt, sed in pejora seducunt. Si *Ioseph* peccasset, mulier triumphasset: Quia noluit peccare, illuforem vociferatur: Quid vociferaris, insana? tu ne *Iosephum* illuforem vocas, qui infames tuos amores sua veste contexit?

Et quod pejus est: vocavit ad se homines domus suae, ut *Iosephum* accusaret, concurrunt; mirum quia cum vellet peccare, non erat, inquit textus *Hebraicus*, quisquam ex viris domus ibi in domo. Nunc omnes accurrunt, ut eam animent ad calumniam. Mirum, inquam, quia nulla mora intercesserat inter sollicitatum *Iosephum* & accusatum, unde ergo statim, cum nullus priùs esset in domo, tanta multitudo emerit? Sic non raro accidit in multis familiis, praeser-

tim majoribus, nullus adest ad compefcenda peccata, plerique accurrunt ad opprimendam innocentiam. Si fervi adfuiffent cum domina vellet peccare, non fuiffet aufa peccare, nec follicitare

- *Josephum*: Si non accurriffent, cum jam fureret, calumniam impediviffent.

Illa vero videns fervos accurriffe, invidiam illorum in *Josephum* concitavit, ut enim illis redderetur magis invidus, vocat illum *virum Hebraum*: An hoc folum dici poterat de *Josepho*? numquid res domus fuma cum laude curaverat? numquid auxerat agros, & multiplicaverat bona domini fui? numquid omnia illi profpere fuccefferant? quid ergo illum tantum vocat *Hebraum*? quare non nepotem *Sara* ob quam punitus fuerat à Deo *Pharao* Rex *Aegypti* qui illa volebat abuti? quare non vocat stirpem *Abraha* quem *Aegyptii*, qualis erat hæc mulier, in fummo honore olim habuerant, multisque donis honoraverant? quare non dicit *Josephum* virum effe qui domui fuæ tot bona præftiterat? quia nempe volebat ea tantum commemorare quæ poterat illum vocare in odium invidiamque fervorum: Quod nullo medio fieri melius poffe putabat, quã fi vocaret illum *Hebraum*, hoc eft, hominem exterum & alienigenam. Ita fapius nos magis odimus peregrinos, quam fceleftos. Non dixit illum virum effe rapacem, superbum, deorum hominumque contemptorem, fed his aliquid atrocius excogitavit quo *Joseph* in contemptum veniret, fcilicet non effe *Aegyptium*, fed *Hebraum*, qui involaret in præcipua munia popularium. Ergone tanti intereft, non quis fit, fed unde? quis non deteftetur hominum modum agendi, cui virtus displicet, nifi fuerit patriotæ? amamus gemmas, etiam ex barbaris terris allatas, emimus merces peregrinas, & exeamur virtutes exterorum: Navigamus in *Indias* ut inde evehamus aromata, idè pretiofa quia extera, & homines etiam maxime virtuosos rejicimus, quia alterius nationis funt.

Felix tamen *Joseph*, cui à femina furente, & conviciante, id tantum in ipfo furore objici potuit, quod non effet *Aegyptius*: Tanta eft virtutis vis, ut etiam furor non potuerit aliud dicere, quam quod *Joseph* non effet *Aegyptius*, fed alienigena, quod enim dicebat illum fecum peccaffe, mendacium erat & calumnia.

Iam quæro cur tantum hac vice femina in *Josephum* exarferit, ob repulfam quam tamen fapius antea paffa erat, & durius? nam fuperioribus diebus toties recufaverat *Joseph* adulterium, quoties ab illa  
fol-

sollicitaretur. *Per singulos dies*, inquit Scriptura, *mulier molesta erat adolescenti, & ille recusabat stuprum*, imo arguebat illam *Ioseph*, dixeratque illud scelus à se admitti non posse, nec contra Deum, nec contra Dominum suum, non contra Deum iudicem suum, nec contra Dominum tantum benefactorem suum: Quare tunc non clamavit se esse contemptam? quare tunc non accusavit *Iosephum*? Quia tunc rationibus tantum agebat, nunc fugiebat, etiam extra domum, videbat ergo rem esse desperatam: Quamdiu enim loquitur qui recusat peccare, spes aliqua superest sollicitanti, fore ut obtineat quod petit: At ubi iam fugit, longiusque recessit, spes omnis sublata est. Hoc est quod modo dixi, non disputandum cum libidine, sed fugiendum, quod non tantum cum feminis huiusmodi, qualis erat hæc, sed etiam, cum cogitationibus nostris servare oportet. Quamdiu cum hisce & tecum disputas, non vicisti; vicisti vero, si statim mentem tuam alio averteris. Quò, inquires, avertam? audi *D. Augustinum in Manuali cap. 21.* Cum me, inquit, pulsata aliqua turpis cogitatio, recurro ad vulnera *Christi*, cum me premit caro mea, recordatione vulnerum Domini mei resurgo, cum diabolus mihi parat insidias, fugio ad viscera misericordiae Domini mei, & recedit à me. Audi *D. Hieronymum epist. 22. ad Eustoch.* ubi illam virginem instruit quomodo se gerere debeat contra cogitationes impuras, statim, inquit, ubi illæ inciderint, iacta cogitatum tuum in Deum, & clama: *Dominus adiutor meus, non timebo quid faciat mihi caro.* Quid faceres si solus esses in domo in quam de nocte fures irrupunt? resisteres? perditus es, & agitur de vita tua. Quid ergo facto opus ut te serves? fugiendum, & quidem statim ubi illos advertis. Cogitationes pravae fures sunt, quæ ex improvise irrupunt in animam tuam ut illam omni pretiosa supellectile spolient: Tales fures intraverant per fenestras oculorum in animam alicujus Prophetæ, & exclamavit: *Oculus meus depradatus est animam meam*: simul ac adverteris tales fures irrupere in domum animæ tuæ, fuge ad vulnera *Christi* cum beato *Augustino*, fuge ad B. V. & dic cum *S. Xaverio*: O Virgo opitulare, si enim incipias resistere & pugnare intra te, turbando te, & disputando contra diabolum, obruet te, & non desistet donec totam animæ pacem turbarit, & in mille difficultates iniecerit.

Veniamus rursus ad illam impudentem mulierem: Aberat domo maritus cum illa *Iosephum* sollicitaret, illeque fugeret relicto in manu



manu ejus pallio: *Revertenti ergo, inquit Scriptura, marito domum, accessit ad eum, & ait: Ingressus est ad me servus Hebraeus, quem adduxisti, ut illuderet mihi, cumque audisset me clamare, reliquit pallium quod tenebam, & fugit foras. Et tunc illa in argumentum fidei retentum pallium ostendit marito.*

*His auditis Dominus, & nimium credulus verbis conjugis, iratus est valde, tradiditque Ioseph in carcerem, ubi vinciti regis custodiebantur, & erat ibi clausus.*

Duo hic adverte, unum quod valde mirabile est, alterum quod valde injustum. Primum: Dicit Scriptura quod mulier accesserit maritum suum ut illi significaret, quod *Iosephus* illam sollicitasset. Ergone illa prima erat quæ hoc indicabat? nihil Dominus prius hac de re inaudierat? Nihil: nullus ex tot servis ac domesticis, apud quos, simul convocatos, mulier *Iosephum* accusaverat, ei quidquam detulerat? nullus; mirum est quod saltem ex rumore sparsæ per domum, vel extra nihil resciverat: Nemo servorum domi hac de re fuerat locutus, multo minùs extra domum, omnes filuerant, nec quisquam revertenti Domino domum, vel verbum fecerat quod audiverat ex ore dominae factum à *Iosepho*: Stupeo quomodo tot servi, ancillæ, ac alii domestici, ita continere potuerint linguas suas; & quidem tribus aut quatuor diebus quibus Dominus aberat à domo, cum nostro tempore quod vel in angulo casæ agitur, oclusis januis, uno dumtaxat servo vel ancilla conscia criminis, vix orto sole, tota non decantetur vicinia: utinam & viri & matronæ honoratæ hac linguæ intemperie carerent, qui facta infectaque profundunt in forum! Ergo publicum, in aula Ducis exercitus, adulterium à servo tentatum in dominam ne domi quidem per colloquia mutua publicatur, & ne ipsi quidem vulgatur Domino domus, & levissima quæque domi patrata etiam pueris nunc innotescunt? Servi adulterium mancipii alienigenæ silent, & nos garrimus de gravissimis viris, spargimusque sordes nostras per plateas, quin & suspiciones pro factis divendimus. Sæpè quidem unius tantum auribus credimus quod dicimus, sed quod secretum erat, inquit *Seneca epist. 107.* fit rumor, & emanat paulatim in vulgus, quod enim tu silere non potuisti, nec alter cui fidis, fidebit, tu quidem rogas ut hoc nemini dicat, sed habet is quoque amicum cui fidit, eique pariter dicit rogo ut hoc nemini dicas, est enim mihi dictum sub secreto, sed & ille alteri suo amico dicit, & hic

Garrulitas.

hic quartus, & quinto, omnia sub secreto, donec instar torrentis totam civitatem percurrat, sapissimè non sine magna infamia tertia: personæ: Unde hoc primus dixit alteri, vide ut nemini dixeris, idem dixit secundus, idem tertius, atque ita de cæteris, & quod prius gutta tantum erat, accedente una, & altera, & pluribus, tandem in torrentem evasit, & obruit ac pessumdedit famam proximi; sic pulcherrima nonnumquam domus corrumpitur & putrescunt granaria quando tectum perstillat. Fateor, pudet me quod servi & mancipia ita siluere in domo *Puipharis*, & apud nos, etiam honestæ personæ tam sint effusæ in lingua.

Secundum quod hic adverto, est, quod Scriptura dicat quod *Puiphar* Dominus *Iosephi* nimis credulus fuerit verbis conjugis, *Iosephum* accusantis. Hoc erat injustum; Jam enim annis undecim ipsius fidem ac sanctitatem perspectam habuerat. *Noverat* enim, inquit Scriptura, quod *Deus* esset cum eo. Numquam illum compererat esse mendacem, numquam perfidum, numquam furacem, nullam vel umbram lasciviæ in eo notaverat, semper obsequentem & castum deprehenderat, numquam ex illius ore vel malum verbum audierat, nullus de eo malum verbum locutus fuerat: Et ecce subito & statim credit uxori, cujus petulantiam noverat, illum accusanti. Debebat factum examinare, scilicet, quomodo factum fuerit ut pallium in feminæ manu reliquerit, quomodo ex una parte tam impudens ut peccare cum Domina sua voluerit, ex altera tamen tam timidus ut sine pallio aufugerit: Numquid etiam rationabile erat ut diceret: Audiamus & ipsum quid respondeat, videamus an non expalleat, aut erubescat: optimè dixit *Seneca* cap. 3. Utrumque vitium est, & omnibus credere, & nulli; vel, ut ait *ecclesiasticus* cap. 19. *Qui cito credit, levis est corde.* Quis enim credat omnibus quæ dicuntur, cum tot linguæ fallaces in mundo, quot pœnè homines sint; fallaces, inquam, quia cum maximè volunt nocere, tunc maximè præ se ferunt hoc nolle: Cor habent plenum veneno, os plenum melle. Quis enumeret linguas adulatorum, Calumniatorum, mendacium, suffronum, aliorumque similibus? mundus ubique est plenus, & quis facile, nisi stultus, fidem adhibeat tot inter pericula fraudum?

Nihilominus tamen quot ubique invenies qui huiusmodi linguas fidem adhibeant? Res patebit exemplis.

Quot nimis creduli decipiuntur ab adulatoribus, qui, ut ait *Isaias*, dicunt

H

dicunt

Adulato-  
res.

*dicunt malum bonum, & amarum dulce*, vitiaque tegunt nōmine virtutum; prodigos, inquit *Cassiodorus*, liberales vocant, avaros parcos, & ad rem attentos, lascivos urbanos, obstinatos constantes, iracundos, animosos. Est aliquis qui ardet vindictam sumere de inimico. Optimè factum, inquit adulator, jam pridem hoc facere debueras, nimis enim indignè tecum egit, videat & experiatur quid possis, ostendes te habere animos, certus esto te honorem inde relaturum, & posteros tuos, quibus nemo impropere poterit quod parentem habuerint qui nullius animi esset, & familiam tuam liberabis à tali nota. Hæc creduntur, & magni animi opus habetur quod summæ pusillanimitatis est, & insanæ temeritatis.

Est alius qui peccatis immersus, sanctiorem cogitat vitam: Et, quid vexas te? inquit adulator, aut quid tibi venit in mentem? in flore ætatis es, & visne tempus illud tam gratum cum tædio ac melancholia transigere? sat cito venies quando flos ille perierit, & jam senex factus fueris: Quid tibi deest? habes omnia quibus jucundam vitam agere possis: quid te conijcere vis in difficultates? Deus non est tam malus ut pingitur, noli timere, utere tempore tuo dum potes, cætera Deo relinque. Alter hoc credit, & ut verum fatear, inquit, possum vivere securus, quamvis non vivam tam sanctus: Hinc sæpè fit ut ille ruat in pejus quia tam facile credidit sibi adulant.

Quapropter optimè monet *Seneca epist. 123*. Vitandus est adulatorum sermo, & fortiter rejiciendus, numquam sine noxa erit illum benignè admisisse. Nam etiamsi non statim officit, semina tamen in animo relinquit, sequiturque nos, etiam cum ab illis discesserimus, resurrecturum malum. Quemadmodum qui audierant symphoniam, ferunt secum in auribus adulationem ac dulcedinem cantus, quæ cogitationes impedit, nec ad seria patitur intendi. Sic adulatorum & prava laudantium sermo diutius hæret quàm auditur, nec facile est animo dulcem sonum excutere, prosequitur, & durat, & ex intervallo recurrit. Ideo claudendæ sunt aures malis vocibus, & quidem primis, nam cum initium fecerint, admissæque sunt, plus audent.

Sufurro-  
nes.

2. Innumeri decipiuntur per linguas Sufurronum, hoc est, eorum qui quod ab uno aliquo audierunt, recta referunt ad alium, dicuntque: Hoc talis de te dixit, & tu tibi illum amicum credebas; etiam istud coram aliis, de te ausus est dicere: Sæpè rem augent, adduntque

duntque de suo, interdum mendaciis narrationem inspergunt, ut cum cui talia dicunt, in alterum magis inflamment.

1. Duplex fufurro est qui quod uni parti dixit, rursus refert ad alterum quod ex primo audivit. Imo quod pessimum est: Ipse sæpè primus incipit fraudulenter malè loqui cum aliquo de tertia persona; ut illum pariter ad malè loquendum inducat, & possit referre ad alterum quod audivit, ut ab illo gratiam ineat, & alium inducat in odium. Non est pejus, inquit *Seneca*, hominum genus. Veniunt turbaturi familias, destructuri amicitias, sed sub velo compassionis, & quasi solliciti de honore illius cui aliquid referunt: Vehementer doleo, inquiunt, Domine mi, te ita passim traduci, mallem hoc audires ex alio quam ex me, quia tamen me tibi fidelem ostendere cupio, filere nequeo quod de te spargit ille in quem tot beneficia contulisti, non possum satis mirari quod de te talia audeat dicere. Ad quid ad hæc omnia? ut tanto libentiùs audiatur, & animum audientis tanto magis ad iracundiam provocet contra alium: Et post omnia vel maxima pars, vel omnia deprehenduntur esse mendacia, quæ finxit vel ut gratiam iniret ab eo cui similia defert, vel odium expleret quo ferebatur in illum quem finxit talia dixisse.

2. Sic *Spoletis* fuit anus quædam, quæ ad notum sibi Dominum quendam accessit, & tanquam de ipsius vita sollicita, cum tamen nihil subesset: Domine mi, aiebat, talis nobilis militem conduxit, & tuæ vitæ struit insidias, tuum erit prudenter has declinare, aut vim vi repellere: Mox accessit ad alterum, & ait: Talis vim contra te parat, ego incolumitatis tuæ amans, monere te volui, ne forte inermis in illius manus incideres: Nunquid merito dixit Scriptura, tales homines maledictos esse, & abominabiles Deo? & tamen quibus passim faciliùs aures præbemus quam his? quibus faciliùs credimus? admittimus illorum mendacia tanquam oracula, & ut vera aliqua sint quæ referunt male dicta ab alio, non oportet esse tam levem corde, qualis Dominus *Josephi* fuit, ut statim credantur.

3. Quot decipiuntur per linguas calumniatorum? Hoc vitium nemini parcit, & plerisque persuadet quod dicit, accusat iudices injustitiæ, innocentes malitiæ, doctissimos imprudentiæ, pios hypocritis, religiosos superbiæ & avaritiæ, principes negligentæ, & nunquam defunt qui id credant: Etiam ipse *David* ab hac levitate liber non fuit.

Erat *Miphiboseth* filius *Ionathe*, & nepos *Saulis*, homo innocentissimus, non potuit tamen vitare calumnias. Quidam ipse famulus, nomine *Siba*, accusavit illum falsò rebellionis apud *Davidem*. *David* nimium credulus, privavit illum omnibus bonis, & dedit illa *Siba*; Postea calumnia patuit.

Erat *Susanna* inter omnes pudicissima, de qua, ut ait Scriptura, quod nullus unquam malum verbum locutus fuerat, & tamen non evasit calumniam duorum seniorum, qui illam accusarunt adulterii, & tam cito hoc iudices credidè, ut illam condemnarent ad mortem.

Quid sanctius *Mardocheo*, quis Regi *Assuero* fidelior, & tamen accusavit illum *Aman* perfidiæ. & tam levis corde fuit *Assuerus* ut calumniam crederet, adeo ut *Aman* potestatem concederet illum cum omnibus *Judæis* mactandi. Vix ullus est liber à calumnia, & vix ullus est qui non facilè credat.

Nimis longum esset omnia singillatim enarrare, quando tam manifestum exemplum in nostra materia habemus præ manibus in *Putiphare* Domino *Josephi*: Accusabat hunc domina falsò adulterii. & ille, inquit Scriptura, *nimium credulus verbis conjugis, tradidit Joseph in carcerem*.

Deus bone! quid hætenus tota vita sua non fuit passus innocentissimus ille juvenis: Cum esset puer, amandatus fuerat ad pascendas oves inter filios ancillarum patris, *Bala* & *Zelpha*, homines inhumanos & rudes qui durè illum tractabant: Cum esset adolescens, non poterant fratres illum ex invidia ferre præ oculis, nec ullum ei verbum pacificum loqui, paulo post cogitant illum occidere, eripiunt illi vestes, tradunt illum in cisternam devorandum à bestiis, vel fame periturum: Deinde vendunt illum *Ismaëlis* deducendum in terram peregrinam procul extra oculos parentum omniumque amicorum, in *Egypto* venditur in mancipium, falsò accusatur à domina, denique jam in carcerem mittitur. Sic agit Deus cum sibi charissimis ut virtutem illorum experiatur, sicut aurum in fornace probatur, denique benè probatos tanto altius evehat, quanto magis depressit. Hic mos Dei est, inquit *S. Ambrosius lib. de Joseph*, è tenebris in lucem educere, & de stercore erigere pauperes ut collocet eos cum principibus: vel, ut ait *D. Bernardus*, Sicut stellæ in nocte lucent, in die latent, sic vera virtus, sæpè in prosperis non apparet, eminet in adversis.

Si *Iob* semper mansisset qualem illum Scriptura depingit cum sederet in throno totius *Idumæe*, & *Arabie* potentissimus Princeps, ac opulentissimus, quando, ut ipse testatur, magna multitudo servorum stabat in circuitu ejus, lavabat pedes suos butyro, procedebat ad tribunal civitatis ut iudex supremus, quando juvenes præ reverentia non audebant illum aspicere, senes illi assurgebant, principes cessabant loqui, vocem suam cohibebant duces, omnes illum laudabant, quis unquam novisset virtutem patientiæ ipsius, si semper in tanta prosperitatis luce mansisset, tunc illa latebat, sicut stellæ de die, at ubi nox adversitatis advenit, quando ad extremam paupertatem redactus est, & plenus ulceribus sedebat in fimo, tunc primum virtus illa apparuit, totique orbi innotuit, sicut stellæ apparent de nocte.

Sic nullus unquam virtutes *Josephi* novisset, si flammæ afflictionum ac persecutionum illas non illuminassent, tunc primum, inquit *Ambrosius*, apparuit ejus patientia cum projiceretur in puteum, tunc ejus humilitas cum venderetur in servum, tunc ejus pudicitia cum sollicitaretur ad adulterium, tunc ejus mansuetudo cum coniceretur in carcerem, tunc denique ad summa evehctus est, postquam fuerat ad ima depressus & humiliatus.

## DISCURSUS X.

*Ioseph à custode carceris benignè habetur.*

**I**oseph, inquit Scriptura, jam erat clausus in carcere, sed fuit Dominus cum eo, sive, ut ait Scriptura: *Descendit cum illo in foveam, & in vinculis non dereliquit eum.* Pœnè dixerim non minus felicem fuisse carcerem istum quam cælum: Nam in cælo semper cum Domino erimus, & in hoc carcere erat Deus quasi simul victus cum *Ioseph*: Quis non optet amittere libertatem ut secum habeat Deum? & alligari catenæ, cui Deus alligatus est!

Miserus ergo, inquit Scriptura, *Deus Josephi, dedit ei gratiam in conspectu principis carceris.*

Qua arte quæso *Ioseph* promeruit gratiam istius principis? nihil enim aliud Scriptura dicit de illo, quam: *Erat ibi clausus: Fuit autem Dominus cum Ioseph, Patiebatur angustias carceris, fitebat: An*

ergo non jejunaverat, non oraverat? cinerem suo capiti non asperferat? Scriptura non meminit. Quid ergo egerat? nihil. *Erat ibi clausus*. Non volabat mente ad domum *Putipharis*, confidens fore ut aliquando vel adultera ad meliorem mentem rediret, eamque pœniteret calumniæ, vel dominum miseret æconomi sui: Non illi libellos supplices submittebat; non parentem, fratresque de sua calamitate per litteras monuit. Non denique præfecti gratiam assentationibus lucrari satagebat: Unum hoc dumtaxat agebat *Ioseph*, nempe, *Erat ibi*, perstabat ubi eum Deus locaverat. Idcirco summa animi tranquillitate, ac patientia, sine ulla contradictione, angustias carceris tolerabat, sufficiebat illi quod Deus esset cum eo, nec dubitabat de ejus auxilio.

De facto, *miserus illius, dedit ei gratiam in conspectu principis carceris*. Quo modo? molliendo ipsius animum, & immittendo illi inclinationem ad *Ioseph*, cor enim principum in manu Domini, vertit illud quocumque vult: Sed quare potius Deus non molliuit animum *Putipharis*, cui facile erat redamare quem prius tantopere amaverat? & probum credere quem diu expertus fuerat optimum? at majori miraculo opus erat ut Deus faceret *Putipharem* revocare suum judicium, renuntiaretque pudicum *Iosephum*, quem pronuntiarat adulterum. Vix enim aut raro hujusmodi homines revocant suas sententias aut opiniones, quia malunt semper errare, dum semel errarunt, ne videantur errasse: Auctoritatem suam obstinatione tueri volunt, & innocentiam relinquere oppressam potius, quam fateri injustitiam suam. Sciebat Deus, etiam intellecta *Iosephi* sanctitate, & uxoris calumnia, *Putipharem* non recessurum à priori sententia, nec declaraturum *Iosephum* innocentem, ne se declararet injustum, & uxorem perjuram. Adeo odit humana superbia revocare quod statuit, quamvis innocentia patiatur, & propria conscientia gravissimo scelere maculetur.

Propterea crediderim ego, tam effusam fuisse *Christi* erga bonum latronem benignitatem ut illi cælum promitteret, faceretque cælestis regni hæredem, quod sibi videret jam supplicentem, agnoscentemque ut Dominum, quem prius audiverat se blasphemantem. Plus enim erat revocare blasphemiam, quam non blasphemasse, quia miraculo proximum est adorare quem antea spreveris, & Deum fateri quem prius irriseras,

Sed unde patuit quod *Ioseph* iniisset gratiam præfecti carceris?

ex

ex eo quod sequitur. Tradidit, inquit Scriptura, in manu illius universos vinculos, qui in custodia tenebantur, & quidquid fiebat, erat sub ipso, nec noverat aliquid, cunctis ei creditis, Dominus enim erat cum illo, & omnia opera eius dirigebat.

Quaestio est an hic praefectus carceris prudenter egerit an imprudenter, quod tantam potestatem in captivos *Josepho* contulerit, ut nihil, sicut ait Scriptura, fieret quod sub *Josepho* non erat, omniaque ei ita crediderit, ut ipse nihil sciret eorum quae agerentur? Quoad me, non ausim illum laudare, quia non sensim curam istam dedit *Josepho*, sed omnem suam auctoritatem simul in eum transfulerit, ut *Joseph*, illo inscio, pro arbitratu suo cuncta disponeret.

Hoc tamen non raro videmus etiam in quibusdam familiis, ubi parentes, vel ex negligentia, vel ex ignavia, vel ex nimia huc atque illuc ad consortia discurrendi, libidine ac licentia, omnem curam liberorum relinquunt nescio quibus ancillis aut servis, qui *Joseph* interdum non sunt, sed sicut *Agar Abrahami* ancilla, qui filios pravis suis moribus corrumpunt, interea dum parentes non norunt quid agatur. Hinc non est mirum si liberos immorigeros habeant, liberi enim vicia trahunt à quibus educantur. Affricantur illis mores serviles ex diuturna consuetudine cum servis, & illorum animis, tanquam cera emollita, ita sui effigiem imprimunt, ut illa servilis imago postea eradi non possit.

Numquid hoc est mirabile? vagientibus in cunis liberis matres adsunt, plorantibus in sinu blandiuntur, tot annos molestias quasque tolerant, metuentes ne pereant, si deserantur. Quid? dum corpus tantum filii periclitatur, toleratur si ploret, si tundat, si recalcitret, vix discedunt à latere etiam nocte, & adultum relinquimus, ac tradimus alteri educandum quando salus animae periclitatur? Sol filii, oculus est patris, inquit *Chrysologus*, quomodo ergo, filius sine sole, hoc est, sine cura patris & vigili oculo, non cadet in tenebras peccatorum? non invigilabat liberis suis *Jacob* quando in omnia scelera prouere: tunc cogitarunt innocentissimum fratrem suum *Josephum* occidere, projecerunt in cisternam, vendiderunt *Ismaelitis*: Numquam *Cain* conceptam animo caedem perfecisset, nisi longius recessisset extra oculos parentum, tunc ausus est illam perpetrare cum fratrem suum *abelem* duxisset in agrum: Nullus tam sapiens filius qui prope parentes non sit sapientior, & sine

*Liberorum educatio.*



fine illis desipere non possit *Abfalon*, sive populum sollicitet ad tumultum, sive fratrem jugulet, sive sacrilegus sit, sive rebellet contra parentem, aberat à patre suo  *Davide*. Procul à conspectu Patris  *Dina*, virginitatem amittit.

Vide quid agas quando omnem curam liberorum tuorum rejicis in servos, vel ancillas, imò & nutrices, & quasi ab illis retrahis manum, ut molestias vitando, tanto liberiùs deliciis vaces, & alienis tempus impendas, quod ex obligatione liberis debebas impendere. Numquam illi quibus curam liberorum demandas, præstabunt, quod vos parentes illis præstaretis vestrà diligentiam, & vigili oculo.

Placet ne hoc i. Videre in quadam similitudine? Tempore  *Trajani* Imperatoris tam sterilis erat ager  *Romanus*, ut vix decimam partem fructuum ferret quos solebat: Cives, terræ, vitium imputabant, sed aliquis intervenit, qui illud in terræ cultores, ejusque culturam refundebat, dicens, Feraciorem olim fuisse agrum, non quod in se pinguior esset, sed quod Imperatorum manibus coleretur, quando ipsimet terram vomere scindebant, aratamque fimo inspergebant, insperfamque serebant, ideò fructus tulisse pares colonis. Postea mancipia illam coluisse, adeoque terram quasi puduisse eodem fructus præbere servis quos consueverat dare Imperatoribus. Proinde magnates inciperent rursus manum admoveere aratro, si cuperent pristinam terræ ubertatem.

Quod ille de agris sensit, hoc ego de liberis eventurum pronuntio. Miramur passim liberos à parentum indole genioque deficere, ipsimet parentes turpiùs à majoribus suis defecissent, si hi illos, nulla eorum curâ habitâ, ancillis aut servis educandos tradidissent. A te debet filius imbui ut efflorescat, sicut ager  *Romanus*, excultus ab Imperatoribus, fructus uberiores proferebat, non quod Imperatoria manus majores vires haberet quam servilis, sed quod illi diligentius, majorique cura incumberent operi quam mancipia.

Agant parentes quod debent. Hoc illis à Deo impositum est munus & onus, ut ipsimet invigilent in liberos, ipsimet illorum curam gerant, ipsimet illos imbuant, ipsimet illos corrigant, ut quid ergo aliqui onus à Deo sibi impositum rejiciunt in humeros servorum, nutricum, vel ancillarum? plus valet oculus parentum ad liberos coercendos, quam verbera aliorum. Videmus parentes in templis orare, laudandum est, sed non debent existimare se non orare quando

do invigilant liberis, si enim hoc esset, non video quare angeli non potius apparuissent *Abrahamo*, vel oranti in montibus, vel contemplanti in agro, quam cum sederet pro foribus tentorii sui: Ait enim Scriptura *Gen. cap. 18. Apparuit ei Dominus sedenti in ostio tabernaculi sui.* E contrario visus est angelus *Zacharie* cum sacrificium offerret in templo.

Quare *Abrahamo* apparet sedenti in domo sua, *Zacharie* vero oranti in templo? nimirum ut testaretur nihil magis laudandum in paterfamilias quam si domui suæ invigilet, sicut in Sacerdote nihil magis probatur, quam si inveniatur in domo Domini, immemor domus suæ. Sacerdos ergo *Zacharias* recreatur ab angelo dum procul abest à domo sua: Paterfamilias vero *Abraham* ab angelis invitatur, non quando sedet in pomario, vel in villa suburbana, vel in consortio, sed quando sedet in ostio domus suæ, ut parentes doceantur ita invigilare per se, & non tantum per alios, domui suæ, ut sciant quinam domo egrediantur, & domum ingrediantur.

Si ergo præfectus ille carceris, sic omnem curam totius domus *Iosepho* reliquit ut ipse nihil profus sciret quid ageretur, nullo modo hoc probo, nec laudo: Non puto tamen tam ignavum, nec imprudentem fuisse, ut, quamvis de commissis *Iosepho* victis non laboraret, *Iosephi* tamen gesta non observaret. Cum enim scribat *Moyes* quod *Deus omnia Iosephi opera dirigeret*, non dubito quin præfectus ille propter præclarè gesta *Iosephi*, quem videbat numini charum, ad hoc muneris assumpsisse. Præfuerat summa cum laude toti domui *Putipharis* supremi ducis exercitus, an post tantum munus benè obitum, non poterat præesse ergastulo *Pharaonis*? Ideo ergo omnia *Iosepho* tradiderat carceris custos, qui animadvertent, nihil à sancto juvene non sanctè agi.

Quando parentes tales nacti sunt quibus filios committunt, qualis erat *Ioseph*, non improbo si partem curæ in illos conijciant. Sed sæpè contingit ut omnia inquiramus de ancillis ac servis, excepto illo, an timeant Deum: Ergone putas tibi fidum futurum, qui infidus est Deo? quidvis in servo vel ancilla examinatur præter conscientiam, hinc fit, ut litteræ efferantur è domo, & inferantur in domum te incscio, quas oportebat comburi, hinc clandestinæ interdum filiam inter & ancillam, negotiationes, quæ postea magno tuo dolore, erumpent in publicum. Sed *Iosephum* admisisti in domum, non est quod diffidas, ita tamen sicut custos carceris,

qui dicebat *Iosepho*: Tu carceri præeris, sed & ego tibi: Tu vincetus observabis, sed ego te observabo.

## DISCVRSVS XI.

*Conjiciuntur duo nobiles in carcerem, & Ioseph illis ministrat.*

**I**Nterea dum *Ioseph* captivorum curam sedulo gereret, accidit, inquit Scriptura, ut peccarent duo Eunuchi, pincerna regis *Aegypti*, & *Pistor*, Domino suo: Iratusque contra eos *Pharao*, misit eos in carcerem, in quo erat vincetus & *Ioseph*: At custos carceris tradidit eos *Ioseph*, qui & ministrabat eis.

Primo, inquit *Moses*: Hi duo peccaverunt: Si quæris quid commiserint? respondeo; peccaverunt. Non hoc, inquires, quæro, sed, quod fuerit illorum flagitium? ait peccaverunt. Una causa ista sufficit apud Magnates, peccaverunt: Aliud nec dici potest, nec quæri: Si secreta magnatum explores, & petas de vincetis, uno verbo omnium illorum acta intelliges: Peccaverunt, & hoc sæpè significat, non peccarunt: Dicuntur ergo hi duo nobiles primo die quo in carcerem coniecti sunt, peccavisse, antequam de illis actum erat in iudicio, aut de ullo crimine in particulari accusati, hoc sat est, peccaverunt: Quid peccaverunt? hocine de illis dicitur, antequam ullus testis accessit? antequam vocati in jus? antequam sit habita quæstio? post iudicium pronuntiari debet delictum, hinc iudicium antecedit, diciturque de miseris ante cognitam causam, peccaverunt: Nullus tam innocens qui sic condemnari non possit,

Sic *Cayphas*, antequam rogaret sententias Sacerdotum, *Christum* reum pronuntiavit: Audistis blasphemiam, inquit, quid adhuc egemus testibus? mox omnium consensu damnatur ad mortem, Sed pergamus.

Dicit *Moses* 2. Iratusque contra eos *Pharao* (nam alter pincernis præerat, alter pistoribus) misit eos in carcerem.

Quare tam iratus? non tantum quia peccaverunt, ut audivimus *Mosen* modo dicentem, sed quia principes erant qui peccaverant, unus enim, inquit *Moses*, erat præfectus pincernarum, alter pistorum, Tanto enim majus delictum erat, quo majores erant qui peccaverant: Peccatum civis apud *Pharaonem*, crimen est, sed crimen Præfectorum, flagitium: Sic Vapor in palude fumus est, in aère est fulgur.

Alios

Alios hodieque sæpè videmus mores agendi, prorsus diversos à moribus *Pharaonis*. Apostemata enim magnorum sædissima pro nocivis habentur, papula: vero vulgi pro cancro, ideoque igne uruntur & secantur novacula.

Non ita edocti fumus in Academia humani corporis, ubi ungues excruciantur nullo manuum periculo, & summo discrimine ferrum membris admovetur: Imo cum post plagas enormes, sæpè vivamus, si cor vel acu pungatur, interimus. Magnates cor sunt reipublicæ, Superiores quisque in suo: Lethalia proinde sunt quæcumque illi committunt, quæ forte parvi momenti essent in plebe.

Quid levius quam censere populum, & catalogum subjeutorum, tamen quod in cive pro vanitate reputaretur, in *Davide* punitum fuit strage multorum millium hominum: Adeo magnatum sædiores macula: sunt, & graviora peccata, quam inferiorum. Ut quid ergo dissimulatur cum flagitiis magnorum, quandoquidem vestis illorum byssina, aut divitiæ, aut dignitates illa non tegant, sed magis faciant eminere reddantque suo fulgore tetriora.

Jure irascitur *Pharao*, & sævit in duos Eunuchos, non tam quia peccaverant, sed quia peccaverant cum principes essent, qui cæteris debuerant bono præire exemplo. Crescit cum granditate personæ granditas criminis.

Princeps civitatis *Sichem* vi oppresserat virginem, Rex *Ægypti* eripuerat *Abrahamo* uxorem, nec tamen illam attigerat. Primus non legitur ab ipsomet Deo punitus: Alter, inquit Scriptura *Gen. cap. 12.* flagellatus fuit à Domino plagis maximis, cum tota sua domo. Gravius puniebat Deus majorem, Rex enim dominabatur vasto & amplo imperio, alter vero scilicet Princeps *Sichem* vix parvo oppidulo. Videant ergo illi qui aliis imperant quid agant: In plena luce sunt, sicuti ergo etiam atomi videntur in sole, sic etiam in illis minima vitia observantur.

3. Dicit Moyses, quod illos duos nobiles conjecerit in carcerem, quia peccaverant contra *Dominum suum*.

Quam felix fuisset *Ægyptus*, si passim ita puniti à Rege fuissent qui peccabant in Deum, sicuti illi qui peccabant in regem; ne lixam quidem ab illo damnatum legimus, quod contra religionem aut Deum peccasset. Et nos in furias agimur si quis objiciat vilitatem familiæ, si vero Deum vilipendi videmus, etiam interdum rideamus: Irascimur si nos quispiam injurioso verbo appellet, & non  
semel

semel movemur, si quis Deum blasphemet. Vociferamur, & debacchamur si servus aliquis suo desit officio, & non semel os aperimus si quis peccet contra cultum Dei. Hinc tandem eo deventum est ut politia præposita fuerit religioni, & divina cedere debuerint humanis.

4. Dicit *Myses* quod illi duo nobiles missi fuerint in carcerem in quo erat *vinctus* & *Ioseph*, & quod illis ministrabat.

Quomodo *vinctus* ibi dicitur *Ioseph*, ubi *vinctis* præerat, & omnium *vinctorum* curam gerebat? Existimo sanctissimū adolescentem non tantum *miserias* carceris patienter tulisse, sed etiā sub vesperam pedicas induisse, seque vinciri, cæterorum reorum more iussisse: Imo puto, sic illum de die cæteris ministrasse, ut catenam vel traheret, vel circumferret ad cingulum. Misertus enim aliorum nolebat ostentatione libertatis suæ, illorum catenas graviores facere, vult *catenatus* incedere ne à sociis dissentiret.

Cum ergo duo illi nobiles carcerem intrassent, statim *Ioseph* ministrabat illis: Videbat illos ex sua illustri conditione deturbatos, & memor unde ipsemet excidisset, expertus in se quid esset ex magna felicitate decidisse in magnas *miserias*, misertus illorum, non explodebat, non irritabat illos, non improperebat illis, sed ministrabat eis cum omni benignitate.

Nam ut *Sophocles* ait: Qui *miserias* experti sunt, hi soli verum ex aliorum afflictionibus dolorem capiunt. Sic cum *Aneas* per multas tempestates, pericula, & naufragia venisset ad *Didonem* Reginam *Tyri*: Illa audiens vidensque ejus *miserias*, summa illum cum humanitate & affectu excepit atque tractavit, dicens: Non ignara mali, *miseris succurrere disco*. Ego quoque plurima passa sum, scio quid sit esse miserum; ideo tanto magis misereor tui.

Compas-  
sio.

Et hæc non postrema rationum est, cur Deus nos sinat in *miserias* labi, ut alter alterius ferre dolores discat: Qui paupertatem expertus est, facilius pauperum misereatur, iisque succurrit: Qui sæpius ægrotavit, citius ægrorum misericordia commovetur: Qui reipsa didicit quid sit contemni, & esse in luctu, statim benigno oculo animoque aspicit luctuosos, & abjectos. Qui semel bonorum jacturam fecit, supra cæteros illius miseret super quem eadem fors venit.

Volebat olim Deus *Exodi cap. 22.* docere filios *Israel* ut benè haberent advenas, & alienigenas: *Advenam*, inquit, non contristabis, neque affliges eum, advena enim & ipsi fuistis in terra *Egypti*. Vestra

vos experientia docebit quā miseranda fors sit, vivere captivum, & servum, laboribus oppressum in terra aliena; quare non multis verbis opus est ut vos doceam adhorterque ut similibus misereamini, vos ipsos tantum aspiciate, & mementote quid aliquando fueritis.

Putat etiam *D. Leo* quod Deus tam graviter labi permiserit *D. Petrum* Apostolum, ut postea, accedentes ad se peccatores, memor infirmitatis propriæ, cum misericordia ac suavitate admitteret, absolveretque: Erat enim naturâ fervidus & severus, non poterat fervor ille ac severitas erga alios melius temperari quam perspectâ propriâ sua infirmitate & lapsu.

Imo *D. Paulus* *Hebr. cap. 4.* ipsummet *Christum* nobis in exemplum proponit, dicens: *Non habemus Pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ ut misericordiam consequamur.* Hinc fit è contrario ut nulli magis duri & immisericordes sint erga miseros quam qui nunquam miseras sunt experti.

Tam crudelis erat dives *Epulo* erga pauperem *Lazarum*, ut nec micæ quidem cadentes de mensa vellet illi dari videbat illum ante fores jacentem in terra, non movebatur: Videbat à capite ad calcem ulceribus plenum, non movebatur, videbat fame pereuntem, non movebatur: Audiebat illum ingemiscentem & ejulantem, non movebatur, audiebat clamantem, ut saltem micæ mensæ illi præberet, non movebatur. Quid mirum? numquam expertus fuerat quid esset in nuda humo jacere, cubabat enim semper in molli strato, serica inter stragula, byssinasque cortynas: Numquam expertus erat quid esset incommoda nuditatis tolerare, semper enim pretiosis purpureisque vestimentis inceserat: Numquam expertus fuerat quid esset esse in luctu, semper enim musicæ voces, & instrumenta auribus ejus insonuerant: Numquam expertus fuerat quid esset famem pati, epulabatur enim quotidie splendide. Quomodo poterat talis homo miseris compati?

Aliud nobis exemplum proponit *Jeremias* *Propheta cap. 48.* ubi *Moabitis* describit *Fertilis*, inquit *fuit Moab ab adolescentia sua &c.* Semper versati fuerat in rerum omnium abundantia, hoc unum sciebant, bibere, inebriari, joculari, ludere, omni voluptatum generi vacare: Idcirco tam erant immisericordes & barbari erga miseros, ut *Propheta* dicat *Bibebant vinum in phialis, optimo unguento delibuti, interea videbant filios Israel perire miseris, & nihil, inquit Propheta, patiebantur super*

*contritiones Ioseph.* Quapropter non miror quod *Ioseph* tam particulariter ministraret duobus illis captivis nobilibus, quia eandem ipse fortunam expertus fuerat quam jam ipsi subibant, à summo dejectus ad imum.

Denique hic oculis spectamus, quid sit mundus, ejusque felicitas, ac prosperitas. Habemus hic tres detrusos inter miseras carceris. Quales illi fuerant? *Ioseph* fuerat oconomus *Putipharis* ducis exercitus, & nobilissimæ amplissimæque familiæ: Alter fuerat Princeps pincernarum, tertius pistorum, in aula regis *Egypti*; multâ singuli valebant gratiâ apud Dominos suos. Tota hæc felicitas in momento evanuit. Heri in palatio, hodie in ergastulo: ob quam causam? vel ob nullam, vel ob tam levem ut pudeat dicere. *Ioseph* ob nullam, dicit enim: *Ego hic innocens in lacum missus sum, & verum dicebat.* Princeps pistorum, ut aiunt *Rabbini*, propter araneam inventam in pane qui regiæ mensæ impositus erat; Princeps pincernarum propter muscam inventam in cratere quem regi porrigebat ad mensam. Hæc quidem fabula est, non malè tamen excogitata, ut ostendatur quam ab exigua re dependeat humana felicitas.

Felicitas  
humana  
dependet  
à minimo.

Verius hoc Deus ostendit *Daniel cap. 4.* *Nabuchodonosori* regi, quando illi in somnis objecit arborem magnitudine ac pulchritudine admirandam: *Altitudine tangebatur celum, aspectus illius erat usque ad terminos universæ terræ: Folia ejus pulcherrima, & fructus ejus nimius, & vesca universorum in ea: Subter eam habitabant animalia & bestie, & in ramis ejus conversabantur volucres celi, & ex ea vescebatur omnis caro.* Simul tamen auditus est clamor: *Succidite arborem, & præcidite ramos ejus, excutite folia ejus, & dispergite fructus ejus: Fugiant bestie quæ subter eam sunt, & volucres de ramis ejus.*

Huic arbori similis est favor humanus: In altum evehit usque ad nubes, à nemine non expetitur, fructus illius videntur dulcissimi, omnes concurrunt, omnes ibi latere volunt: At subita ex alto venit procella, quæ ramos hujus arboris frangit, fructus dispergit, homines sub ea latentes expellit. Jam oculos convertite ad illos tres captivos, *Iosephum*, Principem pistorum & pincernarum: omnes valebant gratiâ apud Dominos, omnes illorum gratiam amiebant, jam arbor illa excisa est, & jacent prostrati, vinculis innexi, favore destituti, sententiam cum timore expectant, & nemo est qui illos respiciebat.

Optimè monet *David Psal. 36.* *Noli emulari in eo qui prosperatur in via*

*via sua*: Mundi enim prosperitas ac felicitas, qua multis annis collecta fuit, momento sæpè amittitur; gratia enim & favor humanus, magno labore acquiritur, celerrime perditur; Hodie in folio, cras in luto. Quotiescumque fortuna ridet, expectandæ sunt lachrymæ: Nam innumera hæcenus toto orbe, & omnibus sæculis fuere exempla, quæ nos docent, quod illa homines in altum evehat, ut dejiciat, juxta illud Poëtæ: *Tolluntur in altum, ut lapsu graviore ruant.* Sic naves dum secundo vento feruntur per æquora, subito vertit ventus, momento ingruit tempestas, & sorbentur ubi luserunt.

Audiamus *Senecam lib. de tranquill. cap. 11. Quæ sunt divitiæ*, inquit, *quas egestas à tergo non sequatur?* & quamvis non omnes semper in vadat, sequitur tamen ut det ultimum ictum, si fortè aliqua occasio sese obtulerit: Numquid de factò *Iobum* ditissimum principem è folio deturbavit in firmum?

Pergit *Seneca: Quæ dignitas, quam sordes & extrema contemptio, non comitentur?* Numquid, *Belizarium* duccm supremum *Romani* exercitus, innumeris victoriis clarum eo dejecit fortuna ut publicè cogeretur sedere ad portas urbis ad mendicandum?

Pergit *Seneca: Locuples es?* inquit, numquid ditior *Pompejo?* cum tot flumina possideret, fame ac siti periit in palatio cognati. Summis honoribus functus es? numquid tam magnis ut *Sejanus?* Quo die illum Senatus in triumpho deduxerat, populus in frustra divisit. Ita *Seneca*. Ego vero quid dicam de *Gilimere Wandalarum* Rege, qui victus, & vinctus cum uxore, liberis, totaque familia Regia, à *Ioviniano* Imperatore ductus est in triumphum inter mille injurias, & opprobria populi? Quid de *Bajazeth Turcarum* Imperatore, qui prælio victus & captus, ferreaque inclusus caveæ, tergum quotidie præbere debebat victori suo currum ascendenti, ejusque sub mensa, canis instar, comedere quæ illi projiciebantur? quid dicam de *Amano*, qui primus à rege, totiusque *Persie* potentissimus Princeps, suspensus est in patibulo? quid de *Nabuchodonosore* qui dejectus è throno, expulsus fuit in silvas victurus inter bestias? quid denique, (numquam enim esset finis) de *Comite Italo Hugolino*, qui ad tantum bonorum omnium fastigium ascenderat, ut fortuna omnes suas opes in ejus familiam effudisse videretur, adeo ut die suo natali cum convivium splendidissimum instruxisset, super mensam ausus fuerit petere: Quid sibi ad omnem felicitatem deesset? unus è convivis blande illi respondit: Proximi vicini sunt felicitas



felicitas & infelicitas : Haud multo post fortunatissimus ille Comes, una cum liberis capitur, turri includitur, fame necatur.

Clamabat olim Poëta ad formosum adolescentem : *O Formose puer ! nimum ne fide coloris* : flos est qui eodem sapè die flaccescit quonatus est, bulla est quæ varios ab aëre trahit calores, & unico habitu crepat, & diffatur in aera ; non minus fragilis est fortuna, in hoc colore formæ fragilior, quod ille sola passim senectute auferatur, hanc vero innumeri vere quotidie casus possint eripere.

Propterea cum *Philippus Macedonum* Rex multos uno die lætos faustosque nuntios de rerum suarum successu accepisset, rem habens suspectam, exclamavit : *O Fortuna*, pro tot tantisque bonis parvum aliquod malum retribue : Putabat enim tot prosperos successus, aliquo casu sinistro temperandos, ne fortuna tota simul, ac momento, se in contrariam plane verteret partem.

## DISCURSUS XII.

*Princeps Pincernarum & Pistorum, uterque somnium vident in carcere.*

**A** *Liquantulum*, inquit Scriptura, *temporis fluxerat, & illi in custodia tenebantur; videruntque ambo somnium nocte una.*

Notandum hic ante omnia, triplex esse somniorum genus, nempe, à Deo, à dæmone, à Natura. Valde difficile est assequi quænam à Deo sint, quænam à dæmone : Naturalia vero somnia plerumque patent per se, proveniunt enim vel à cogitationibus diurnis, vel à diversa corporis constitutione.

Homo sanguineus, volucres, musicam, convivia, & loca amœna somniat, subinde per aërem volat, tripudiat, ridet, signum bonæ constitutionis; Iracundi, cædes, verbera, flammæ, & ignes somniant; Phlegmatici aquas somniant, navigant, natant, proficiscuntur per pluvias &c. melancholici plerumque tristitia & horrida somniant, morbos, mortem, funera, sepulchra, arduas vias in quibus non inveniunt exitum, cadunt in foveas, fugiunt se persequentes &c.

Si quis jam quærat ex me an ex somniis quidpiam conjectare possimus? Respondeo, ex naturalibus licet conjectare de valetudine

de affectionibus corporis, de bono vel malo temperamento: De hoc enim libros scripsere Medicorum Principes Hippocrates & Galenus. Hoc posito, viderunt ambo isti Eunuchi in carcere somnium una nocte, non naturale, sed à Deo immissum, ut postea patebit. Ad quos, inquit Scriptura, cum introisset Ioseph mane, & vidisset eos tristes, sciscitatus est eos, dicens: Cur tristior est hodie solito facies vestra? qui responderunt: Somnium vidimus.

O Juvenem angelico nomine dignum! Statim ac surrexerat, inivit victos suos, quos propter dignitatem, loco aliquo separato posuerat. Ipsemet lustrabat ergastula, & summo mane lustrabat, non ut exploraret crates, aut ostia aut seras, sed ut victis prospiceret de iis quibus indigebant, quos ne quidem tristes esse patiebatur; ideo petit: *Cur tristior est hodie facies vestra?* Vix mater hoc adverteret in filio, & hoc advertit Ioseph in alienis; signum tenerrimi animi & affectus in miseros: Nec advertit tantum, sed etiam causas indagavit, ut dolori remedium adferret. Quasi diceret: Quid habetis? num satellites vobis molesti fuerunt? an victus defuit? an duplicata fuerit vincula? an tristem aliquem nuntium accepistis à rege? an forte custos carceris vobis adfuit, & non satis honestè tractavit? quid est? Si omnes qui in miseros incidere, vel quorum munus est agris adesse tam benigni & affabiles essent erga eos, & tam seduli in illis prospiciendo, ministrando, ac consolando, ut erat hic sanctissimus adolescens, nec pauperes, ut sæpè fit, duris verbis dimitterentur, nec pupilli ac viduæ omni auxilio destitutæ negligenter, nec ægris deesset solatium, nec tam tarde illis ministraretur quod opus habent. Quisque in eiusmodi occasionibus angeli munus fungeretur, quo Iosephungebatur. Angelorum enim, præsertim custodum, munus proprium est, sibi commissos juvare, solari, iisque prospicere, dum vel derelicti sunt, vel in luctu, vel in necessitate.

Agar Abrahami ancilla vagabatur cum puero suo in solitudine, & amare flebat, quia derelicta erat, & expulsa domo, ac moribunda præ siti: mox adfuit ei angelus, & cum illam hisce blandis verbis: *Agar, ancilla Sarai, unde venis? aut quo vadis?* allocutus fuisset, ostendit ei fontem aquæ unde biberet.

Elias fugiebat Iezabel tanto luctu oppressus, ut se projiceret præ radio infra arborem, & optaret mori, nec à multis diebus comederat: Accurrit Angelus, eumque solatus, apposuit panem & aquam ut se confirmaret.

In summa necessitate erat *Daniel* cum jaceret in lacu leonum; Arripuit Angelus Prophetam *Habacuc* per capillos, vexitque ad lacum ut prandium ferret *Danieli*.

Jacebat in carcere *Petrus* vinctus catenis duabus. Etiam de nocte venit angelus qui illum catenis carcereque exemit.

Jacebat *Lazarus* totus miser & aeger ante fores divitis epulonis; venerunt angeli, aliterunt morienti, & portarunt illum in sinum *Abrabe*.

Quisquis ergo se erga miseros, luctuque oppressos gerit, ut *Ioseph*, angelorum officio fungitur. Sed quam multos invenies qui in hac parte non se gerunt ut angeli, sed vix ut homines, quibus eam animi teneritudinem natura impressit ut miseris compati possint, quam nulli alteri creaturæ concessit.

Mariti  
solentur  
uxores.

Gerebat se in hac parte ut homo *Elcana* pater *Samuelis*: Dum enim cum *Anna* uxore sua accumberet mensæ, & illa fleret, nec caperet cibum, ut inquit Scriptura *Lib. 1. Reg. cap. 1.* dixit ei maritus: *Anna cur fles? & quare non comedis? & quam ob rem affligitur cor tuum?* & addit Scriptura: *Diligebat annam*: Dubito an de omnibus maritis dici possit; diligit uxorem. Habent feminæ multa tædia in conjugio perferenda, plures causas doloris quam viri, qui si aliquas habent, norunt se divertere. Præcipuum solatium suum debent feminæ expectare à viris, ad hoc enim præsertim institutum est matrimonium ut invicem solentur in luctu, & tamen sunt viri non pauci, qui cum videant uxores præter solitum tristes, non semel petunt ut *Ioseph*: *Cur tristior est hodie solito facies tua?* aut cum *Elcana*: *Cur fles? quare non comedis? aut quam ob rem affligitur cor tuum?* imò, sæpè afflictionem addunt afflictæ, quando illam non tantum blandis verbis non conantur solari, sed etiam duris magis exacerbant: De hujusmodi hominibus non licet dicere, quod Scriptura dicit de *Elcana*: *Diligebat uxorem*. *Ioseph* suis blanditiis molestias carceris mitigabat in vinctis, *Elcana* dolorem dispellebat à corde uxoris, si omnes essent ut *Ioseph*, vel *Elcana*, vix matrimonium aliquod foret quod haberet suas molestias, aut enim non sentirentur, aut patienti animo tolerarentur, quando conjugati mutuo solarentur, & sibi invicem animos darent.

At unum miror præ cæteris in nostris captivis, quod dicerent: *Somnium vidimus, & non est qui interpretetur nobis*. Unde hoc quæso scitis quod nemo sit? an ergo curatis inquiri per totum carcere m

&

& peti ab universis captivis an aliquis augur detineatur in vinculis? nocte somniastis, & summo mane, non examinatis captivis, sine ulla dubitatione dicitis, nullum esse qui habeat scientiam somnium interpretandi, vel divinandi: Inquirete primum an non sit aliquis inter captivos qui hac scientia præditus sit, alioquin damnatis quod ignoratis. Puto ego causam, cur ita loquerentur, fuisse, quod ne quidem suspicari auderent tales homines in carcere detineri; ethnici enim illos reputabant ut homines divinos, & similes diis. Ideo putabant fieri non posse ut similes homines, qui somnia interpretarentur, alicujus flagitii rei, reperirentur in carcere: tanta erat, etiam apud hosce aulicos reverentia augurum, quos habebant ut homines diis dicatos, talisque non opinio, sed certitudo quod essent tam innocentes, ut non possent peccare. Optandum esset ut hoc tempore ea esset opinio de religiosi viris ac sacerdotibus, apud Politicos, qui illos conantur deprimere ubicumque possunt.

Sed quid sibi vult ista *Iosephi* interrogatio: *Cur facies vestrae sunt afflictae hodie?* sic enim habetur in textu *Hebraico*: Non, sicut habetur in textu *Latino*: *Cur sum solito tristiores*, quod indicat illos aliquando fuisse tristes, sed cur *hodie* sunt tristes, quod indicat, prius, sive ante illum diem non fuisse tristes: Credo hoc ita fuisse, nam *Iosephi* suo exemplo docuerat illos pendere à nutu numinis, ac voluntate divina, adeoque suam illi voluntatem divinæ conformaverant, & qui hoc facit, quidquid acciderit, inquit *Salomon*, nihil illum contristabit.

Doleo quod cum in hoc carcere inter tot molestias defuerit dolor, sæpè tamè in communitatibus ac familiis reperitur, quia qui illis præsumunt non sunt sicut *Ioseph*. Non erat ille sollicitus ut captivi arctius stringerentur vinculis, aut durius haberentur, sed ut omnem ab iis dolorem molestiamque depelleret. Si omnes ii qui regunt, *Iosephi* essent, animos suorum numquam exacerbarent, sed mitigarent atque componerent. Vox *Ioseph* erat: *Quare facies vestrae tristes sunt?* Si *Tubalcain*, famosus ille olim faber ferrarius, captivos alloqueretur, clamaret: Hi nexus laxati sunt, hæ manicæ debent astringi: Totus esset in recudendis catenis. *Ioseph* vero captivos levat, non ligat. Superioris est suorum subditorum, uti & Confessarii suorum poenitentium mæstos animos non magis coarctare, sed omni conatu mærorem depellere, ac solatio plenos à se demittere: Rigidus *Tubalcain* est, qui semper cum malleo, instar fabri fer-

rarii, sedet in manu, ut suos imponat incudi, & tundat, & semper stringit quod deberet laxare: Hinc fit, ut subditi suos superiores, & pœnitentes confessarios vel horreant accedere, vel si accedant, non libere exponant animum suum ut debent, & nominatim pœnitentiæ sacramentum requirit.

Non sic nostri captivi, nam præterquam quod *Ioseph* illos vellet consolari, petens: *Cur tristes sunt facies vestre? Reserte mihi, inquit, quid videritis. Numquid non Dei est interpretatio?* Audiebant *Iosephum* meminisse Dei, totamque somnii interpretationem non homini, sed Deo soli adscribere, & mox inceperunt illi totum somnium cum minutissimis circumstantiis aperire, cum viderent illum non ex passione, sed ex amore, & secundum Deum procedere. Non procedunt illi Superiores aut confessarii secundum Deum, sed ex passione, qui nimis rigide agunt cum subditis vel pœnitentibus, devinciendi sunt animi, leniendi dolores, ergo amore opus est ac suavitate: Peccatores captivi diaboli sunt, ut quid ergo arctius stringis quorum catenas te relaxare oportet? non sic faciebat Deus *Adamo* postquam peccaverat, non venit ad illum tonitrua inter & fulgura, sed in leni aura; non vociferabatur horrende, sed dicebat: *Adam ubi es?* non improperabat ei audaciam, aut insolentiam, sed petebat suaviter: *Cur hoc fecisti?* Similiter postquam *Cain* occiderat fratrem, non accessit ad illum cum gladio in manu, sed cum videret eum tristem, petiit: *Cur concidit facies tua?* & quamvis *Cain* stupide responderet, blandè petebat Deus: *Quid fecisti?* Quid ergo induimus rigorem & acerbiteriam erga captivos diaboli, & mæstos, ubi Deus tam suavis & blandus est?

### DISCURSUS XIII.

*Vterque Iosepho narrat somnium suum, & Ioseph illud interpretatur.*

**V**idebam, inquit, Princeps pincernarum, vitem, in qua erant tres propagines, crescere paulatim in gemmas, & post flores, uvas maturescere: Calicemque Pharaonis in manu mea. Tuli ergo uvas, & expressi in calicem quem tenebam, & tradidi poculum Pharaoni.

Procul dubio hæc alia longe, etiam moraliter, significabant, quam in re ipsa ostendebantur: 1. Mirabilis erat illa vitis quæ una nocte,

nocte, & tam exiguo tempore crescebat in gemmas, & flores, & uvas maturas, cum aliàs opus sit anno ut hoc fiat. 2. Et hoc mirum quod creverit & nulla fiat, mentio culturæ, non dicitur putata, non ligata, non circumfossa, non fimo insperfa, unde ergo vitis illa tam frugifera? unde emerfit? quis illam plantavit?

Vitis est anima iusti quemadmodum Deus illam sæpè appellat: Laudandum quod vitis illa in somnio tam brevi tempore & gemmas protulit, & flores, & uvas, Sic maximè laudandum quod aliquis, inquit *D. Thomas Opusc. 4.* tantum proficiat in virtute, quantum alius in uno anno. Talis enim, inquit *Sapiens cap. 4. Consummatus in brevi explevit tempora multa*, hoc est, tam perfectus evasit exiguo tempore quam aliàs diuturno. Unde rectè monet *Seneca epist. 93.* Non ut diu vivamus curandum est, sed ut bene, longa vita est, si perfecta est. Dicit Scriptura *Saulem* duobus tantum annis regnasse super *Israel*, cum facile triginta regnaverit, sed computat annos virtutis, non vitæ. Sicuti ergo ille dicitur parum vixisse quia multis annis peccavit, sic dicitur multis annis vixisse, qui paucis bene vixit, quia tam multum præstitit boni paucis annis, quàm alius multis: Vitis revera digna ex qua vinum exprimitur quod propinetur æterno regi.

Veum audiamus potius quomodo *Ioseph*, secundum rem ipsam hoc somnium interpretatus sit. *Hæc est*, inquiebat, *interpretatio somnii: Tres propagines tres adhuc dies sunt, postquam recordabitur Pharaon ministerii tui, & restituet te in gradum pristinum, dabisque ei calicem, juxta officium tuum, sicut antea facere consueveras, tantum memento mei cum bene tibi fuerit, & facias mecum misericordiam, ut suggeras Pharaoni, ut educat me de isto carcere, quia furto sublati sum de terra Hebraeorum, & hic innocens in lacum missus sum.*

Videns, inquit Scriptura. *Pistorum magister quod Ioseph pro lenter somnium dissolvisset, ait: Et ego vidi somnium quod haberem tria canistra farina super caput meum, & in uno canistro, quod erat excelsum, portare me omnes cibos qui fiunt arte pistoria, avolque comedere ex eo.*

Respondit *Ioseph: Hæc est interpretatio somnii: Tria canistra, tres adhuc dies sunt, postquam auferet Pharaon caput tuum, ac suspendet te in cruce, & lacerabunt volucres carnes tuas.*

Quid ad hæc uterque dixerit non invenio in Scriptura expressum: De postremo non miror, forte enim tam fuit obrutus dolore cum audiret se moriturum, & quidem infami morte in patubulo, ut verbum non potuerit loqui,

De primo vero hoc unum dicit *Moyſes*: *Non reſpondit verbum*. Hoc miror: Aut enim ingratiſſimus fuit quod *Iosepho* non ageret gratias pro nuntio tam felici, aut certè tam ſuperbus futura ſua felicitate ut *Iosephum*, quia ſervus erat ac vilioris conditionis, contemneret, ideoque non dignaretur ei reſpondere: rogaverat illum *Ioseph* ut eſſet memor ſui apud *Pharaonem*, at ille ſiluit, nec ſemel legitur dixiſſe: Ero memor tanti benefactoris mei. Quid faciet jam promotus in aula, quando ex ſola felicitate ſomniata tam arrogans factus eſt exiſtens adhuc in vinculis? quid faciet quando torque aureo incedet ornatus, quando ita ſuperbit ferreâ catenâ ligatus?

Quamquam perſuadere mihi non poſſum, quod *Iosepho* non promiſerit aureos montes, multisque verbis ſuum illi obſequium obtulerit, certumque reddiderit fore ut illum apud *Pharaonem* ſic commendaret quamprimum ut carcere liberaretur; noluit tamen *Moyſes* illa ſingillatim narrare, quia verba aulici erant, hoc eſt, vanæ aſſentationes, & nugæ, ſciebat enim paſſim qui in aula nutriti ſunt, multa verba dare, multa promittere, & raro promiſſis ſtare: Imo omne obſequium ſuum offerre, & millies dicere, ego ſum ſervus tuus, ſcilicet quando non indigebis.

Quidquid ſit, quod *Ioseph* prædixerat, evenit: Sic enim ait Scriptura: *Exinde dies tertius natalitius Pharaonis erat: Qui faciens grande convivium pueris ſuis, recordatus eſt inter epulas magiſtri pincernarum, & piſtorum Principis. Reſtituitque alterum in locum ſuum ut porrigeret ei poculum, alterum ſuſpēdit in patibulo.*

Hic video quaſi in figura expreſſum quod ad terrorem noſtrum inculcat *Chriſtus* *Matth. cap. 24.* ubi agit de die iudicii, & ait: *Tunc duo erunt in agro: unus aſſumetur, & unus relinquetur, dua molentes in mola, una aſſumetur, & una relinquetur.*

Hujus veritatis tot ſunt exempla in Scriptura, aliis que historiis, ut vix ſciam unde incipere. *Adam* duos habebat filios, *Cain* & *Abel*, *Abel* aſſumptus eſt, *Cain* relictus: Duos habebat *Abraham*, *Iſaac* & *Iſmael*, *Iſaac* aſſumptus eſt, *Iſmael* relictus. *Iſaac* habebat duos, *Eſau* & *Jacob*, *Jacob* aſſumptus eſt, *Eſau* relictus: Duos habebat *Ioseph*, *Ephraim* & *Manaſſen*, *Ephraim* aſſumptus eſt, *Manaſſen* relictus: Denique duo pendebant cum *Chriſto* in cruce latrones, unus aſſumptus, alter relictus: Unus enim illorum deſperatus, & impenitens mortuus eſt, & deſertus à Deo: Alter contritus, & aſſumptus à Deo in Paradifum.

Quid

Quid dicemus ad hæc? quod iniustitia sit apud Deum, quod damnet quem vult, & salvet quem vult; absit. *Vult enim*, inquit *Paulus 1. Timoth. cap. 2. Omnes salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, quid ergo? audiamus *D. Bernardinum serm. 55. art. 1. cap. 2.* Nullus, inquit, nisi ex gratia converti potest, nullusque damnatur nisi propter demerita sua, hoc enim exigit divina iustitia: Quod ergo demeritum illius latronis qui non credidit? quod vero meritum illius qui credidit?

Demerita illius qui non credidit, fuere, quod aures occluserit efficacibus socii sui monitionibus, *inrepebat enim eum*, inquit *Lucas cap. 23.* cum blasphemaret *Christum: Neque tu times Deum*, inquebat, *qui in eadem damnatione es?* non audiebat. 2. Defendebat alter innocentiam *Christi*, dicens: *Hic nihil mali gessit*; non audiebat: Clamabat Centurio: *Verè hic homo justus erat.* Nolebat audire, & tantum habebat aures patentes ad blasphemias *Judeorum* circumstantium, & sequebatur illorum exemplum.

2. Clauferat oculos: Poterat enim videre patientiam *Christi* qui tolerabat sua tormenta: poterat plures ex *Judeis* videre percutientes pectora sua præ dolore quod *Christum* crucifixissent: Imo facile duabus horis adhuc vivebat in cruce postquam *Christus* mortuus erat ut patet ex *Luca*; poterat ergo videre, solem obscuratum, & orbem in meridie stantem in tenebris, poterat videre scindi rupes, tremere terram, atque inde certo colligere *Christum* esse plusquam hominem, sed tam erat obstinatus ut videns non videret.

3. Clauferat cor, si enim illud habuisset promptum & apertum, non poterat non moveri interius per inspirationes divinas, quidquid enim & audiebat & videbat, etiam saxa terramque movere poterat.

Et mirabitur aliquis illum fuisse relictum à Deo, qui tot signis, tot monitionibus, prava sua voluntate, & obstinato animo, non movebatur ad pœnitentiam; non fuisset ergo relictus, si voluisset.

Alter vero latro quot merita habuit ut assumeretur. Primo blasphemaverat etiam ut alter, sed correxit se. 2. Exercuit insignem actum charitatis erga proximum, quando increpavit socium ut desisteret à peccato. 3. Defendit *Christi* innocentiam. 4. Ostendit quanta patientia toleraret sua supplicia, dicens: *Nos juste patimur, & digna factis recipimus.* Numquid talis merebatur ut assumeretur à Deo, & audiret: *Hodie mecum eris in paradiso?*

Denique



Denique uterque eandem profus habebat occasionem, erantque in iisdem circumstantiis constituti. Uterque habebat *Christum* presentem, uterque videbat ejus admirandam patientiam, uterque audiebat illum clamantem: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum*: Quid ergo fuit quod unus relinqueretur, alter assumeretur? Respondet *Augustinus*: Quia unus noluit, alter voluit. Ille noluit, rejiciendo tot gratias quas habebat communes cum alio, hic vero voluit, quia gratias illas sibi oblatas admisit.

Nihilominus tamen horrendum est cogitare: *Vnus relinquetur, alter assumetur*, quamvis enim gratia divina prævienti (quæ nulli deest) sit in nostra potestate relinqui vel assumi, nescimus tamen an non aliquando, præsertim in fine vitæ gratiam Dei simus rejecturi, & perituri cum malo latrone. Quod enim bonus latro gratiâ Dei recipiendo, quasi in ultimo vitæ momento conversus sit, hoc exemplum, inquit *S. Bernardus serm. 38 in parv.* est sine exemplo: Si, inquit, bene memini, in toto canone Scripturarum, unicum latronem invenies sic salvatum: Privilegia autem, inquit *Ludolphus Carthusianus part. 2, cap. 63.* paucorum non faciunt legem communem.

Quapropter, inquit, nullus exemplo istius latronis debet suam poenitentiam differre. Hoc enim privilegium adeo rarum est & speciale, ut *Christus* illud concedens, necessarium putaret, ut diceret: *Amen dico tibi*, quasi diceret, hoc tibi soli particulatiter dico & promitto, non enim volo ut hoc privilegium alii sibi attrahant. Si qui vero hoc facere præsumant, & ad finem usque vitæ poenitentiam differre, audiant quid dicat *Alphonsus Salmeron*: Non semper est, inquit, illa dies veneris sancta, quando celebrabatur jubilæum effusi sanguinis *Christi*, tunc enim dabatur remissio peccatorum toti terrarum orbi iis qui volebant indulgentiam illam lucrari, hac occasione usus est latro, sed non omni tempore datur ista indulgentia, quamvis enim Deus promiserit se peccatorem exauditurum quacumque hora ingemerit, non tamen promisit se tempus daturum ut ingemisceret; aut ergo poenitendum dum tempus præ manibus est, aut summum periculum est fore ut non assumaturâ Deo, sed relinquatur.

Interea jam in pristinum statum restitutus versabatur in aulâ Princeps pincernarum, & piistrinoungebatur officio, sed succedentibus prosperis, inquit Scriptura, *oblatus est interpretis sui Iosephi*. Rogaverat illum *Ioseph* ut se commendaret Regi jam liber, ut ipse quoque carcere

carcere liberaretur, sed cum jam esset in sua prosperitate pincerna, oblitus est *Iosephi* benefactoris sui.

Habet hoc omnis prosperitas ut facilè aliorum obliviscatur, nec mirum, quia etiam obliviscitur sui & sapius Dei: Sicut enim nimium lumen oculos excæcat, præsertim fixè intuentium solem, sic felicitas excæcat mentes mortalium: Poëta *Horatius*, felicitatem ac prosperitatem vocat dulcem fortunam quâ homines inebriantur. agens enim de *Cleopatra* Regina *Aegypti*, quæ jam ad majorem opulentiam venerat quam verbis possit describi, putabat se majorem gloriam adjectura si totum imperium *Romanum* everteret, & jam parabat hoc facere, quod nulla hætenus natio potentissima, nulli reges, nec duces multis hominum millibus efficere potuerant: Miraris hoc in una femina? erat, inquit *Horatius*, ebria dulci fortuna. Denique prosperitas hominem superbum facit & arrogantem, ergo & stultum, sic enim ait *Chrysostomus Hom. 39. ad Populum*: Non potest esse superbus qui non sit fatuus, & *D. Bernardus lib. 2 de consid.* Fortuna quos nimium fovet, stultos facit.

Igitur si plerumque cæcus est qui in nimia prosperitate est, verum est illud commune proverbium: Non novit seipsum: Si ebrius est, verum est illud quod dicimus de eo qui planè ebrius est, tam ebrius est ut non noverit Deum suum: Si stultus est nihil novit, quomodo ergo noverit homines, aut illorum meminerit, qui nec se novit, nec Dei memor est? Erat in suprema felicitate supremus angelorum *Lucifer*, erat in suprema dignitate Princeps totius orbis *Adamus*, tam cæcus & stultus erat uterque, ut neuter se nosset, putabant enim se esse Deum, aut saltem fieri posse: Quis felicior *Nabuchodonosore* Rege? tam erat ebrius sua fortuna ut Deum planè esset oblitus: Nam cum vocem audiret sibi acclamantem de cælo: *Regnum tuum transiit à te & habitatio tua erit cum bestiis*, mox addebatur: *Donec scias quod dominetur excelsus*, ergo cum esset in sua prosperitate, non noverat Deum, & miramur si tales homines obliviscantur alios homines, etiam benefactores suos, & maximè si illi miseri sint? cum enim omnibus abundant, nemine amplius indigent, & sic obliviscuntur benefactores suos, & cum longè supra aliorum conditionem everti sint, & se minores contemnunt, & miseros averfantur: Idcirco puto quod ille pincerna oblitus fuerit, ut ait Scriptura, benefactoris sui *Iosephi*.

Non poterat *D. Petrus* Apostolus magis honorari, quam dum esset

Felicitas  
hominem  
dementat

set in monte *Thabor* cum *Christo*, qui tunc erat quasi quædam species cæli, stabat enim *Christus* in plena majestate sua, totus circumfusus splendida luce, facies ut sol, nubes lucida totum obumbrabat montem, Patris cælestis vox resonabat è cælo, & inter hæc, inquit *Lucas cap. 9. Petrus & qui cū illo erant, gravati erant somno,* & in tam exigua felicitatis portiuncula obliviscitur vocationis suæ, sic enim absorptus erat ut exclamaret: *Præceptor bonum est nos hic esse faciamus hic tria tabernacula:* Jam destinatus erat à *Christo* ad percurrendum mundum, prædicandam fidem, & convertendas gentes, sed ille istius præstantissimi operis jam non meminerat, quia in summo gradu honoris positus erat, abreptusque deliciis: Quid ergo sperandū habebat *Ioseph* ab uno aulico qui in pristinum honoré restitutus, aulæ deliciis fruebatur, nisi ut illius oblivisceretur; & quidem miseri & captivi: Sic dives *Epulo* non semel meminerat miserrimi *Lazarari*, quia sufficiebat illi quod sibi omnia abundanter suppetere, quid alteri deesset, hoc non curabat, quia inter suas delicias hoc ipse non sentiebat.

Nihilominus tamen videtur incredibile quod *Pincerna* ille ita statim *Iosephi* oblitus fuerit ut numquam vel semel illius meminerit: Quis enim credat recenter liberatum è carcere, non meminisse vinculorum suorum, adeoque non poterat non meminisse *Ioseph*. Crediderim propterea, initio memorem quidem fuisse, sed rem distulisse, contentus quod liber jam esset, mortemque evasisset ad quam socium suum condemnatum videbat. Itaque dum occasionem loquendi pro *Iosepho* expectat, succedentibus paulatim prosperis etiam paulatim ipsius ardor refrixit, & tam incogitans ac negligens factus fuerit, ut postea penitus immemor, & oblitus fuerit sui interpretis.

Hinc discimus statim exequenda esse bona proposita, ne primus fervor in torporem degeneret, & nullus fructus sequatur. Cito enim elanguent quæ animo concepimus nisi illa assidue inflammemus, sicuti arbor semel plantata arefcit nisi continuo foveatur. Patet in multis. Proposuerat *Saul* dare filiam suam in uxorem *Davidi*: Optimum propositum, *David* enim hoc merebatur, sed mox propositum illud exaruit, dum in caput *Davidis* hastam vibravit ut illum transfigeret. Quanta non proposuerat *Petrus* dum esset in cœna cum *Christo*: dixerat se numquam illum deserturum, se moriturum pro illo: Sed ubi illa proposita cum paulo post esset in aula Pontifi-

Proposita  
bona statim  
exequenda.

Pontificis? evanuerunt, tunc enim illum negavit. Clamabat *David* *Psal. 118. Invari & stanti custodire iudicia iustitie tue, sed quamdiu? donec Bethsabeam se lavantem videbit.* Clamabat etiam *Petrus: Tecum paratus sum & in carcerem, & in mortem ire, sed quamdiu? donec una ancilla cum interroget quis esset: Quid pro Deo se facturum promiserat Salomon cum primum esset inunctus in regem? sed quamdiu? donec alienigenæ feminæ cor ejus raperent.* Abstinebat *Sampson* vino, & sicera, deoque dicatus vivebat: sed quamdiu? donec feminam videret quæ oculis ipsius placebat. Quid ferventiùs quam sponsa in canticis? tanto æstuabat desiderio ut sponsum suum videret & amplexaretur, ut etiam sera nocte plateas urbis percurreret, nec timeret milites obeuntes ut illam inveniret, etiam post vulnera ab illis accepta non desisteat currere; quamdiu fervor ille duravit? donec abducta à commodis suis, molliter jaceret in lecto; tunc sponsus ultro ad illius domum accessit, pulsavit ad ostium, audivit illa clamantem, nec tamen surrexit: Quare hoc? ne inquinaret pedes suos: Ecce quo fervor ille propositaque reciderint ut jam pluris faciat munditiam pedum suorum quam sponsum quem tot lacrymis suspiriisque prius quæsierat. Sic à summitate prolabimur in abyssum dum proposita non servamus, aut non statim executioni mandamus.

Fluviis similes sumus; quam puri sunt illi in suo fonte, ubi vero longius progressi sunt, turbidi fiunt, & sordes secum trahunt, ubi in mare influunt, toti lutei fiunt, & cadaveribus sordidantur: Aut similes sumus arboribus & hortis, speciosi quidem dum ver est, aridi, si hyems, vernamus quamdiu nos Deus lacrymis devotionis rigat, perfunditque suavitatibus animi; si non quotidie nos recreet, orare definimus: Nemo, præsertim qui felix esse cupit, Deo non grandia promittit, sed parum præstat, aut nulla,

Est qui ad Ecclesiasticam dignitatem aspirat, proponit esse exemplar aliorum Ecclesiasticorum, ubi illam obtinuit, fit scandalum aliorum. Alius qui cupit ditescere, clamat in corde suo, si tantum pecuniæ collegero quantum sufficit ad collocandas in matrimonium filias, subducam me ut vivam Deo, & egenis prospiciam: Ubi dives effectus est, nihil facit. Alius innumera facit proposita si convalescat è morbo, ubi convaluit, omnium oblitus est: Alius denique qui in peccatis vixit, aureos montes Deo in confessione promittit, vix aliquot dies abière, iterum in eadem recidit. Quid plura?

ra? Vade ad aulam *Pharaonis*, isthic invenies pincernam inebriatum non à vino quod hauserat, sed quod propinaverat regi, ideoque immemorem beneficii quod illi *Ioseph* præstiterat, sic nos Deo mentimur, sicut ille *Iosepho* imposuit.

Qui vero verè justus est ac timens Deum, numquam dicit satis est, sed non contentus principiis, semper se ad ulteriora extendit. Propterea puto Scripturam non semel laudare justos magis propter virtutes futuras, quam eas quas de facto habent. Sic ait *David* *Psal.* 1. *Iustus*, inquit, *erit quasi lignum quod plantatum est secus decursus aquarum: Quod fructum suum dabit in tempore suo, & folium ejus non defluet.* Audin? omnia pro futuro: *erit quasi arbor, dabit fructum, folium non defluet*: Justus numquam est sine fructibus, quare ergo commendat fructus futuros, & non præsentis? quia Deus magis oblectatur perseverantiâ in fructibus bonorum operum proferendis, quam in fructibus jam maturis, hi enim frustra sunt, si nulli alii deinceps sequuntur.

Similiter ait *David* *Psal.* 91. *Iustus ut palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur, in atriis domus Dei nostri florebit, adhuc multiplicabitur in senecta uberi.*

Si justus jam est quare non dicit *David* quod jam floreat ut palma, sed florebit? procul dubio floret, nam si non floreret, non esset justus, verum gratius est quod præsciatur flores editurum, quam quod de facto flores proferat: Et quamvis gratus est fervor in juventute, gratior tamen est quod adhuc fructus proferat in senectute. Omnia denique *Christus* hoc uno verbo concludit: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.*

#### DISCURSUS XIV.

*Rex Pharao duo somnia videt, convocat augures suos, sed nullus potest illa interpretari præter Ioseph.*

**P**ost duos annos, inquit Scriptura, vidit *Pharao* somnium. Putabat se stare super fluvium, de quo ascendebant septem boves pulchra & crassa nimis, & pascabantur in locis palustribus; alia quoque septem emergebant de flumine, fæda, confecta que macie, & pascabantur in ipsa amnis

ripa

ripa in locis virentibus, devoraveruntque eas quarum mira species & habitudo corporum erat. Expergesfactus Pharaon rursus dormivit, & vidit alterum somnium, septem spica pullulabant in culmo uno plene atque formosa. Aliæ quoque totidem spica tenues, & percussa uredine oriebantur, devorantes omnem priorum pulchritudinem. Evigilans Pharaon post quietem, & facto mane pavore perterritus, misit ad omnes conjectores Aegypti, cunctosque Sapientes, & accersitis narravit somnium, nec erat qui interpretaretur.

Hoc etiam postea fecit Nabuchodonosor Rex, cum vidisset somnium, sed vocavit tales sapientes qui interpretari somnium ipsius non possent, eos vero neglexit qui illud erant exposituri. In hoc excusari non potuit, qui sciebat in regno suo esse adolescentem Hebraum qui divinaret, nempe *Danielem* quem curaverat imbui omni scientia *Chaldaeorum*: Erat ergo unus è sapientibus, si talis erat, cur ergo non vocatur quo omnes accersebantur? Ratio est: Sapiens erat *Daniel*, sed pius & justus, reliqui Sapientes erant, sed *Chaldaei*, & sapientes secundum mundum, sic spernitur qui sapiens est secundum Deum, ideoque non fuit *Daniel* accersitus à rege. Nā regi non erat ignotus, ut qui mensæ illius sæpè ministraverat: An fortè procul aberat? morabat. ir in aula. An ignorabatur à *Chaldaeis* quod esset doctus & sapiens: ab ipsismet institutus fuerat? An ipsius Sapientia regi non innotuerat? didicerat illam rege jubente? Cur ergo, quæro rursus, cum reliquis omnibus sapientibus non advocatur ad somnium interpretandum? Quia religiosus erat, & non erat adulator: In cætibus autem ubi nihil curatur nisi mundana, non habent locum homines religiosi, sed admittuntur assentatores, ut loquantur placentia, sis quodcumque volueris, modo noveris adulari in mundo, omnia es, & ad omnia adhiberis, sed quia vera pietas nullo modo cum adulatione consistit, ideo pietas, probrique mores adulationi posthabentur. & ideo regimina passim grallis, ut loquimur, incedunt, & quotidie ad pejora volvuntur, quia non merita suorum spectant rectores, sed sordes & puerilitates sibi adulantium.

Sicut contigit *Babylone* cum *Nabuchodonosore* Rege, sic contigit in *Aegypto* cum *Pharaone*, convocavit omnes conjectores *Aegypti*, cunctosque sapientes. Cunctos advocavit? unde ergo nulla somnii illius interpretatio? Timeo ne à *Pharaone* aliquis sapientum sit prætermissus, sic est, non modo deerat aliquis, sed optimus deerat, & is tantum

tum accersitus non fuerat, qui solus accersiri debuerat, cæteris omissis: Ille enim solus somnium erat interpretaturus, quia non erat *Aegyptius* sed *Iudeus*, & verus *Israelita*, ac Dei cultor. Tanti est probum à cætu sapientum excludere, ut nullum evocasse putandus sit, qui cunctos vocavit, & solum *Iosephum* exclusit. Sed *Ioseph* non erat in aula: Ubi ergo erat qui optimus erat, si non erat in aula? erat in carcere. Quis hoc audiat sine horrore vel admiratione? omnes conjectores omnino, quin inepti sunt ad somnium interpretandum, non tantum in aula sunt; sed etiam in cubiculo regis, ille vero qui solus sapientiam habet & capacitatem ad illud interpretandum, non tantum extra aulam est, sed in carcere: Quid iniquius poterat fieri contra sapientiam conjunctam sanctitati? Hoc ipsum erat quod *Ioseph* detinebat in carcere procul ab aula, quia ipsius sanctitas odiosa erat improbitati aulicorum. Si virtutem amassent non dubito quin *Ioseph* primus, & ante omnes vocatus fuisset.

Itaque, inquit Scriptura, cum nullus ex omnibus qui vocati erant, somnium declarare posset. Tunc demum reminiscens *Pincernarum magister*, ait: *Confiteor peccatum meum*, exposuitque *Pharaoni* quomodo ipse cum magistro pistorum retrusus à rege in carcerem, etiam somnium habuissent, & adolescens quidam *Hebraus* illud sic explicasset ut eventus responderet prædictioni.

Tunc protinus, inquit Scriptura, ad regis imperium, e ductum de carcere *Ioseph* toronderunt, ac veste mutata, obtulerunt ei.

Patien-  
tia.

Educitur *Ioseph* de carcere, ad regis imperium, inquit Scriptura, sed non sine imperio Dei qui cor *Pharaonis* regebat, suaque providentia sic omnia disposuerat ut *Pharao* somnium haberet, eaque occasione *Iosephum* carcere liberaret, qui illud interpretaretur. Manserat *Ioseph* duobus adhuc annis integris in carcere postquam liberatus fuerat *Pincerna*, sed cum tanta patientia, ac fortitudine animi, ut nihil eorum omitteret quæ spectabant ad ipsius officium servandi captivis, omnibus semper æquè benignus ac blandus, nunquam auditis conqueri quod *Pincerna* illius non meminisset, nunquam irasci contra ipsius ingratitude, nunquam despondens animum, quod jam spes omnis evanuisset aliquando se liberatum iri à vinculis, semper æquè lætus, & omnium tolerans ut prius, non mittebat ad aulam, ut *pincernam* sui memorem redderet, non inquirebat ab aliis an nihil de illo inaudiissent, sed sui securus, totum nego-

negotium permittebat Deo: voluit tandem Deus tantam tamque diuturnam patientiam coronare, adeoque ejus dispositione effectum est ut *Ioseph* è carcere educeretur.

Hoc est quod ait *Sapiens* cap. 10. *Certamen forte dedit illi ut vinceret, & venditum non dereliquit, sed à peccatoribus liberavit eum, descenditque cum illo in forream, & in vinculis non dereliquit illum, donec afferret illi sceptrum regni.*

Sic etiam ait *David* de se *Psal.* 39. *Expectans expectavi dominum cum magna patientia inter miseras, tandem, intendit mihi, & eduxit me de lacu miseria, & statuit supra petram pedes meos.*

Unde verum est quod quidam Scriptor ait: Omnis felicitatis fons est patientia, quia illa vel in hac, vel in altera vita, inter omnes virtutes potissimum coronatur.

Quando nam filii *Israel*, reversi fuissent cum opimis spoliis victoribusque, ad terram promissionis fluentem lacte & melle, nisi duram servitutem ac captivitatem sustinuissent in *Aegypto*? tunc enim, inquit Scriptura, *Deus liberavit eos* cum audiret gemitus eorum; debent ergo *Israelitæ* suæ patientiæ quod triumpharint de *Pharaone* cum toto exercitu suo submerso in mari, quod vicerint tot reges, ceciderint *Amalecitas*, *Moabitas*, *Gergesaos*, tot urbes expugnaverint, & per tot triumphos intrarint in terram omnium deliciarum: Nisi enim eos *Phara* oppressisset, ejusque tyrannidem patienter sustinuissent, forte ad hanc usque diem morarentur alibi in deserto, mansissentque ignoti. Tanta est felicitatis cum calamitate conjunctio, ut omen felicitatis futuræ sit præsens calamitas fortiter tolerata.

Propterea noluit *Deus Moysen* mittere in *Aegyptum*, ut legati munerere apud regem fungeretur, nisi prius probasset ejus patientiam. Illam enim manum, tot prodigia in *Aegypto* patraturam voluit fieri prius leprosam: *Mitte*, inquiebat illi, *manum tuam in sinum tuum, quam cum misisset protulit leprosam*: Illam virgam instrumentum tot mirabilium voluit prius verti in anguem, eumque à *Moyse* apprehendi: Tunc ait illi: *Vade jam in Aegyptum, quia Deum Pharaonis constitui te.* Ergo patientia ac calamitas homines similes Deo facit.

Audite nunc quomodo *Deus* consoletur eos qui in tribulatione patientes sunt, per *Isaiam* Prophetam cap. 51. *Elevare, elevare*, inquit, *consurge Jerusalem, quæ bibisti de manu Domini calicem iræ ejus, usque ad fundam calicis bibisti & potasti usque ad faeces.* Hic vides quod *Jerusalem* libenter



libenter calicem illum bibisset, quandoquidem illum biberat usque ad fundum imo fæces ipsas, in signum gustus quem habuerat in suis miseriis, quas Deus ita describit: *Non est qui sustentet te ex omnibus filiis quos genuisti, non est qui apprehendat manum tuam ex omnibus filiis quos enutrivisti, quis contristabitur super te & vastitas, & contritio, fæces, & gladius, quis consolabitur te & filii tui projecti sunt, dormierunt in capite omnium viarum.* Idcirco, audi hoc pauperula: *Hec dicit Dominus Deus tuus: Ecce tuli de manu tua calicem non adjiciam, ut bibas illum ultra, ego consolabor te, ego vedimam te &c.*

Sed parum est patientiam esse fontem felicitatis temporalis, etiam fons est æterna: Sic enim me docet *D. Iacobus cap. 1. Beatus, inquit, vir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.*

Non absque ratione dicit hic Apostolus quod patiens sit accepturus coronam, quare quia *patientia, inquit, opus perfectum habet*, quid hoc est opus perfectum quod cæteris virtutibus culmen imponat? Quoties vidistis domos ædificari, quibus perfectis, & tecto imposito, coronantur, sic patientia quia totum opus virtutum perficit, sola dicitur coronari in cælis, propterea à *Petro Damiano epist. 31. Regina virtutum appellatur, quia omnium vitiorum victoriam tribuit.* Non quod in se major sit multis aliis virtutibus, majores enim sunt illa fides, spes, charitas, sed quia fortiora certamina sustinet, adeoque præstantiores victorias refert: Videor mihi videre sanctum hominem, vel martyrem procedentem in cælum, omnia ipsius opera, omnesque virtutes, inquit *Joannes*, illum sequuntur. Sequitur humilitas ut omnium aliarum virtutum fundamentum, sequitur liberalitas ut victrix avaritiæ, sequitur castitas ut victrix concupiscentiæ, sequitur temperantia ut victrix gulæ, sequitur amor erga proximum ut victor invidiæ, sequitur mansuetudo ut victrix iræ, sequitur fervor ut victor acediæ, sequitur fides ut victor infidelitatis, spes ut victrix desperationis, charitas, ut virtus quæ cæteras omnes virtutes, in se complexa, omnes fovit, adauxit; ducunt hominem in cælum, non tamen dicit de illis Scriptura quod coronentur, sed ubi advenit patientia inquit *D. Bernardinus*, illa sola dicitur coronari, quia illa sola omnes alias virtutes sua fortitudine ac magnimitate defendit ac sustentavit, juxta illud *Anselmi in Apoc.* sicut fides omnium virtutum fundamentum est, sic patientia sustentaculum: *Illam sustinet primos impetus eorum omnium*

nium quæ nobis aduersantur in vita, ut enim quis inter injurias non succumbat, patientia opus est, ut quis fortiter ferat jacturam honorum, patientia opus est, ut quis tentationes diaboli vincat, patientia opus est, ut quis pugnet contra tot hujus vitæ miseras, patientia opus est, ut quis tædia molestiasque ferat conjugii patientia opus est, ut quis frangat vires concupiscentiæ, patientia opus est, denique nullæ possunt esse victoriæ, nulli triumphi, absque patientia: Merito ergo sola patientia dicitur coronari. Hoc tandem est quod dicit Apostolus *Jacobus*: Beatus vir qui patiens est quoniam accipiet coronam vitæ æternæ.

Hoc idem ubique clamat & ostendit Scriptura *Apoc. cap. 2.* scribit *Ioannes* Episcopo *Smyrne*: Scio tribulationem tuam, nihil horum times quæ passurus es, habebis plures tribulationes, sed esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Rursum ad Episcopum *Philadelphæ* sic scribit *cap. 3.* Ego dilexi te quoniam seruasti verbum patientiæ meæ, tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam, quæ tibi propter patientiam parata est, hanc si amittas, amittis coronam.

De martyribus semper & propriè dicitur quod coronentur in cælis propter quam causam; propter patientiam in tormentis, verum ut ait *Eusebius epist. ad Damas.* Duplex martyrium est, unum succumbere gladiis impiorum, alterum in infirmitatibus & aduersitatibus in animo patientiam custodire; Ergo sicut martyres qui pro *Christo* moriuntur inter tormenta, ideo dicuntur coronari in cælis, sic illi qui patientes sunt inter aduersa, eandem coronam, juxta *Eusebium*, merentur: Nam sicut mori pro *Christo* opus est quod nullum præstantius, sic patientia tam habet perfectum opus ut totam fabricam omnium virtutum perficiat.

Quod *Christus* ipse ostendit *Matth. cap. 3.* ubi recenset octo beatitudines: Primus autem locus qui habetur honorabilior, datur patientiæ: Beati, inquit: *Pauperes, quoniam ipsorum est regnum celorum.* Postremus etiam locus patientiæ datur. *Beati qui persecutionem patiuntur &c.* ubi *S. Thomas* in *cap. 2. Matth.* Hanc habet animadversionem: Primus lapis, inquit, super quem ut fundamentum, perfectio construitur, ex ordinatione *Christi*, patientia est, ideo ne quis dubitaret, an ipsa sit omnium aliarum virtutum complementum, non solum eandem primo loco posuit, verum etiam postremo, in medio vero virtutes alias posuit tanquam in patientiæ virtute conclusas.

M

Quid

Quid ergo mirum si Scriptura, præsertim *Paulus*; toties clament, patientes estote, patientia necessaria est, ut sicut *Christus* patientia sua meruit coronam gloriæ, sic vos, patiendo simul cum illo, conregnetis, & coronemini.

Cum jam productus esset *Ioseph* è carcere bene tonsus, & indutus veste nitidior, venit ad *Pharaonem*, qui illum sic allocutus est: *Vidi somnia, nec est qui edisserat, quæ audiui te sapientissimè conijcere. Respondit Ioseph: Absque me Deus respondebit prospera Pharaoni. Narravit ergo Pharaon quod viderat.*

Tunc *Ioseph* illa explicavit hoc modo: *Septem boves pulchra, inquit, & septem spica plena quas vidisti in somno, septem ubertatis anni sunt; Septem quoque boves tenues atque macilentæ quæ ascenderunt post eas, & septem spica tenues & vento uente percussæ, septem anni ventura sunt famis qui hoc ordine complebuntur: Septem anni venient fertilitatis magna in universa terra Ægypti, quos sequentur septem anni alii tanta sterilitatis, ut oblivioni tradatur cuncta retro abundantia, consumptura est enim fames omnem terram.*

His dictis, nunc ergo, inquit, provideat Rex virum sapientem & industrium, & præficiat eum terra Ægypti, qui constituat præpositos per cunctas regiones, & quintam partem fructuum per septem annos fertilitatis qui nunc futuri sunt, congreget in horrea, & omne frumentum sub Pharaonis potestate condatur, serveturque in urbibus, & præparetur futura septem annorum fami, & non consumetur terra inopiâ.

*Ioseph*, inquit Scriptura, erat tunc triginta tantum annorum, cum hoc consilium daret; communis opinio est, & experientia patet, consilium esse in senibus, quia plura legerunt, viderunt, audiverunt, & experti sunt: sed profecto hoc *Ioseph* consilium huiusmodi fuit ut à nullo seniore prudentius, nec solidius, nec sinceriori expectari posset.

Notandum in primis, quod procul dubio hic adfuerit Præfectus generalis rei frumentariæ & annonæ per totam Provinciam: Cur ergo non dixit *Ioseph*: Imperet Rex isti præfecto ut quintam partem seponat, condatque? sed novum præficiendum suadet, quod videbatur cedere in notam prioris. Non noverat *Ioseph* adulari, ideoque probè sciebat aliquando ejusmodi à regibus statui, qui res publicas bene regant quando secunda sunt tempora, adversis vero non ita: Idcirco suadet novum creari, quamvis alter adesset, & ægre ferret, forte enim ad id officii promotus fuerat vel ob so-

lam nobilitatem, vel ob empta aulicorum suffragia, vel ob initam  
 affectationibus gratiam, de cætero non satis capacem ad difficile  
 illud munus obeundum quod *Josephus* suadebat.

2. Requirit ad hoc, *virum sapientem & industrium*; nobilis an igno-  
 bilis, conterraneus an exterus, amicus, an ignotus, consanguineus,  
 an non, sit præficiendus, hoc *Josephus* non curat, modo prudens sit &  
 industrius, felicissimè reget.

3. Non vult ut Rex hoc faciat per se, sed per virum prudentem.  
 Nihil enim agitur quando à superioribus omnia aguntur. Debet  
 quidem superior, quisquis is est, omnia scire, omnes audire, & dili-  
 gere illos qui illum juvent, sed tamen per se non omnia facere: Si  
 enim v. g. paterfamilias hoc faceret, plus damni adferret familiæ  
 quam commodi. Propterea quidam paterfamilias irridetur à quo-  
 dam Poëta, qui relicta domo ac conjuge insecutus erat filium fugi-  
 tivum, monuitque ut sibi caveret, ne dum tertium foris filium que-  
 rit, quartum domi reperiat, matre certa, patre incerto. Ut enim ca-  
 put non ambulat, nec scribit, sed manus pedesque ad hoc delegati;  
 sic non est superioris omnia per se obire officia, nec principis est vi-  
 sitare popinas, caveas, officinas, telonia: Quamvis enim multa e-  
 mendaret adventu suo, tamen non est tanti ut rebus tam exiguis  
 sese immisceat.

4. Consilium illius fuit sine ullo malo affectu, nihil de suis pro-  
 priis rebus immiscuit, non accusavit fratres suos, non herum suum  
*Putipharem*, nor ejus uxorem, contra quos jure multa potuisset di-  
 cere in patrocinium suæ innocentia: His omnibus omissis statim  
 venit ad rem, privata enim publicis cedere debent: Si ergo perso-  
 nam publicam agis, exue privatam. Ingrederis curiam, ad curia: li-  
 men oportet te relinquere affectus privatos aut pravos, inclinare  
 in neutram partem potest senator, sed stare pro æquitate. Quisquis  
 aliter facit, non potest non dare pessimum consilium. *Aristoteles* &  
*Cicero* aiunt tyrannidem esse rempublicam administrare tantum in  
 commodum proprium: Et tamen quam graviter, & à quam multis  
 in hac re peccatur, quando publicis consiliis miscentur privati affe-  
 ctus, & publica commoda propriis postponuntur: ubi affectus im-  
 perat, exulat virtus, & cum ea omne honestum. Hinc fit ut nihil  
 velocius sit nostro affectu ad promovendos nostros propinquos si-  
 mereantur, nihil tardiùs ad illos plectendos, si peccent: Minimos  
 abjectosque severè judicamus, magnos liberè insanire & debac-  
 chari

chari p̄mittimus, quia affectu proprio ducimur, non virtute ā  
liena.

Hoc affectu videtur aliquando correptus etiam *David*, dicit enim *Psal. 106.* quod interficeret omnes peccatores terræ, & disperderet de civitate Domini omnes operantes iniquitatem. Interea ex amore parcebat suis; hinc in ipsius regia exundavêre flagitia, libido, ambitio, mendacium, incendia, proditioes, homicidia: Hinc *Ioab* dux exercitus occidit *Abnerum* se justiozem, ideo *Amnon* sororem suam oppressit, ideo fratrem jugulavit *Abſalon*, ideo patri rebellabat *Adonias*, ideo *David* ipse contra se filium tueri potuit, nec *Abſalonem* eripere gladiis *Ioab*: Interficiebantur peccatores passim per urbem, sed in ædibus regis purpura donabantur scelesti.

Amor proprius, aut propria comoda omne sanum consilium, iudiciumque rectum evertunt. Cum primum regnare coepit *Salomon*, venerunt duæ ad illum mulieres mutuo litem moturæ: Admisit illas *Salomon*, qui tunc aliud nihil spectabat quam bonum publicum nondum corruptus: Sed miror illas intromissas fuisse ab aulicis, non enim erant nobiles, non divites, sed viles meretrices, O probrum! his patent p̄ortæ, hæc admittuntur: Interea quot fortè viduæ, si maturius advenissent, inauditæ ad vesperam erant reditura, quod non regis vitio, qui tunc optimus erat, accidisset, sed aulicorum, qui aliquando plus ex infano amore feminis favent quæ eleganter norunt cantare, quam iis quæ præ miserâ plorant: Sic auditus facilis est in magnas ædes, non optimis, non miseris, sed gratiosis: iique non raro nobis plus placent, quibus displicet Deus.

Longè aliter *Ioseph* nihil spectat quod suum est, hoc unum agit ut bene sit aliis, & consulit regi ut consulat regno, iudicatque aliquem præficiendum non qui sit ejus amicus, non qui propinquus, non qui gratior regi, sed quemcumque, modo sit vir prudens atque industrius.

Denique syncerum fuit ejus consilium, quia sine ullo affectu inordinato erga alios, sine ullo amore erga seipsum; non enim aucupatus est gratiam regis, sed dixit prout res erat, non involvebat silentio quæ erant dicenda, non effutiebatur quæ erant silenda, non appendebat velum veritati ne cerneretur, contra quam plurimi in ejusmodi occasionibus faciunt, qui nihil aliud propositum habent quam non displicere, non offendere, hoc solum norunt dicere quod placet, & gratum auditu est, quidquid triste est, declinant, & aiunt,

non

non est ad rem, est extra propositum; vel, non est opus, inquit, ut ego hoc primus dicam, dicent alii, quorum magis interest quam mea: Nec res tanti momenti est, si aliquid erroris committatur. Nec raro fit ut alter alteri rem narret magni momenti quæ ad superiores deferenda foret, sed narrator tantum silentium alteri imponit, ut si ista inquit, deferre vis, jurabo, ac negabo hæc à me tibi dicta. Hoc denique similibus assentatorum propositum est veritatem opprimere, neminem offendere, omnibus placere ne excidant gratia. Sic liberè peccatur & in aulis, & in familiis, & in aliis communitatibus, dum propter unius alteriusve assentationem, culpa impingitur innocentibus, & optimi patiuntur, pessimi vero ac nullius virtutis homines promoventur. Verum enim vero, sincerè agentibus ac consulentibus numquam deerit Deus: Aut enim, ut sapius contigit, divino suo iudicio permittet ut similes assentatores gratia excidant, aut quos deprimere volebant, emergant, uti *Iosepho* contigisse modo videbimus.

## DISCURSUS XV.

*Ioseph à Pharaone constituitur Prorex Ægypti.*

**D**Ederat consilium *Ioseph Pharaoni: Et placuit*, inquit Scriptura, *Pharaoni consilium & cunctis ministris ejus.*

Hoc rarum quod in tanta multitudine aulicorum, ad honores semper majores aspirantium, invidorum, politicorum, non tantum regi, sed etiam omnibus ejus ministris consilium *Iosephi* placuerit: Verum est enim illud Proverbium: quot capita, tot sententiae. Propterea res admodum rara atque difficilis ut plures simul congregati in sensu conveniant, rariùs, si omnes, nullo excepto, cum enim vix duo reperiantur qui sint ejusdem humoris, & quisque sibi plus sapere videatur quam alius, opus foret ut homines tantum unum caput haberent ut omnes in unam eandemque rem consentirent. Propterea rarissimum est quod omnibus *Pharaonis* principibus placuerit consilium *Ioseph*, tanto magis, quod omnes essent nati *Ægyptii*, & *Ioseph* homo exterus, multi procul dubio seniores, & *Ioseph* non esset nisi juvenis triginta annorum, multi variis magnis muneribus functi, *Ioseph* recenter eductus è carcere,

multi nobili profapia orti, *Ioseph* mancipium: Nihilominus tamen, placuit ejus consilium omnibus ministris. Hactenus sese conformaverant regi: Sed ubi audiverunt illam dicentem: *Num invenire poterimus talem virum qui spiritu Dei plenus sit*, omnes filucere: Cum enim *Pharaoni* repugnare non auderent, suo silentio satis ostendebant se non libenter visuros ut *Ioseph* ad id officii assumeretur: Verebantur enim regem offendere dissentiendo, nec audebant etiam *Iosephum* tantum interpretem somniorum, & quem Rex dicebat esse spiritu Dei plenum, offendere, non subscribendo ejus dignitati ad quam destinabatur. Sic elingues sunt homines quando agitur de extero promovendo, eloquentes sunt, cum exteri omnes opprimi debent.

Ubique terrarum sedent tales *Aegyptii*, qui externorum dignitati advenferunt, quamvis spiritu Dei sint pleni. At ubi *Pharao* hoc in principibus suis animadvertit, rogavit quidem illos, sed non expectavit sententiam. Nam conversus ad *Ioseph*, ait: *Quia ostendit tibi Deus omnia quae locutus es: Tu eris super domum meam, & ad oris tui imperium cunctus populus obediet, uno tantum regni solio te precedam.*

Ita renunciando praefectum, irritis *Pharao* Satraparum silentium, qui cunctabantur, non ut meliorem pro regem eligerent, sed ut optimum rejicerent, & hoc moliebantur, ut differendo suffragium, regis favor refrigesceret. Quamquam principum malignitas non ita saevit ut omnem modestiam exuat, nam cum illis *Iosephi* consilium placuisset, non vero dignitas illi concessa, sicuti nihil dixerunt in favorem ipsius, sic nihil illi objecere. Non enim dixerunt Regi. Exterum, imperitum, mancipium, reum, alterius religionis hominem, hostem nostrorum Deorum praeficis regno, quod prodat, non ferret? quod opprimat famem, non sublevert?

Da nostra aetate aulam, si possis, in qua promoveatur externus, & vide quae calumniae, quot maledicta in eum conjiciuntur, contra familiam, patrimonium, patriam, nationem, mores; quid non sint jactaturi ut illius famam commaculent? quid non facturi ut ejus conatus impediant? Nec tamen opus est ut eatur ad aulam ut familia possint videri; vix enim officium ullum tam exigui momenti est, quod si alicui conferatur, aliis exclusis competitoribus, statim proclamatur: Adeo pauci sunt inter homines qui ferant fortunam alterius.

Sed

Sed videamus porro quid *Pharaonem* moverit ut ad tantam dignitatem *Iosephum* eveheret. Primum erat, quod videret illum *spiritu Dei plenum*: vix possum me hic continere quin exclamem: Fui-  
 mus haecenus in *Aegypto*, ubi modo gentium sumus? audio enim *pharaonem* dicentem: *Num invenire poterimus talem virum qui spiritus Dei plenus sit?* Lingua ista non *Aegypcia* est, sed *Christiana*; non enim mihi videtur *Pharao* in aula declarare praefectum annonae, sed *Christus* in monte statuere duodecim viros quos vocabat *Apostolos*. Non inquit *Pharao* in genus *Iosephi*, non opes indagat, non versutiam observat, non postulat munera, sed hoc illi sufficit ut statuatur *Iosephum* proregem *Aegypti*, quod sit spiritu Dei plenus: Deinde quod Deus illi omnia ostenderit quae locutus erat, denique quod nullus illo sapientior esset: Nihil hic datum gratiae, nec favori, nec benevolentiae, sed sola merita coronantur. Merito hic exclamat scriptor quidam nostri saeculi maximae dignitatis, ac celeberrimus: Ergone, inquit, domus Dei cedit domui *Pharaonis*? hic non statuebatur oeconomicus nisi prius ipsius virtute ac sapientia probata ad lydium lapidem; & familiis Sanctorum imponerentur ii, quos favor nobilitatis, non iurium aequitas commendavit? qui non solum non spiritu Dei pleni sunt, sed interdum nesciunt an sit spiritus Dei? illine leges dabunt omnibus, qui nullas leges servant? illi primi erunt in imperio, qui ambitioni, aliisque vitiis servierunt diu, & adhuc servant? Ergone in domo *Pharaonis* sola spectantur merita, & in domo Dei non spectabuntur? ibine optimus caeteris antefertur, & hic, qui plenus defectibus est, antefertur optimis? Sic ille: Tum & demum addit: merito exandescerem, si haec fierent.

Tunc plenam *Iosepho* collaturus *Pharao* potestatem, dixit rursus ad eum, inquit Scriptura, *Ecce constitui te super universam terram Aegypti: Absque tuo imperio non movebit quisquam manum in omni terra Aegypti.*

Hoc dicto, annulum detraxit e digito suo, inseruitque digito, *Ioseph*, praesertim ad signanda decreta, ut quaecumque a *Iosepho* essent signata, ab omnibus reciperentur ut mandata regis.

Deinde vestivit eum veste *bysina*: Haec vestis candida erat, usque ad talos demissa. & ita corpori astricta, ut nulla in ea ruga aut plica apparet. Circumpositusque est ad collum ejus torques aureus. Insuper *Pharao* eam conscendere in currum suum secundum, clam ante praecone ut omnes coram eo genu flecterent, & propositum esse scirent in universa terra *Aegypti*.



*gypti*. Vocavitque illum lingua *Ægyptiaca* Salvatorem mundi, & dedit illi uxorem *Aseneth* filiam *Putipharis* Sacerdotis *Heliopoleos*, quæ postea illi peperit duos filios, primum vocavit *Manassen*, quod *Hebraicè* significat *oblivionem*, quia Deus illum oblivisci fecerat omnium miseriarum quas passus fuerat: Alterum appellavit *Ephraim*, quod *Hebraicè* significat *crescere*, quia Deus fecerat illum crescere in prosperitate, honoribus, atque divitiis.

Provi-  
dentiæ  
Dei.

O admirandam divinæ providentiæ seriem: optimè dicit *Sapiens* cap. 8. *Attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter*. Ab omni æternitate decreverat Deus *Iosephum* famulum sibi fidissimum constituere proregem *Ægypti*; cum autem omnia disponat suaviter, noluit illum statim ad tantam dignitatem evehere, sed qui ab æterno simul omnes hominum cogitationes futuras & actiones prævidit, una etiam occasionem, & viam ad summam auctoritatem paulatim *Iosepho* aperuit. Occasio & via prima fuit, fratrum invidia, non poterant illi fratrem suum in suo contubernio tolerare, hinc illius eadem meditati, vendiderunt in *Ægyptum*. Hoc facere Deus illis non imperaverat, sed voluntate illorum pessima usus est pro causa, à qua boni aliquid erat expressurus: E malo enim quod permittit, bonum elicit quod vult & desiderat.

Alteram causam. Transibant mercatores *Ismaelita*, ubi oves pascebant fratres, quibus *Iosephum* vendiderunt, non hoc casu factum est, sed Deo ita disponente. Sicut quod in *Ægypto* venditus fuerit in mancipium, quod falso à Domina fuerit accusatus, quod detrusus in carcerem, quod duo Principes regis in eundem carcerem conijcerentur, quod illorum somnia interpretaretur, quod unus ex illis eum regi commendaret, & tandem *Ioseph* carcere liberatus vocaretur ad aulam, ut etiam somnia *Pharaonis* explicaret. Videte per quot ambages, quot aditus, deductus fuerat *Ioseph*, dum in triumphalem currum evectus est.

Nos interea multa quæ nobis eveniunt, putamus fieri casu, erramus: *Nihil*, inquit *Iob*, *in terra fit sine causa*, omnia disponit Deus sive prospera sint, sive adversa ut tandem pertingat ad finem, & per adversa perducatur ad prospera.

Videte nunc aliam mirabilem Dei dispositionem, quomodo scilicet omnia vertat in plane contraria prioribus. Hæc, inquit *Rupertus*, mutatio dexteræ excelsi: Pro compedibus enim, in quibus humiliaverant pedes *Iosephi*, torquem aureum suscepit. Pro pallio quo

quo in manu adulteræ relicto, nudus effugerat, stola byssina induitur: Pro fervili nomine regium gestat annulum, pro carcere, & fo-  
vea in qua captivus fuerat, ascendit imperii curram. Et erit adhuc  
aliquis qui conqueratur se derelictum à Deo, aut putet Deum illius  
oblivisci quando tribulationes immittit, cum Deus tunc maximè  
nos respiciat, & quando minime putamus, omnia in contraria  
vertat?

Amplius dico. Quis non horreat quando audit virtutem & in-  
nocentiam majoris pretii esse in *Aegypto* apud maximè improbos?  
*Ioseph* à Patriarchis fratribus suis in cisternam projicitur, à *Pharao-*  
*ne* Rege ethnico elevatur in thronum: Illi vincunt innocentem,  
hic solvit poenae jam damnatum ad mortem. In *Aegypto* inter idolo-  
latras meruit coronas, & aureos torques, in *palestina* patria sua, in-  
ter concives suos, mille calumnias subiit: Apud barbaros induitur  
byssina veste, apud *Israelitas* exuitur vestibus: Apud improbos ado-  
ratur, apud veros Dei cultores vilipenditur, & ejicitur in exilium.

Sic etiam *Magdalena* cum ad *Christi* pedes jaceret poenitens, op-  
primatur etiam ab Apostolis, qui omnes alios ad se accurrentes con-  
solabantur: Apostoli energumenis aderant ut eos eximerent servi-  
tute diaboli, *Magdalenam* vero *Christo* famulantem etiam probi con-  
vivæ improbant, adeo ut in isto convivio juxta judicium obmur-  
murantium præstaret inebriari, quam fundere lacrymas pro pecca-  
tis. Nam innocens habebis, si exhauseris calicem, si vero ex amo-  
re balsamo caput *Christi* unxeris, clamabunt melius datum illud  
balsamum fuisset egenis: Adeo mundus virtutem contemnit ut  
peccatrix Apostolis sit exosa, non cum peccat, sed cum peccata de-  
plorat, Et miramur passim à mundo irrideri virtutem, eosque carpi  
qui illam profitentur? imo sæpe à parentibus pluri fieri filios qui  
vel generosè se gerunt in bello, vel astuti ac industrii sunt in merca-  
tura, quam filias quæ se Deo dicarunt?

## DISCURSUS XVI.

*Applicat se Ioseph ad exequendum munus suum.*

A Uddivimus modo *Iosephum* à *Pharaone* constitutum proregem  
*Aegypti*: Nec mora: Egreditur, inquit Scriptura, *Ioseph* ad terram  
*Aegypti*, & circumvit omnes regiones *Aegypti*, venit fertilitas septem anno-  
rum,

rum, & in manipulos redacta segetes congregatae sunt in horrea Aegypti, omnis enim frugum abundantia in singulis urbibus condita est, tantaque fuit abundantia tritici, ut arenae maris coaequaretur.

Inepta videri posset comparatio arenae & tritici, nihil enim illa sterilius, hoc nihil uberius: Quare ergo Scriptura istam abundantiam non potius comparavit aut arborum foliis, aut fluminum guttis? propterea puto collatam littoribus maris, ut disceremus omnem ubertatem, abundantiamque mortalium proximam esse tempestatibus, & obnoxiam: ut enim mare rabiem suam exercet in arenam, fluctusque vomit in littus, quod numquam aut vix ab iis liberum est, sic exagitur calamitatibus prosperitas, quae numquam libera est, vel ab invidia, vel oppensione, vel calumniis, vel suspitionibus, seu potentiorum, sive aequalium: Nisi velis dicere ubertatem collatam arenae ut moneamur omnem abundantiam terrenorum sterilem esse respectu aeternitatis: Quid enim nobiscum ex iis quibus abundamus in mundo, evehemus in alteram vitam? ergo dum pecunias, aliaque bona colligimus, nihil aliud quam arenam coacervamus, teste *Sapient. cap. 7.* ubi dicit, omne aurum arenam esse exiguam.

Experientia constat inter alia multa nihil gravius esse arena, idcirco cum *Iob* vellet significare gravissimas esse calamitates suas, comparavit illas arenae. Hinc fit ut divitiae ceteraque bona terrena homines aspirantes ad caelum non sublevent, sed maxime gravent. Patuit hoc in *Abrahamo*, qui cum fuisset aliquando in *Aegypto* moratus, inde exiit, inquit Scriptura *Genes. cap. 13.* *dives valde in possessione auri & argenti: Hieronymus* ex textu *Hebraeo* vertit: *Abraham* gravis erat vehementer; *Aegypti* enim pondere gravabatur, erant quippe divitiae viro sancto graves instar arenae.

Divitiarum  
contemp-  
tus.

O divinum hominem! qui quod alii delicias putant, & in hac vita maxime expetendum, ipse gravissimum animae pondus esse sentiebat. Sublimis illa anima, & à Deo illuminata, quae magno affectu ferebatur ad divina, bona terrena, ut divini amoris impedimenta non sine timore fastidioque tractabat, quae videbat nimium à multis amari, & Deo anteponi. Se enim & in vita, & in illis bonis peregrinum agnoscebat, qui subito mortis imperio omnia aliquando esset relicturus. Hinc incredibilis illa cum Deo amicitia, affiduaque familiaris conversatio quam nullae res terrenae impediebant: Hinc jugis omnium virtutum exercitatio, & animi sancti libertas.

bertas, qui potenti velut dominatu appetitiones omnes & affectus contineret, hinc contemptus generosus omnium rerum. Non expectabat ut fluere de manibus opes, aut gravius in dies onere, eoque permolesto pietas animi, & optata quies opprimeretur: modos quarebat sedulo, quibus eas honestissime & in Dei timore expenderet, & de plurimis bene mereretur: Itaque abibat in regias vias ut peregrinos & hospites egenos lætissima ac singulari benevolentia invitaret, quos ducebat in domum, & lautissimè excipiebat. Quin & pomarium instruxerat ac magnificum hortum omnium fructuum genere abundantem, quem patere omnibus cupiebat, & tum gaudio exiliebat magis cum plurimi fuissent usi illis bonis quæ Dei causa, & magno beneficentiæ studio elargiebatur.

Jam in opum usu & copia quisque apud se reputet quo affectu in illas feratur, an cum *Abrahamo* grave onus existimet, atque ita cognoscat an terrenus, an cæli candidatus sit.

At, quæret fortassis insuper aliquis, quare Scriptura, illam rerum abundantiam in *Aegypto* compararit potius arenæ maris quam terræ: rationem puto fuisse quod arena terræ passim nullum habeat periculum, arena vero maris valde multa: Est enim in mari duplex scopulorum genus, unum quod vocatur scopuli, alterum quod vocatur Syrtes, utrumque valde periculosum, sed syrtes passim periculosiores: Scopuli enim cum extent supra aquas, de longe videri possunt, faciliusque vitari à nautis ne navis in illos impingat, dissiliatque in frustra; sed Syrtes latent sub aquis, videri non possunt, hinc fit ut subito, & inadvertenter naves in illas impingant, hæreantque, & fluctibus agitatae, magis magisque subsidant, donec per multas impulsiones diffractæ penitus submerguntur, ac naufragium faciunt.

Syrtes sunt bona terrena, ac præsertim divitiæ, hoc est, sunt quasi colles quidam ex arena compacti, latent sub aquis, ideoque facilius decipiunt, quia non apparent hominibus nisi sub specie splendoris ac felicitatis, ideo tanto periculosiores ad faciendum naufragium, quia homines in illas incidunt priusquam advertant.

Quamvis enim certum sit divitias posse esse, & multis aliquando fuisse & etiamnum sint instrumenta heroicarum virtutum, quando quis illis bene utitur, certum tamen est esse instrumenta multorum peccatorum, quando quis illis abutitur: Per divitias enim periit *Salomon* quia illis abusus est ad omne genus deliciarum ac voluptatum

tum & idololatriam; per divitias periit dives ille in Evangelio, qui sic illis erat affixus ut vix putaret se moriturum: Per illas periit dives epulo, quia illis abusus est ad ebrietatem & gulam & immiseri- cordiam: Per illas periit filius prodigus quia illis abusus est ad luxu- riam: Per illas periit *Sodoma*, quia illis abusa est ad seducendam ju- ventutem ad enormia peccata. Quid plura? numquid de hujusmo- di divitibus dixit *Christus*: *Quam difficile est divitem intrare in regnum caelorum?* tam difficile quam camelum transire per foramen acus? Non quod divitiæ malæ sunt aut vilipendendæ, non, sed quia sy- res sunt ubi plurimi fecere naufragium, & occasionem præbent multa mala faciendi, quæ à pauperibus fieri non possunt, quia talem occasionem non habent.

Si hæc non sufficiant ad videnda pericula quæ latent in abun- dantia bonorum terrenorum, audite quid dicat *Ecclesiasticus cap. 31*. Ubi summis laudibus extollit divitem qui non peccavit: *Beatus*, in- quit, *Vir qui inventus est sine macula*: Vocat illum *beatum*, summa laus: sicut enim mos est Scripturæ, dicere *va illis*, quos maledicit, sic solet vocare beatos, quos vult in summo laudare: Sed quare vo- cat illum *virum beatum*? quia *inventus est sine macula*; At unde hæc tanta puritas? quia *post aurum non abiit, nec speravit in pecuniâ & thesau- ris*. Hoc est, non fecit se mancipium divitiarum, nec illas secutus est sicut servus Dominum ut illi in omnibus serviat & obediat: Nec ita spem suam posuit in pecunia & thesauris quasi numquam illis privandus: Narrat hoc ergo scriptura tanquam rem valde mirabi- lem, quod vir ille medias inter divitias vixerit sine macula: Sequi- tur itaq; quod valde magnum periculum sit in divitiis ad animum hominis maculandum: Si enim nullum esset aut parvum, ridiculum esset quod Scriptura hoc narraret tanquam aliquid valde mirabile quod vir ille dives se servasset immaculatum, si nullum erat pericu- lum se maculandi. Hoc clarius explicat Scriptura sequentibus ver- bis: *Potuit, inquit, transgredi & non est transgressus, facere mala, & non fecit*. Si potuit, ergo divitiæ occasionem dant multorum malorum: Tunc exclamat Scriptura: *Quis est hic? & laudabimus eum*. Ubi talem inveniemus? quotusquisque est qui inter abundantiam divitiarum, aliorumque bonorum temporalium vivat sine macula quod si quis talis inveniatur, meretur summas laudes, gloriæque æter- nam, & perfectus est, *fecit enim mirabilia in vita sua*: Si hoc tam mi- rabile est, ergo valde rarum est, imo & miraculum, quot tot ma-  
la.

la, torque pericula, quæ divitiæ secum trahunt, illæsus & immaculatus evaserit: Sic quando aliquis è cruenta pugna, unde quaque obfessus ab hostibus evasit incolumis, vel aliquis navi impactus in scopulos, fracta navi, fluctibus obrutus, enatavit ad littus, solemus dicere, miraculum est quod evaserit. Ex illis ergo verbis Scripturæ relatis, clarissimè patet mille esse pericula, mille syrtes in divitiis, quas si quis evadat, miraculum est. Quid ergo opus? audi *Davidem* *Psal. 61.* *Divitiæ, inquit, si affluant, nolite cor apponere*, non dicit Propheeta, inquit *Laurentius Justinianus de ligno vite cap. 4.* nolite habere divitias, nolite illas quærere & congregare, sic enim sanctissimos viros, & maximam orbis partem damnaret, sed dicit: *Nolite cor apponere*: Ergo non damnat *David* divitias, inquit *Justinianus*, quibus homo cælum meretur, sed vult ut cor non apponatur.

Quid autem sit cor non apponere explicat *Dionysius Carthusianus* *in Psal. 61.* Hoc est, inquit, voluntatem non inordinatè affigere, non inordinatè amare, retinere, augere, sed illas cum debito labore acquirere, cum timore Domini possidere, sine dolore amittere, æterna bona non negligere.

Pergamus in historia. *Transactis, inquit Scriptura, septem ubertatis annis qui fuerant in Ægypto, cæperunt venire septem anni inopia quos prædixerat Ioseph: Et in universo orbe fames prævaluit, in cuncta autem terra Ægypti panis erat.*

Tandem omnis copia finitur: Nulla felicitas quæ semper durat. Aliter accedit felicitati quam pomis vel uvis: Illa dum primum crevère cruda sunt & incocta, si admordeas remordent, & sua amaritie gustui sunt ingrata, sed ubi maturuère, deliciae sunt. Felicitas è contrario, primum blanditur & sapit, paulo post illudit & cruciat. Rosa est, quæ primum folia, deinde spinas producit: Sic adimpleta est prophetia *Iosephi*, dixerat enim *Pharaoni*: *Ubertatis magnitudinem perditura est inopia magnitudo.*

Hoc miror, quod annis septem ubertatis tria tantum egerit *Ioseph*, nempe, lustravit *Ægyptum*, annonam urbibus intulit, duos ex uxore liberos suscepit. Non legirur orasse, non sacrificasse, non jejunasse, nec dicitur filios suos circumcidisse: Ergone *Iosephum* nova dignitas ita abripuit, ac consopivit, ut cælum numquam intueretur nec Dei meminisset? Quis hoc audeat opinari de viro sanctissimo, omnibusque numeris absoluto? quid ergo?

*Aio*, quod Scriptura tantum narrare voluerit quod *Ioseph* sum-

ma cum diligentia, ac prudentia obierit ea quæ erant sui officii, adeoque & hominibus & Deo, & suæ conscientiæ satisfecerit; hoc sufficit ut dicatur orasse ac jejunasse: Opus enim, vel officium quod nobis à Deo, juxta cujusque statum, impositum est, suo tempore, bene, laudabiliter, seduloque peragere, vim habet orationis atque jejunii, uti alias ostendimus.

Aio 2. Scripturam fortasse alia *Iosephi* opera pia voluisse filere, ut ostenderet ita multos se gerere inter curas sæculares, atque negotia, ut penitus ab illis absorbeantur, & totos dies vix aliud cogitent, Dei cælique immemores.

Hoc in illo summæ prudentiæ fuit, quod aras non crexerit palam, quod sacrificia Deo suo non obtulerit: Hoc enim in extera regione, præsertim in *Ægypto*, non licuisset, quia *Ægyptii* vitulos & boves habebant pro diis & adorabant, quos si *Ioseph* publicè, uti erat mos *Judeorum*, mactasset & obtulisset, contra illum insurrexissent. Sed quis putet illum in suo conclavi non sæpe orasse, aut filios suos non circumcidisse? cum esset verus *Israelita*, & pronepos *Abrahami*? at domi hoc fecit cum uxor se converterat ad veram religionem cum prius ethnica esset.

Interea cum tam valida esset fames per totam *Ægyptum*, clamavit populus, inquit Scriptura, ad *Pharaonem*, alimenta petens: Quibus ille respondit: Ite ad *Ioseph*, & quidquid ipse vobis dixerit, facite.

Per *Ægyptum* passim intelligunt Patres, hunc mundum, qui in hoc maximè similis est *Ægypto*, quod in eo regnet fames tam valida, ut nullum unquam hominum suis bonis potuerit satiari.

Mundi  
bona non  
satiant.

Depinxit hanc famem *Christus* sub parabola filii prodigi; Profectus, inquit, ille est in regionem longinquam, hoc est, ad vitam penitus sæcularem longè à Deo, ut illic bonis mundi frueretur, cumque illic esset, & omnia quæ habebat, gulâ, luxuriâ, aliisque mundi deliciis consumpsisset, facta est, inquit *Christus*, in regione illa fames valida, & cum miser adolescens nihil haberet quod comederet, locavit se cuidam villico, qui tradidit illi curam porcorum. Quid hic ageret? nemo illi dabat vel frustum panis, ergo cupiebat, inquit Scriptura, implere ventrem de siliquis quas porci manducabant. Frustra fuit, nam post omnia, audiebatur exclamare: Ego hic fame pereo. Certum est quod *Christus* hac parabola parte aliud nihil voluerit significare quam quod mundi bona numquam hominem possint satiari, adeoque ingentem ubique famem per totum mundum grassari.

Videt

Videte nunc qua ratione hoc ipsum nobis depingat *D. Bernardus* *Serm. Ecce nos &c.* Vidi ego, inquit, aliquando quinque viros, quorum primus buccis tumentibus marinam masticabat arenam: Per hunc intelligit *Bernardus* amatorem divitiarum quæ à Scriptura comparantur arenæ. Secundus sulphureo astans lacui, exhalantem teterrimum, foedissimumque gestiebat haurire vaporem. Per hunc intelligit libidinosum. Tertius fornaci incubans vehementer accensæ, micantes scintillas, hiantibus excipere faucibus lætabatur. Per hunc intelligit iracundum, cupidumque vindictæ. Quartus super pinnaculum templi residens, levioris auræ spiritum aperto attrahebat ore, & si quo minus influere videretur, flabello sibi ipsi ventum ciebat, ac si totum speraret aërem deglutire. Per hunc intelligit ambitiosum. Quintus denique seorsim cæteros ridebat, ipse quoque ridendus vel maximè. Per hunc intelligit hominem superbum qui seipsum jactat, & laudat. Tandem exclamat. Quid hæc profunt? non sunt isti naturales cibi, famem magis provocant quam extinguunt. Habes hic eleganter famem mundi quasi depictam in tabula; sed magis in particulari exprimamus.

In primis verum est quod ait Philosophus *Seneca*: *Fortuna multis nimium dedit, nec mihi satis, ideo semper plura & plura desiderant, quia numquam sunt saturi.*

Quis unquam vidit quantumcumque divitem, quam diu haberet spem plura lucrandi, qui diceret, satis est? Ille dives in Evangelio, qui tot divitiis abundabat & bonis ut non haberet amplius locum ubi illas reponeret, nimium habebat, non tamen satis, quia longè ampliora desiderabat, majora horrea, majores caveas, majores cistas, dicebat enim se nihil habere, cum omnia haberet, ergo illis omnibus non erat satur.

Numquid ubique videmus tales homines quotidie? dicunt: *Tantum habeo in terris & fundis, tot ædes in urbe amplissimas, alios e-locavi, tot foris prædia possideo, tot pecunias in cista, tot effectus in Hispania, tot merces in Anglia: Fac computum, quantum habes? fortuna nimium dedit, habesne satis? necdum, pluribus opus est, insanus forem si cursum fortunæ mihi faventis sisterem: Quam recte dixit Ecclesiasticus cap. 5. *Avarus non implebitur pecunia, nam, ut ait Poëta: Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.* Quis fuit unquam ditior in mundo quam *Salomon*? Habebat annuè undecies centena millia, ducenta & octo ducatorum millia, tantamque co-*

pianæ



piam habebat auri & argenti, quasi lapidum in plateis, ad mensam omnia vasa aurea, quadraginta millia equorum in stabulis, duodecim millia curruum & equitum, nec tamen erat satur, dicit enim de seipso *Sapient cap. 7.* omnes hasce divitias nihil esse duxi, quia oculus meus illis non satiabatur. Quod si tot tantæque divitiæ *Salomonem* satiare non poterant, quomodo satiabitur is qui vix millesimam aut centesimam partem habet? Unde bene exclamat *D. Augustinus serm. 48. ad frat. in Eremo:* Terra suis limitibus terminatur, aqua suis finibus limitatur, aer suo fine concluditur, cælum suis terminis arctatur, sola avaritia terminum nescit: Hinc illa toto mundo rabida fames, qui enim satiari non potest, semper famet. Quid dicam de voluptatibus carnis? Insatiabiles sunt, inquit *Hieronymus*, quanto magis capiuntur, tanto plus utentibus famem creant, ut ait *Propheta Oseas cap. 4. Fornicati sunt, & non cessaverunt.*

Luxuria, inquit *Rupertus lib. 2. in Oseam,* cum hominem imbuerit, numquam dicit, sufficit: Amor enim mulieris, inquit *Salomon Prov. cap. 30.* est sicut terra quæ non satiatur aqua, & sicut ignis qui numquam extinguitur.

Movent hic quæstionem Interpretes sacræ Scripturæ, quare Deus uxorem *Loth,* verterit in statuam salis: Volebat enim illam statuam stare ad æternam posterorum memoriam, potius ergo debuerat istam feminam mutare in statuam æneam vel marmoream ut tanto diutius duraret, sal enim, præsertim inter imbres & pluvias facile colliquefcit. Varii varias hujus mutationis rationes adferunt: Audiamus quid dicat *Origines: Loth,* inquit, ejus maritus, erat typus viri spiritualis, uxor vero ejus carnis imaginem exprimebat: cum enim valde difficulter posset induci & avelli à civitate illa infami libidinibus *Sodoma,* voluit Deus illam convertere in statuam salis, ut ostenderet quod ii qui voluptatibus carnis dediti sunt, nec ab illis possunt avelli, numquam fatientur, sed semel delibata, sicut aqua salis, cupiditatem magis accendant, juxta illud *Poëtæ Ovidii: Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aqua.* Quando *Salomon* semel inceperat illi se vitio dare, usque ad extremam senectutem non desistit, quia biberat aquam salis.

Si enim etiam in summo luctu extingui sæpe non potest, quomodo desistet medias inter delicias? narrat *Isaias* *Propheta cap. 12.* miserandas illas ruinas, & vastationem urbis *Babylonica;* quando omnia planctibus, ac ululatibus pereuntium hominum implebantur.

bantur: Inter hæc tamen non deerant, inquit, *Sirenes in delubris voluptatis*, quæ suo cantu ad voluptates alliciebant, & post omnia *Babylonis ædificia sola æquata*, adhuc inter illas ruinas supererant, delubra voluptatis carnalis. Tanta est libidinis infatiabilitas. Hinc illa roto mundo rabida fames.

Denique quid infatiabilius ambitione? Ambitiosus non tam jactat quod habet, quam plorat quo caret. Quantum terrarum coeperat, & habebat sub potestate sua *Alexander ille magnus*? & tamen ingemuit illacrymatuſque est cum intelligeret plures esse mundos quibus carebat. Hinc illud dictum Poëtæ: *Vnus Pelleo juveni non sufficit orbis*: Quid aliud istæ lachrymæ indicabant quam quod nova regna, novum appetitum excitassent, unusque mundus non sufficeret ad animum ipsius exsaturandum? non cogitabat quid invasisset, ea solum meditabatur quæ nondum superaverat, & quo plura meditabatur, eo fames ambitionis magis magisque crescebat.

Patuit hoc etiam in *Absalone*. Putabat ille se felicissimum fore, si redux ab exilio, aspectu patris sui *Davidis* frui posset: O, inquit, si possem videre faciem regis: Et ait Scriptura: Vocatus est *Absalon*, & intravit ad regem, imo plus pater illi concessit quam optaverat: Cecidit enim in collum ipsius, & osculatus est eum. Numquid diceret redundasse in illum felicitatem, quod non tantum ad aulam vocatus sit quod optaverat, sed etiam osculo exceptus quod non petierat? Non erat satis, volebat adhuc *Israelitarum* animos sibi devincire, idcirco quotidie stabat ad ingressum palatii, ut omnes accessuros ad regem blando vultu exciperet, apprehenderet dexteram, eosque oscularetur, quorum opera postea uteretur in perniciem patris, famemque ambitionis magis accenderet. Nondum ergo erat satur: Proripit se ex aula, curribusque & equitibus jam armatus, jubet tubas inflari, pulsari tympana, & se proclamari regem in *Hebron*: Necdum satis, progreditur cum exercitu contra *Jerusalem* coronam patris sui impositurus capiti suo, thronumque regium vi invasurus. Quid plura? tanta erat ambitiosi huius hominis fames ut sola morte extingui potuerit, si supervixisset numquam desuisset plura appetere; si enim mors non intervenisset jam parabat pugnam inire cum Patre, eumque non tantum *Jerusalemis*, sed etiam vita ejicere, ut solus regnaret. Estne post hæc adhuc aliquis qui non videat vere dici posse de mundo

do quod Scriptura ait: *In universo orbe famem invaluit*, tantaque sterilitas in *Egypto*, ut esuriens populus clamaret ad *Pharaonem* pro pane, at ille mittebat illos ad *Joseph*, dicens: *Ite ad Joseph*.

Non alius modus ad sedandam illam totius orbis, quam modo descripsimus, famem, nisi hic unus: *Ite ad Joseph*. Ite ad Deum, ite ad *Christum*, nihil enim est aliud in hoc mundo quod nos possit saturare.

Ite ad Deum: Ille enim, inquit *Augustinus lib. 22. de Civit. cap. 30.* Est finis desideriorum nostrorum: Si finis, ergo illo habito, nihil aliud restat quod desiderare possimus. & tunc perfecte homo satiatur, quando nihil ultra desiderat: Propterea clamat *Augustinus ad Deum in Soliloq. cap. 3.* Da quod peto, quoniam si cuncta quae fecisti, mihi dederis, non sufficit seruo tuo nisi te ipsum dederis: Qui enim Deum habet, in se habet omnia, juxta illud quod *S. Franciscus* toties repetebat in vita: *Deus meus & omnia.*

Ad imaginem Dei facta est anima rationalis, ceteris omnibus occupari potest, repleti non potest, quia cum tantæ sit dignitatis ut sit similis Deo, nullum bonum præter summum bonum, ei sufficere potest.

Propterea audio *S. Davidem* clamantem *Psal. 62. Sitiuit anima mea: Unde ista sitis? quia sum, inquit, in terra deserta, & in via, & in aquosa. Sancte Propheta*, ergone tu unquam in solitudine habitasti? & quando hæc dicebas, & scribebas, numquid habitabas & versabaris in aula tua? quænam est ergo *terra illa deserta & in aquosa*, de qua loqueris? illa terra est mundus, ubi hætenus nihil inveni quod possit sitim meam levare, aut saturare: Nihil invenisti? & tamen omnia habuisti bona quæ mundus homini potest conferre: Si fortitudinem spectes, lacerasti leones & urfos adhuc puer; vicisti horrendum illum gigantem *Goliath*, adhuc adolescens: Si pulchritudinem spectes, dicit de te Scriptura, quod esses adolescens *pulcher aspectu*. Si favores humanos spectes, non erat quis præter *Saul*, qui te non unice diligeret, ipse *Jonathas* filius *Saul*, amabat te ut fratrem, imo ipse *Saul* Rex tibi filiam suam *Michol* dedit in conjugem, & quanto affectu te profugum excepit summus Sacerdos *Achimelech*? Si divitias spectes, habuisti bis mille, octingentos duodecim miliones ducatorum: Si famam spectes, quid tibi deerat cujus facta reges ac nationes longè lateque admirabantur, ac deprædicabant? si dignitates spectes, Rex eras, & stabas in supremo apice honoris.

Et

Et adhuc ais te nihil, inuenisse in mundo quod posset saturare? nihil quod posset sitim tuam extinguere? nihil, inquit, inveni, quia adhuc sitit anima mea: quid ergo vis habere? quid sitis? sitit anima mea ad Deum vivum, ille solus potest me saturare: Reliqua omnia vanâ sunt, ideo relinquunt animum vacuum, sic nihil est extra Deum quod hominis animum possit implere, nisi qui solus implet cælum & terram, & quidquid in illis est.

Ite ergo quicumque vultis saturari, ite ad Deum, & sequimini vestigia filii prodigi, qui cum fame periret, postquam expertus esset omnes delicias mundi, dicebat: *Ibo ad patrem ubi mercenarii abundant panibus*, si mercenarii & servi abundant, quam abundantiam non habebit filius? ergo vado ad Deum patrem meum.

Quam amanter etiam invitat nos *Christus*, dum ait: *venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis: Quare? ego reficiam vos.* Ite ergo ad *Christum* præsertim sub specie panis & vini latentem in Eucharistia. Hic enim inquit *Salomon*, habes reipsa quod olim figurabat Manna in solitudine, habes panem omne delectamentum in se habentem, & omnem saporis suavitatem, Hic Deus tuus, inquit *Augustinus* in *Psal. 36.* totum tibi erit manducabis eum, & non esuries, bibes & non sities, possidebis totum & integrum. Hic panis, inquit *Cyrianus* *serm. de Cena*, implet & satiat edentium appetitus.

Fuit aliquando qui diceret magno illi spiritualis vitæ magistro in *Hispania*, *Joanni de Avila* se in animo habere proficisci in terram sanctam, ut ibi commorari liceret, ubi *Christus* pro nobis mortuus est: At respondit *Joannes*: Habemus in promptu Ven. Sacramentum, cujus cum memini, quæcumque in terris sunt, mihi fastidium sunt. Si sola hujus divinæ mensæ recordatio parere poterat fastidium omnium quæ mundus proponit exquisitissima fercula, omnes, quas caro suggerit, vel dæmon fingit, voluptates, quid erit quando anima sancta cibum illum divinum, hoc est, inquit *Bernardus*, dulcedinem dulcedinum, comedet? quisquis ergo vult saturari, & non sitire nec esurire, eat ad illum amantissimum fratrem nostrum *Joseph*, & ille, ut de altero illo *Joseph* in *Aegypto*, ait Scriptura, aperiet univèrsa horrea, & suppedabit frumenta.

## DISCVRSVS XVII.

*Mittit Iacob filios suos in Ægyptum ut emant frumentum.*

**A**Udivimus Scripturam dicentem quod non tantum in Ægypto, sed etiam in universo orbe, hoc est in circumjacentibus regionibus esset fames, sed quod Ægyptus haberet frumenta horreis per industriam Josephi illata & conclusa quæ advenientibus divendebat.

*Audiens ergo Iacob, inquit Scriptura, quod alimenta venderentur in Ægypto, dixit filiis suis: Quare negligitis: audivi quod triticum venditur in Ægypto: Descendite & emite nobis necessaria, ut possimus vivere, & non consumamur inopia.*

Primo hic adverto quod habet textus *Latinus: Emite nobis necessaria*, septuaginta vero interpretes vertunt: *Emite nobis pusillas escas: Necessaria* tantum vult, non superflua, *pusillas escas* vult, non abundantiam, tam procul aberant à domo illius Patriarchæ, delicia, & crapula: Tantum volebat emi quæ necessaria erant ad vitam, *ut vivamus*, inquit, præterea nihil, volebat pauca, ne filii temperantiæ mensuram excederent. Propterea plus ego miror hujus Patriarchæ victum quam jejunium nostrum, quot enim illecebræ in jejunio nostro sese insinuant, adeo ut etiam crapula regnet inter abstinentiam vetitorum ciborum, & sic dum abstinemus à vetitis, non abstinemus à crapula: Numquid tale est jejunium? inquit olim Deus *Judeis*.

Credo etiam quod sanctissimus hic Patriarcha simile quid cogitaverit quale dixit *Vrias Davidi*, quando volebat *David* ut iret in domum suam, & comederet, biberet, ac se oblectaret cum uxore sua. Quomodo? inquit *Vrias*, egone ibo in domum meam ut comedam, bibam, & voluptati operam dem, quando *Joab* Dominus meus, alique Principes Regis habitant sub tentoriis in castris, & illic patiuntur tot incommoda, per salutem meam, non faciam rem hanc. Sic puto aiebat *Jacob*: Tot hominum millia vix habent panem quem manducant, pereuntque miseriis, & ego cum familia mea crapulæ operam dabo; & delicias sectabor? Deus hanc nobis famem immisit, statuitque inter hæc miseras, & ego, irato Deo, voluptati operam dabo? non faciam hoc, ne videar Deum irridere. Quid

Quid enim absurdius quam in communi omnium luctu, agitare conviviam, & sese effundere in delicias, quando tempus est poenitendi, Deumque placandi? quapropter ite filii mei in *Aegyptum*, & emite nobis aliquas pauculas escas, & non amplius quam nobis necessarium est ad vivendum: *Vi vivamus & non moriamur.*

Hoc mirum, jam *Jacob* vult vivere, quando maximè debebat illum vitæ tædere, & mortem optare. Cur enim senex centenarius non moreretur libenter, cum videret sibi in tanta totius mundi calamitate vivendum inter miseras? è contrario, propterea timebat mori ne tot meritis privaretur. Nunc, aiebat, vivendum est, quando miseriis opprimor, fameque laboro. Tunc vero mori poteram, quando hæres locupletis familiæ opibus abundabam: Jam mori nolo quia occasionem habeo patiendi. *Elias* tunc petivit animæ suæ ut moreretur, cum rebus omnibus destitutus sine cibo ac potu, sine ullo solatio humano solus errabat in solitudine, *Jacob* è contrario vult vivere ut plura patiat, & tot victorias referat quot quotidie passurus esset famis inopiæque incommoda. Sciebat namque ideo sibi vivendum, non ut viveret, sed ut secum plures coronas è vita in aternitatem aveheret, quas calamitates patientiæ toleratæ texunt; videre mihi videor illum ad id usque tempus non curantem vitam suam, non sollicitum ut corporis valetudinem servaret: Jam vero ait, gravis esset jactura vitam finire ac perdere, quando tam multa mala nos undique premunt, inopia, fames, angustia, labor, morbi, & funera quæ famem sequi solent.

Auditis hoc? hæc erat magnorum illorum virorum de pretio calamitatum opinio, & tanta erga illas reverentia. Putant enim justi se torpere in fortunæ malacia, sicut naves sine vento manent immotæ. Sicut sine igne aurum terra est, splendorem suum debet tormentis, sic magnos viros supra vulgus extollit adversitas: Sunt enim ut stellæ quæ tunc maximè lucent quo majores sunt tenebræ, sic justi fugunt de saxo durissimo oleum meritorum, & mel gratiarum.

Hoc probe sciens D. Apostolus *Paulus*, cum omnia illi adversa advenirent, optabat diutius vivere ut plus mereretur, cum vero omnia illi prosperè succederent, optabat mori, & esse cum *Christo*.

Comitemur jam filios *Jacob* in itinere versus *Aegyptum*. *Descendentes*, inquit Scriptura, *fratres Joseph decem ut emerent frumenta in Aegypto, Benjamin, natu minimo, domi retento à Jacob, ne forte in itinere*

itinere quidquam pateretur mali, ingressi sunt terram Ægypti, & cum scirent ad nutum supremi Principis, qui erat Ioseph illis incognitus, populi frumenta divendi, accesserunt ad illum, cumque illum adorassent, cognovit illos, inquit Scriptura, sed quasi ad alienos durius loquebatur, interrogans eos, unde venistis? qui responderunt, de terra Chanaan, ut emamus victui necessaria. Respondit Ioseph: Exploratores estis, ut videatis infirmiora terre venistis. Qui dixerunt: Non est ita, Domine, omnes filii unius viri sumus, pacifici venimus, nec quidquam famuli sui machinantur mali.

Quæ est ista responsio? accusantur quod sint exploratores, & dicunt non sumus, quomodo hoc probant? quia sumus, inquit, omnes filii unius viri: Quid tum? an ergo fratres & filii unius patris non possunt esse exploratores? utrumque stat simul: Sed, ut video, hoc protulere in defensionem innocentiae suæ, nempe mutuam concordiam & patrem, quasi vellent dicere: Pater noster Iacob est, vir timens Deum & sanctus, quis filius sub tali patre audeat proditorem agere? quam iu enim patris reverentia liberorum animum occupat, non facile tam enorme peccatum committent. Utinam tunc reverentia erga patrem animis horum filiorum infedisset, quando in Iosephum conspiravere? non tanto scelere se maculassent ut Iosephum Patri carissimum venderent in mancipium. Solus Ruben qui patrem retinebat in corde, nitebatur Iosephum liberare, dicebat enim: Non interficiatis animam eius; sed projicite eum in cisternam hanc: Hoc autem dicebat, inquit Scriptura, volens eripere eum de manibus eorum, & reddere eum patri suo. Non abjecerat Ruben memoriam patris, ideo nolebat peccare in fratrem, eumque interfici? Volebat impedire mortem Iosephi, non propter innocentiam adolescentis, non ex metu legum, non ex terrore supplicii, non propter atrocitatem flagitii, non ad præstandum Deo obsequium, sed retardabat parentis injuria, quem mærare nolebat morte filii sui carissimi, ideoque volebat, inquit Scriptura, eum reddere patri suo, adeo in tanta invidia adduci non potuit ut peccaret, qui patrem habebat præ oculis, fortior erat memoria patris ad peccatum impediendum, quam innocentia pueri, quam leges, quam cælum, quam Deus. Quamdiu pater vivebat in animo filii, nullus fratrum ausus est Iosephum occidere.

Nec mirum si tantum poterat reverentia patris in Ruben, qui non erat adeo ferox, quandoquidem crudelis, & furiosus Esau, ex respec-  
tu

Et patris, *Isaac* non sit ausus occidere fratrem suum *Jacobum*. Sic enim ait Scriptura *Gen. cap. 27. Oderat semper Esau Jacob pro benedictione: Dixitque in corde: Venient dies luctus patris mei, & occidam Jacob fratrem meum.* Videntur unus *Isaac* inermis, sed pater furias *Esau* compescuit ut fratrem non occideret patre vivente, *Esau* luget, fremit, nec iugulat: An deerant arma? habebat sagittas & arcum quibus venabatur: An forte *Jacob* armatum non audebat invadere? at *Jacob* erat inermis. Cur ergo inermem & invifum sibi *Jacobum* non trucidat homo tam ferus, furibundus, & armatus? quia patris meminerat: Ideo ergo parcat vitæ fratris, quia pater nondum erat mortuus.

Denique quid fuit quod filium prodigum extraxit è cœno libidinis? recordatio patris. *Surgam*, inquit, & ibo ad patrem meum: Hæc potuit facere ut deinceps ab omni scelere se abstineret. Plus quam barbaros ergo oportet esse liberos istos quos nec respectus, nec reverentia, nec bonitas, nec amor parentum retardare potest à scelere.

Itaque fratres *Iosephi* credebant se satis probare se non esse exploratores, cum dicerent: *Omnes unius viri filii sumus, pacifici venimus, nec quidquam famuli tui machinantur mali.* Hoc est, è tali familia, ubi pater, tam sanctus est, non potest tale scelus prodire.

Si porro, ut vidimus, sola recordatio patris tantum potest ut liberos deterreat à peccando, quis peccaret, si Numinis meminisset? nemo fœdaretur si cælum respiceret. Ideo *David Psal. 16.* ait. *Hostes mei statuerunt oculos declinare in terram, ideo susceperunt me sicut leo parans ad prædam.* Facti sunt crudeles sicut leones, quia noluerunt cælum respicere. Hinc patet nihil esse quod homines crudeliores efficiat, & peccatores magis obduret, quam Dei oblivio. Quid fuit quod duo illi seniores pudicam illam *Susannam* in *Babylone* sollicitarent ad adulterium? *Declinaverunt*, inquit Scriptura, *oculos suos ne viderent cælum.* Quid enim poterit homines continere si hoc cæli amor, Deique memoria non possit?

Interea magis urgebat fratres suos *Ioseph.* dicens: Frustra vos vultis purgare, dico iterum: quod imminuta terra hujus considerare venistis. At illi dixerunt rursus: *Servi tui fratres sumus, filii viri unius in terra Chanaan: minimus cum patre nostro est, alius non est super. Hoc est, ait Ioseph, quod locutus sum, exploratores estis. Iam nunc experimentum vestri capiam: Per salutem Pharaonis, non egrediemini hinc, donec veniat frater vester minimus: mittite ex vobis unum, & adducat eum, vos autem eritis in vin-*

in vin-



*in vinculis, donec probentur quae dixistis utrum vera an falsa sint Alioquin, per salutem Pharaonis, exploratores estis. Tradidit ergo illos custodia tribus diebus.*

Merito dicit Scriptura quod ad fratres suos quasi alienos durius loquebatur, & post omnia jubet illos trudi in carcerem: Cum autem hoc videatur mirabile, quod homo tam sanctus, & pius, & mansuetus tam dure tractaret fratres suos quos ipse jam noverat, operæ pretium erit inquirere rationes cur hoc fecerit.

Audiamus *i. Augustinum: Ioseph*, inquit *serm. 81. de temp.* vir sanctus, per huiusmodi tribulationem, fratres ad confessionem criminis, & ad medicamentum poenitentiae provocare volebat: tribulationem vocat *Augustinus* remedium medicinale, quia peccator per hanc intrat in seipsum, & ad contritionem movetur.

Altera ratio est ut illos viam caeli doceret, sciebat enim eo pergendum per afflictiones, & persecutiones, quod postea dixit *D. Paulus* Apostolus *Actor. cap. 14. Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.*

*Adversitas committit ad Deum.*

Propterea *christus* agit nobiscum sicut *Ioseph*, qui erat vera figura *Christi*, agebat cum fratribus; peccatoribus tribulationes immittit ut eos perducatur ad poenitentiam, & confessionem peccatorum. Quando enim peccator prosperitate fruitur, est similis *Onagro*, qui abripitur ad omne voluptatum genus, ita ut nemo illum sistere possit. Hac similitudine utitur *Jeremias* Propheta *cap. 2. Onager*, inquit, *assuetus in solitudine, in desiderio anime suae, attraxit ventum amoris, nullus avertet eam, omnes qui quarant eam, non deficient, in mense suo invenient eam.* Frustra venatores illam persequuntur, tam enim velox est, tempore amoris sui, ut non sint assecuturi nisi in mense suo, ut habet textus *Hebraeus*.

Quid hoc significet, explicat *Rabbi Salomon*, & ait, quod ista belua semel in anno, integro mense dormiat: Perdunt operam venatores ut illam persequantur, numquam enim assequuntur nisi illo mense quo dormit.

Idem accidit peccatori; quamdiu bene valet, & fruitur prosperitate, omniaque succedunt ex voto, non videbis illum currentem per viam mandatorum Dei, sed sine freno per vastas solitudines mundi, vanitatum, & voluptatum; frustra Concionatores vel confessarii sua retia tendunt, numquam capient, nisi quando onustus pondere peccatorum, tribulationibus opprimetur, & sub illis faciet.

scet. Imple, inquit David *Psal. 82. facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine.*

Hoc medio usus est Deus respectu ipsius Davidis: Videns enim quod post peccatum non se converteret, sed facile ad undecim menses in peccatis hæreret, strinxit contra illum gladium justitiæ suæ, & mox exclamavit David. *Conversus sum in ærumna mea.*

Recte ergo dixit *D. Gregorius* in illa verba *Compelle intrare*: Mala quæ nos hic premunt, ad Deum nos ire compellunt. *Tonas* peccaverat, & fugiebat à Deo, tempestas cogit illum redire. Filius prodigus peccaverat, fames illum compulit redire ad Deum, & desistere peccata. Rex *Manasses* gravia peccata commiserat, carcer & vincula compulerunt illum, ut ageret poenitentiam.

Propterea quando *David* volebat agere gratias Deo pro tot beneficiis quæ ab illo acceperat, hoc præ cæteris *Psal. 118.* deprædicat: *Bonum mihi quia humiliasti me*, non agit gratias quod pedum scepro, pileum corona commutarit, quod ab ovili in solium, à caula ad aulam vocarit, sed quod illum humiliaverit per tot tantæque tribulationes, jam amittendo primogenitum suum *Amnon*, jam fugiendo rebellem suum filium *Absalon*, jam suscitando contra illum *Saulem*, optimosque amicos suos: Hoc revera mihi bonum fuit: Dixerit *Ioseph Pharaoni*, bonum mihi quia exaltasti me: Dixerit *Salomon* Deo, bonum mihi, quia ditasti me: Dixerit *Esther Assæro*, bonum mihi quia coronasti me: Dixerit *Mardocheus* Regi, bonum mihi quia honorasti me: Dixerit *Tobias* Angelo, bonum mihi quia restituiti visum meum: Dixerit *Nieman* leprosus *Elizæo*, bonum mihi quia mundasti me: Dixerit *Lazarus Christo*, bonum mihi quia resuscitasti me: Dixerit claudus *Petro*, bonum mihi quia sanasti me: *David* inter summa beneficia hoc summum reputat, *bonum mihi Domine, quia humiliasti me*: Quare hoc quia priusquam humiliarer, inquit, ego deliqui, & per humiliationem istam, per tribulationes, & persecutiones, conversus sum à peccatis, agnovi culpam meam, clamavi, peccavi Domino, & redii ad Deum quem prius reliqueram, & dies noctesque rigavi lacrymis stratum meum ut agerem poenitentiam. Hoc est quod *Ioseph* volebat obtinere à fratribus, ideo illos, ut inquit *Augustinus*, tam durè tractabat, & hoc medio obtinuit *Ioseph* quod voluit, agnoverunt enim peccatum suum, ut mox videbimus.

## DISCURSUS XVIII.

*Liberantur fratres Ioseph è carcere, & agnoscunt peccatum suum.*

**C**Um jam tres dies fuissent in carcere, educti sunt, inquit Scriptura, & ducti ad Ioseph, qui ait illis: *Facite quæ dixi, & vivetis; Deum enim timeo: Si pacifici estis, frater vester unus ligetur in carcere; vos autem abite, & ferte frumenta quæ emistis, in domos vestras, & fratrem vestrum minimum ad me adducite, ut possim vestros probare sermones, & non moriamini.*

Hactenus nullum in illis reflexeram sensum, saltem nullo signo exteriori illum ostenderant, jam audio illos dicentes ad invicem: *Merito hæc patimur; acerrimè objugati fuerant à Iosepho, accusati gravissimi criminis, detrusi fuerant in carcerem, vincti illic perduraverunt dies solidos tres, inde iterum ad quæstionem evocati à Iosepho: Nec tamen tot confecti ærumnis videntur se miseros reputasse, nec peccatum confessi sunt. Jam se miseros conqueruntur cum miseriis & vinculis eximuntur, dicunt enim: Merito hæc patimur: Datur illis frumentum, permittuntur redire ad patrem, quid hic miseria, ut jam primum se miseros putent? dicam quod sentio: Audiverant Iosephum dicentem: *Frater vester unus ligetur in carcere, vos autem abite,* hoc illos cruciat quod separentur: Nunc perimus, inquit, quando dividimur: Vincula pertulimus, sed omnes simul, frumenta nunc quidem redduntur, sed frater eripitur, malumus frumento carere quam fratre, igitur aut omnes redeamus aut nullus, quoties enim vel pedem movebimus, recurret nobis vinctus frater. O mirabilem fratrum amorem atque concordiam, fedoram, ut ait Poëta: *Fratrum quoque gratia rara est.* Quoties hoc videre licuit præsertim quando venit ad dividenda patrimonia? quæ iurgia, quæ discordiæ, quæ aversiones, quæ lites? adeo ut rectè dixerit D. Petrus Chrysologus *serm. 161.* Hæreditas mundana, inquit, prius posteris infert iurgia quam confert censum: Antequam dividat facultates, scindet hæredes, antequam debitas tradit singulis portiones, successores ipsos dissecat, & mittit in partes; proinde non ad hereditas illa, sed pugna.*

Propterea cum quidam veniret ad Christum *Luca cap. 12.* eique diceret:

Concordia fratrum.

ceter: *Magister dic fratri meo ut dividat mecum hereditatem;* respondit  
*Christus: Homo, quis me constituit iudicem aut divisorem super vos?* non  
 rogaverat *Christum* ut divisor aut iudex foret hereditatis, sed petie-  
 rat tantum, ut fratri divisionem suaderet, *dic illi ut dividat.* Ergone  
 hortari ad divisionem, divisorem facit hereditatis? Ita plane, nam  
 qui consilium suggerit ut dividat, rectè & merito appellatur divi-  
 sor, adeoque si *Christus* isti rei se immiscuisset, fratremque ad divi-  
 sionem hortatus fuisset, non solum factus fuisset divisor heredita-  
 tis, sed etiam iudex; raro enim divisorem exposcimus, quin iudice  
 egeamus: Vix enim inter dividendam hereditatem lites deesse pos-  
 sunt, hinc divisionem passim sequitur tribunal. Ista divisio, inquit  
*Petrus Chrysologus*, germanos dividit, amicitiam solvit, excludit affe-  
 ctum hinc verum est illud *Poëtæ: Fratrum quoque gratia rara est.* Prop-  
 terea tanto majori admiratione digni erant fratres *Iosephi*, quod  
 cum redderentur illis frumenta inter se dividenda, ne verbo qui-  
 dem inter se dissentirent, multo minus iurgarentur, sed summa  
 concordia omnia peragerentur. Hoc est esse fratres, inter se esse  
 concordēs.

Neque tamen hoc sufficit, opus etiam est ut se mutuo adjuvent,  
 & mutua commoda promovere studeant, & non patiantur ut vel  
 uni vel alteri quidquam mali aut damni obveniat, aut si quid ob-  
 venerit conentur adferre remedium: Sic erant fratres *Iosephi*, quan-  
 do enim audiverant, unum ex se conjiciendum in vincula, alios  
 omnes dimittendos in patriam, maluissent omnes potius remanere  
 in *Aegypto*, quam redire ad patrem, ut afflictum fratrem solarentur,  
 & inclusum carceri adjuvarent. Hoc est vere fratres esse: Sed & hæc  
 fratrum quoque gratia rara est: Quando enim incipiunt inter se dis-  
 fidere, nihil gravius, inquit *Vatablus* illorum simultatibus atque dis-  
 fidis, & tam sunt irreconciliabiles, ut non tantum se mutuo dese-  
 rant in summa necessitate aut luctu, sed etiam opprimant: Unde  
 hæc tanta acerbitas? quia sicut quo fortius vinum, eo fortius inde a-  
 cetum, si quo fortior amor, si lædatur, tanto vehementius odium.  
 Hinc fratrum contentiones, inquit *Aristoteles lib. 7. Polit. cap. 7.* & iræ  
 acerbissimæ sunt, qui enim nimium amant, si amor læditur, nimium  
 oderunt. Indigna res, quos natura conjunxit, quos idem uterus ge-  
 stavit, quos eadem ubera lactavère, qui sub eodem tecto, sub uno  
 patre, eademque matre educati sunt, tot vinculis astricti, sic posse  
 separari, ac diffidere ut numquam, aut sanè nisi maxima cum diffi-  
 cultate rursum possint uniri.

At frater, inquit Salomon *prov. cap. 18.* qui adjuvatur à fratre quasi civitas firma quæ verba sic exponunt; Interpretes: Fratres inter se uniti æquivalent multis civibus qui urbem aliquam defendunt quod enim in urbe facit multitudo civium, hoc in familia facit paucorum fratrum amor & unio.

2. Sicut urbs munita incolas tuetur contra omnes hostium incursus, sic & frater fratrem defendere debet ac protegere contra omnia adversa; quia sicut cives in urbe munita invicem se communiunt, ac communibus viribus urbem propugnant, ab eaq; hostem propellunt, sic fratres concordēs à se mutuo omne damnum propellere debent.

Neque hoc adhuc satis ut se mutuo juvent, deberent etiam parati esse pro se mutuo mori, sicut parati erant hoc facere fratres *Iosephi*. Cum enim *Ioseph* illis paulo ante dixisset; *Frater unus vester ligetur in carcere, vos autem abite*, quasi illis optionem dans ut eligerent quisnam esset in vinculis retinendus; atque dum ea fieret electio, abcessit è cubiculo ut tanto liberius inter se conferrent: Verum reversus invenit electionem nondum factam, neque apparentiam esse ut facerent, unde verosimile fit quod quisque, ne alium nominaret, se carceri vinculisque obtulerit. *Ioseph* ergo hoc videns, cum non omnes sed unum tantum vellet retinere, ipsemet unum elegit ex omnibus, scilicet *Simeonem*. Designatus fuit *Simeon* à *Ioseph*, inquit *Abulensis*, quia non videbatur fraterno amori convenire ut ipsi de se ipsis unum magis quam alium vinculandum eligerent, itaque quilibet eorum se pro aliis offerebat, etiam cum periculo mortis, audiverant enim *Iosephum* dicentem: *Adducite fratrem vestrum minimum ut non moriamini*: Itaque ne *Simeon* retinendus in carcere, se absentibus morti addiceretur, malebant potius omnes manere, vel quisque in particulari, etiam cum periculo mortis.

Sed antequam ista electio fieret, omnes simul, ut supra diximus, fuerant coniecti in carcerem, postquam acerbissimis verbis tanquam exploratores fuerant excepti à *Ioseph*, quod ipse propterea fecerat ut per illos cruciatus eos perduceret ad agnitionem peccati quod contra illum commiserant, & obtinuit quod volebat, nam dixerunt ad invicem: *Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum, videntes angustias anima illius, dum deprecaretur nos, & non audivimus, idcirco venit super nos ista tribulatio. E quibus unus Ruben ait: Numquid non dixi vobis, nolite peccare in puerum? & non audistis me, in sanguis ejus exquiritur.*

Hic

Hic clarè jam vides quid tribulatio possit ad convertendos peccatores: Affliguntur hi fratres, & ecce statim agnoscunt se peccasse in fratrem, meritoque puniri: Afflictio aperuit oculos quos clauferat culpa: Jam enim videbant se justè puniri à Deo, quia peccaverant in fratrem, non tantum dicunt in genere *quia peccavimus*, sed in particulari, *quia peccavimus in fratrem nostrum*, quia illum projecimus in cisternam veterem dilacerandum à feris, quia illum vendidimus *Ismaelitis*, quia illum fecimus mancipium, quia tam immisericordes fuimus, ut noluerimus audire nos deprecantem, & tam miserabiliter flentem, propter hoc peccatum merito patimur ac punimur.

Adversitas ducit in notitiã peccati.

Quidquid patimur, inquit *Gregorius*, peccata nostra meruerunt: Nullus tam sanctus qui non peccet aliquando *septies enim in die*, inquit *Salomon*, *cadit justus*. Sive ergo justus sis, sive peccator, quodcumque Deus obvenire voluerit, inquit *Ludovicus Blosius Paradis. anima cap. 10.* omnia imputa tuis iniquitatibus.

Si magnus peccator es, & bonorum jacluram pateris, agnosce culpam & dic: Merito hoc patior, quia toties mala fide processi in meis negotiis, jam luo: Ingruit morbus qui te aliquot mensibus leto affigit: agnosce culpam, & dic: merito hæc patior, quia toties sanitate mea abusus sum ut excederem in cibo & potu: Jam luo. Hostes habes qui te persequuntur: agnosce culpam, & dic merito hæc patior, quia Persecutus sum pupillum & viduam. Jam luo. Filium habes, qui tibi mille faceffit difficultates, qui toties te offendit atque contristat: agnosce culpam, & dic: Merito hæc patior, quia ego ipse toties offendi, & contristavi parentes meos: jam luo. Amici te deserunt in necessitate, nec est qui te juvet aut consoletur: agnosce culpam, & dic: Merito hæc patior, quia toties nolui audire miserorum hominum planctus, nec aspicere pauperum lacrymas quando me deprecabantur. Jam luo. Amisisti litem: agnosce culpam, & dic: Merito hæc patior, quia malis artibus usus sum, corrumpti judices & advocatos ut illam lucrarer. Jam luo. Vapulas linguis hominum & spargunt de te etiam falsa: agnosce culpam, & dic: Merito hæc patior quia toties male & falsò locutus fui de viris religiosiis: jam luo. Jam debeo luere meas impudicitias, meos inhonestos sermones, meam superbiam aliorumque contemptum, meam negligentiam in frequentandis Sacramentis præsertim confessionis ac communionis: Quidquid enim patimur, peccata nostra meruerunt.

Quod si graviorum peccatorum reus non es, imputa tamen quidquid tibi obvenerit, peccatis minoribus, juxta consilium *Blessi Abbatis*.

Denique si calamitates publicæ ingruant, fames, bella, morbi, omnes clamare debemus cum  *Davide Psal. 118. Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum, merito hæc patimur quia peccavimus.*

Hæc cum inter se dicerent fratres *Iosephi, nesciebant*, inquit *Scriptura, quod intelligeret Ioseph, eo quod per interpretem loquebatur ad eos, avertitque se parumper & flevit.* Discesserat jam interpret, arbitratique se à *Ioseph* non intelligi, securius inter se differentes, suam calamitatem, & causam illius lamentari potuerunt. *Ioseph* interea ita sese gerebat quasi linguam *Hebraicam* non intelligeret: Audiens ergo sic illos loquentes, miseramque suam conditionem deplorantes, ita commotus est animo, ut lachrymas continere non posset, sed ne fratres hoc adverterent, avertit se, secessit ad latus, & flevit. Videns enim fratres suos, inquit *Iosephus* historicus, in tanta anxietate constitutos, dissimulare ultra non valens quod lachrymæ jam prorumperent, quas etiam tunc celari volebat, subduxit se de medio: Poterat voce celare se fratrem esse, sed oculis non poterat, illi enim per lachrymas solitum signum vulnerati amore cordis ediderunt. Flevit itaque ex compassione cum videret illos afflictos, & ex amore, quamvis enim illum, inter se discurrendo, memorem redderent injuriæ quam illi intulerant, non tamen illos oderat ut inimicos, sed amabat ut fratres. Ecce quid rependat pro injuria ab illis sibi illata; noluerant illi videre angustias animæ illius, nec lacrymas, nec preces audire cum illum projicerent in cisternam, & *Ioseph* non potest videre illorum angustias & lacrymas, quin fleat.

Ubi talem adhuc hominem inveniemus qui sic agat cum hostibus suis? qui amet sibi injuriosos? qui fleat cum flentibus ex compassione ærumnarum quas patiuntur, nisi ad culmen sanctitatis pervenerit. Fateor in hac parte etiam miraculum fuisse *Davidem*. Toties quæsitus ad necem à *Saul*, toties occasionem nactus illum occidendi, modo cum solus esset sine comite in spelunca, modo cum dormiret in suo tentorio, numquam tamen injuriarum meminerat; non semel flevit cum flente; quanto luctu persecutus est mortuum? quanta severitate usus est in militem qui illum occiderat? hæc omnia vera sunt, sed quem parem habebat *David* in sanctitate? & quamvis hanc unam solam virtutem

tem amoris ac compassionis erga hostem habuisset, hac una sufficiebat ad sanctitatem, juxta Christi doctrinam, qui ait: *Diligite inimicos vestros ut sicut filii patris vestri qui in caelis est.* Si filii Dei, ergo diligendo inimicos nostros simus sancti: Adeoque quamvis aliis egregiis virtutibus praeditus sis, si hac una careas, sanctus non es, nec filius Dei. Frustra oras si non ignoscis, orabat *Phariseus*, sed oderat *Publicanum*, ideo exiit templo reprobatus a Deo; frustra affers sacrificium ad altare, si habes aliquid adversus fratrem tuum, dicit enim *Christus*, relinque munus tuum ante altare, quia nihil agis nisi prius reconcilieris fratri tuo: Frustra confiteris peccata tua ut misericordiam consequaris, quia *judicium sine misericordia*, inquit *D. Iacobus cap. 2. qui non fecerit misericordiam.* Frustra petis a Deo veniam peccatorum, nam *nisi dimiseritis hominibus*, inquit *Christus Matth cap. 6. nec pater vester dimittet peccata vestra.* Frustra acceditis ad mensam Domini sumpturi corpus *Christi*, & quasi osculo *Christum* excepturi, nisi prius osculo pacis in animo tuo exceperis inimicum tuum. Frustra abstines a deliciis carnis. si non abstines a maledictis in hostem. Vide ut sine hac una virtute, caetera nihil valent? adeoque quod sine illa nullus possit esse sanctus, nec consequenter filius Dei?

Quid manifestius dici potest quam quod ait *Augustinus serm. 5. de S. Steph.* Qui vel unum inquit hominem in hoc mundo odio habet, quidquid Deo operibus bonis obtulerit, totum perdet, quia non mentitur *Paulus*, dicens: Si dedero omnes facultates meas, & corpus meum ut ardeam, Charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Sicuti autem tanto magis excelluerunt in sanctitate *David* & *Ioseph*, quia tam benevoli fuere erga hostes suos ante Evangelium (tunc enim *Christus* nondum de illo dederat aliquod praecipuum) sic tanto gravius peccant qui hostes suos oderant postquam *Christus* dixit: *Diligite inimicos vestros, orate pro persequentibus vos, benefacite his qui oderunt vos.* Crescit enim magnitudo peccati, ex gravitate praecipii. Tu odisti inimicum tuum quem debes diligere, tu persequeris illum pro quo te persequente debes orare, tu optas ut male illi sit cui benefacere debes, tu exultas in illius ruina cui debebas compati, tu aggravas luctum ipsius, cum deberes flere cum fiente. Vide ergo quam graviter pecces, & an non merearis ut Deus tibi non dimittat peccata tua, quandoquidem non dimittas hominibus quae peccarunt contra te.



## DISCVRSVS XIX.

*Accingunt se fratres Iosephi itineri, & revertuntur ad patrem.*

**I**Am Ioseph iusserat ministris suis, ut repleverent eorum saccos tritico, & reponerent pecunias singulorum in sacculis suis, datis supra cibariis in viam, & illi, relicto isthic Simeone in vinculis in obsidem, portantes frumenta in asinis suis, profecti sunt, & ex *Egypto* redierunt in terram *Chanaan* ad patrem suum *Jacob*.

Jam aliquantum viæ progressi, intrarunt diverforium, ut darent pabulum jumentis, inquit Scriptura, & ecce unus aperuit saccum suum, & invenit pecuniam in ore sacculi sui; aperiunt & reliqui omnes & singuli saccos suos, & invenerunt pariter pecuniam quam dederant pro emendo frumento. Obstupefacti, & nescientes quid hoc sibi vellet, dixerunt: *Quid est hoc quod fecit nobis Deus?* veritiquene forte ab *Egypto* Principe struerentur insidiæ, & aliquid coqueretur ut accularentur prodicionis, idcirco, inquit *Philo*, pœnè continuato cursu aliquot dierum iter absolverunt magno compendio, venientesque ad Patrem, inquit Scriptura, narraverunt ei omnia quæ accidissent sibi, dicentes: *Locutus est nobis Dominus terra dura, & putavit nos exploratores esse provincie.* Cui respondimus: *Pacifici sumus, nec ullas molimur insidias, duodecim fratres uno patre geniti sumus, unus non est super, minimus cum patre nostro est in terra Chanaan:* Qui ait: *Sic probabo quod pacifici estis, fratrem vestrum unum dimittite apud me, & cibaria domibus vestris necessaria sumite, & abite, fratremque vestrum minimum adducite ad me, ut sciam quod non sitis exploratores, & istum qui tenetur in vinculis recipere possitis, ac deinceps quæ vultis, emendi habeatis licentiam.*

His dictis cum frumenta effunderent, singuli repererunt in ore saccorum pecunias, exterritisque simul omnibus, dixit pater *Jacob*: *Absque liberis me esse fecistis: Ioseph non est super, Simeon tenetur in vinculis, Benjamin auferetis: In me hæc omnia mala reciderunt.* Cui respondit *Ruben*: *Domine filios meos interfice, si non reduxero illum tibi, trade illum in manu mea, & ego eum tibi restituum:* At ille: *Non descendet, inquit, filius meus vobiscum: Frater ejus mortuus est, & ipse solus remansit: si quid ei adversi acciderit in terra ad quam pergetis, deducetis canos meos cum dolore ad inferos.*

Jam hæc paulo minutius expendamus. 1. Dicunt Patri, quod *Ioseph* illis dixerat, ut habet textus *Hebraus*: *Requiescere facite mecum fratrem unum de vestris*, quasi dixisset: Non ero fratri vestro durus, bene tractabitur. Grande profecto mendacium! dixerat enim *Ioseph*: *Frater vester unus ligetur in carcere*, viderantque illum in sua præsentia ligari antequam abirent. Puto illos hoc ita dixisse, timentes ne si patri dicerent *Simeonem* jacere in carcere vinctum, gravissimo illum dolore afficerent. Fortasse etiam tunc imperita plebis opinio erat, eorumque mentibus inhæserat, quam hodie difficulter admodum dedocemus, licere scilicet mentiri in bonum proximi: Magnus error! est enim mendacium intrinsecè malum, adeoque nulla unquam circumstantia cohonestari potest, nec ulla ratione excusari quod non sit vitium. Ex se enim repugnat naturæ quæ nobis loquelam dedit, ut explicaremus cogitationes cordis nostri, qui secus facit, hoc est, qui mentitur, loquela abutitur contra institutum naturæ: Repugnat etiam Deo, quia nihil illi tam proprium quam veritas. Unde recte inquit *Augustinus*: Non licet mentiri pro ullius boni causa, nec pro ullius salute æterna, nec pro toto mundo: Si enim hoc unquam liceret, patet ex Scriptura quot inde mala consequerentur, nam ut rectè ait quidam celeberrimus scriptor: Vix inveniis ullum scelus quod non erumpat in lucem per mendacium.

malitia  
mendacii.

Ac primum quidem, unde tot scelera profluxere in mundum peccante *Adamo* & *Eva* ex uno mendacio, quando scilicet diabolus illis dicebat: *Nequaquam moriemini*: Hic primus fons omnium malorum.

2. Violaverat *Dinam* filiam *Jacob* Princeps *Sichem*, & post factum postulabat illam in uxorem à Patre & fratribus, qui dixerunt, per nos licet, sed non possumus dare sororem nostram homini incircumciso, si autem circumcidatur unusquisque vestrum, accipiemus mutuo filias vestras ac nostras, & habitabimus vobiscum, erimusque unus populus. In hoc mentiebantur, ut tegerent scelus quod habebant præ manibus: Cum enim omnes *Sichimitæ* permisissent se circumcidi, duo filii *Jacob*, *Levi* & *Simeon*, tertio die, quando gravissimus vulnerum dolor est, urbem intrarunt armati, & occiderunt omnes masculos cum Principe *Sichem*, & ejus patre.

3. *Abfalon* volebat occidere fratrem suum *Amnonem*: Quid fecit ut tantum scelus perpetraret? adivit patrem suum *Davidem*, rogavitque

Q

que cum ut permitteret secum abire *Amnonem*, tendentur enim, in-  
 quiebat, oves meæ, & volo illum, uti moris est tali die, excipere  
 convivio: Mentiebatur, non enim hoc volebat, sed fratrem interfici-  
 cere, quod & fecit.

4. A quo illud enorme scelus *Amnonis*, ut propriam suam foro-  
 rem vi opprimeret? ex mendacio, dicebat enim se ægrotare, cum-  
 que soror ejus tanquam ægro sorbitiunculas quas fecerat, illi adfer-  
 ret, vi illam violavit.

5. Quid potuit innocentissimam *Susannam* condemnare ad mor-  
 tem? mendacium duorum Senum, qui dicebant se illam vidisse  
 peccantem cum juvene, propterea utriusque hoc exprobravit *Daniel*  
 dicens: *Mentitus es.*

Denique, unde inchoarunt scribæ totam illam tragædiam con-  
 tra *Christum* Dominum? à mendacibus testibus: Ecce quot scelera ex  
 mendacio: Numquid ergo merito dixit *Salomon Proverb. cap. 12. Ab-  
 minatio Domino labia mendacia?*

Unde non est mirum, quod angelus *Saram* *Abrahami* uxorem gra-  
 viter reprehenderit propter mendacium non admodum grave.

Invitarat hunc angelum sub specie hominis *Abrahamus* ad men-  
 sam, cumque simul accumberent, dixit ei Angelus: *Vbi est Sara uxor  
 tua?* respondit ei *Abraham*: *Ecce in tabernaculo est:* Audi *Abraham*, inquit  
 Angelus: *Revertar ad te hoc eodem tempore, & habebit Sara filium.* Quæ  
 audito, inquit Scriptura, *Sara risit post ostium tabernaculi.* Quare risu *Sa-  
 ra?* inquiebat angelus: *Negavit Sara, dicens, non risi, timore perterrita:*  
 Mendacium, ut videtur, parvi momenti, quo nullus quidquam  
 damni patiebatur: Nihilominus tamen, Angelus vultu ad severi-  
 tatem composito: *Non est, inquit, ita, sed risisti:* Vide quam odiosum  
 angelis sit mendacium etiam leve. Hic enim Angelus qui *Saram*  
 nec salutaverat cum exciperetur, nec cum epularetur, ei gratias e-  
 gerat, mentientem corripit, & quidem absque ullis officiorum  
 blanditiis, dicens: *Non est ita:* Nec contentus exprobrasse men-  
 dacium, confestim, non salutata *Sarâ*, discessit, ostendens sibi nihil  
 magis displicere posse quam mendacium in domo Patriarchæ,  
 quandoquidem *Saram*, quæ mentita fuerat, non sine stomacho,  
 fugerit.

Ergone, quæret aliquis, in nullo casu licet mentiri? respondeo, in  
 nullo: Quid si gubernator aliquis urbem obsessam mendacio li-  
 berare possit, fingens quod post triduum suppitiæ sint adfuturæ?

non

non licet. Quid si mendacio innocentem morte quis eripere possit? non licet: Quid si servus aliquis vel ancilla, aliquid fingat ut evadat iram & objurgationes Domini vel dominæ suæ? non licet. Quid si aliquid fingas ne ægrum contristes? non licet. Quid si aliquis propola, ut putat, merces suas non possit divendere, nisi mentiatur. Non licet. Quid si aliquis mentiando ingentem pecuniæ vim lucrari possit? non licet. Quid si aliquis vereatur excidere gratia principis, & amittere suum officium, nisi mentiatur? Non licet, numquam licet, nec propter commodum alienum, nec proprium.

Clare patet ex scripturis, inquit *Augustinus lib. 14. de mend. cap. 21.* numquam esse omnino mentiendum, non enim cuiusquam commoditas, aut salus temporalis præferenda est sinceritati. Quid dicemus de illis qui fausta nova fingunt & spargunt ut civitatem exhiberent? nullo modo licet. Hoc ipsi ethnici detestati sunt; cum enim *Straocles*, ut narrat *Fulgosus lib. 4. cap. 18.* cum suis cæsus esset, & tamen quasi victor urbem *Atheniensem* intraret, faustum victoriae nuntium sparsit. Sed biduo post advenit nuntius cladis. Hoc mendacio populus concitatus in *Straoclem* vehementer exarsit: At ille quidem aiebat, quid vobis, *viri Athenienses*, mali attuli? hoc saltem meo mendacio effeci ut per duos dies gauderetis. Nihil refert, non licebat.

Scio hæc quidem passim non magni fieri, propterea tamen non desunt esse peccata, sicuti propterea non desinebant filii *Jacob* peccare quando mentiebantur, ne patrem suum contristarent. Illud enim *Augustini* dictum: Pro toto mundo non licet mentiri, semper & ubique manet verum.

Postquam *Jacob* omnia intellexisset quæ sibi narraverant de *Egypto* filii sui, incepit miserabiliter lamentari, præsertim quia *Simeon* detentus erat in *Egypto*, & *Benjaminum* eo vellent deducere: Vos, inquit estis in causa quod privatus debeam vivere meis liberis. Hanc lamentationem sic exprimit *Philo Iudæus*: Quem primum deplorabo? an *Simonem* quem numquam amplius fortasse in vita videbo? an *Benjaminum* quem mihi vultis eripere, natu minimum & charissimum filium? in me omnia mala reciderunt, quasi me membratum discerpitis, quia liberi parentum sunt membra.

Sed cum *Ruben* primogenitus illum vellet consolari, duos filios suos illi obtulit, ut si intelligeret aliquid mali vel in via, vel in *Egypto*,

*gypto*, Benjaminò evenisse, illos occideret. Irrationabilis plane, & plena passione hæc erat oblatio: Quomodo enim Avus nepotes suos potuisset occidere? Et si licuisset, non hoc mitigasset ejus dolorem, sed auxisset: *Ruben* ergo hæc propositione nihil aliud voluit significare, opus non fore ut illos occideret, certo enim certius se *Benjaminum* salvum & incolumem reducturum ad patrem,

Perstitit nihilominus pater in sua sententia, dixitque: *Non descendet filius meus vobiscum*, non possum illo carere, ipse est enim solatium senectutis meæ, & quando illum tam longo tempore debere carere, morerer præ dolore. O quantum gaudium parentibus filius probus, pius, & morigerus!

Interea crescebat fames in dies in terra *Chanaan*, jamque consumpti erant cibi quos filii *Jacob* detulerant ex *Ægypto*, dixit ergo ad eos, inquit Scriptura, *Revertimini, & emite nobis paucillum esearum.*

Respondit *Iudas*: Denuntiavit nobis vir ille sub attestazione jurisjurandi, dicens: *Non videbitis faciem meam nisi fratrem vestrum minimum adduxeritis vobiscum: Si ergo vis eum mittere nobiscum, pergemus pariter, & ememus tibi necessaria. Sin autem non vis, non ibimus, vir enim, ut sepe diximus, denuntiavit nobis, dicens: Non videbitis faciem meam absque fratre vestro minimo.*

Dixit eis *Israel*: *In meam hoc fecistis miseriam, ut indicaretis ei, alium habere vos fratrem.*

At illi responderunt: Interrogavit nos homo per ordinem nostram progeniem, si pater viveret, si haberemus fratrem: Et nos respondimus consequenter juxta id quod fuerat sciscitatus: Numquid scire poteramus quod diciturus esset: adducite fratrem vestrum vobiscum?

*Iudas* quoque dixit patri suo: *Mitte puerum mecum, ut proficiamus, & possimus vivere, ne moriamur nos, & parvuli nostri. Ego suscipio puerum, de manu mea require illum, nisi reduxero, & reddidero eum tibi, ero peccati reus in te omni tempore. Si non intercessisset dilatio, jam vice altera venissemus.*

Igitur *Israel* pater eorum dixit ad eos: *Si sic necesse est, facite quod vultis. Sumite de optimis terra fructibus in vasis vestris, & de ferte viro mœnœra, modicum resinae, & mellis, & storacis, & stactes, jerebimbi, & amygdalarum. Pecuniam quoque duplicem ferte vobiscum, & illam quam invenistis in sacculis reportate, ne forte errore factum sit. Sed & fratrem tollite, & ate ad virum: Deus autem meus omnipotens faciat vobis eum placabilem*

& remittat vobiscum fratrem vestrum quem tenet, & hunc Benjamin: Ego autem quasi orbatus absque liberis ero.

DISCVRSVS XX:

Fratres Ioseph rursus abeunt in Ægyptum, & Benjamin secum ducunt.

Tulerunt ergo, inquit Scriptura, munera, & pecuniam duplicem, & Benjamin, descenderuntque in Ægyptum, & steterunt coram Ioseph.

Mirarer si Ioseph illos non benignè exciperet, quia deferunt munera. Erat quidem Ioseph vir sanctus, verum tamen est quod ait Poëta: *Munera, crede mihi, placant hominesque Deosque.* Nescio an aliquid potentius sit inter homines ad expugnandos illorum animos quam illa verba quæ dicebat diabolus Christo Matth. cap. 4. *Tibi dabo: Vexerat illum in montem excelsum, & ostendebat illi omnia regna mundi, & dicebat: Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me, Christus quidem verbis illis ac promissis non est seductus, quia & Deus erat, & jam omnia terrena sua paupertate contempserat, & diabolus plura promiserat quam poterat dare.*

Acceptio munerū.

At quando inter homines audiuntur hæc verba: *Tibi dabo*, quando agitur de muneribus dandis, fortem esse oportet ut Christum, eximiumque rerum omnium temporalium contemptorem qui non vincitur: Illud enim *tibi dabo*, violavit quidquid humanum est ac divinum.

In primis Philippus Rex Macedonum Apollinem Deum consuluit quibus armis vel arte totam Græciam subjugaret, arces expugnaret, fortissimas gentes potestati suæ subjiceret? Respondit Apollo: *Pugna hastis argentatis, at que omnia vinctes.* Sic factum, nam, ut ait Plutarchus, totam Græciam sibi subjecit argento & auro, præsertim magna munera conferendo cuidam *Lastheni*, qui diversas illi urbes proditione vendebat.

2. Reges Persarum Græcos Asia expulerunt, non alio medio quam *Tibi dabo*, auro enim corruperunt eorum duces *Lysandrum* & *Agefilau*.

Nulla, inquit *Philippus Macedo*, rupes tam ardua & inaccessa quæ expugnari non possit si tantum una angusta semita pateat qua alius auro onustus possit incedere.

Q 3 Hac

Hac etiam arte intima regum aularumque secreta penetrantur, non alio opus est quam dicere secretariis vel cubiculariis, *tibi dabo*. Narrat *Scribanius lib. 1. Polit. cap. 126* fuisse aliquem è regibus *Europæis*, qui supra quadraginta millia aureorum per legatum suum uni ex scriptoribus regis obtulerit, ut consilium Domini aperiret. Sic narrat etiam *Famianns Strada, Margaretam* Belgii Gubernatricem graviter conquestam apud Regem *Hispanie*, quod omnia quæ ipsa illi secreto scribebat, detegerentur, & scirentur in *Belgio*. Unde hoc factus tunc est Princeps quidam *Belgæ*, istam scientiam magna pecuniæ vi sibi comparasse: Super quo tandem *Strada* exclamat, Ecquid usquam inaccessum pecuniæ, imperviumque fuerit, quando prudentis adeo circumspectique Regis Hispani aula, à privatis hominibus emi potuit?

Parum est humana subverti muneribus, etiam sacra violantur: etiam pudicitia non est extra periculum quando audit, *tibi dabo: Omnia*, inquit *Ovidius, vincit amor sed amorem munera vincunt*.

Quidam concionator hoc nomen *Cupido*, sic appellari dixit, quasi à *Cupis? do*: Hoc est fortissimum telum amantium: Si puella oculos in anulum quem procus gestat in digito, conjecerit, eumque laudaverit, ac dixerit: O quam insignis ille annulus! quam admirabilis gemma! statim ille, si cupis, do. Si in nundinis se tales in aurea conspexisse commemoret, ille mox, si cupis do. Si in sinum Virginitis gemmas aliosque pretiosos lapillos conicere incipiat: Si quid illa cupit, det, jam fortissimo illam cupidinis telo fauciat. Verum quidem est illud: Nulla femina accipit dona, sed & verum est illud Poëtæ *Propertii lib. 2. Elegiâ 16. muneribus quisvis mercatur micam*.

Placet mihi conceptus cujusdam quem sibi formavit ad illam parabolam quam narrat *Christus Luca cap. 11. de illo ad quem nocte venerat amicus quidam petiturus tres panes mutuos. Concesserat ille cubitum, & deintus clamabat: Non possum surgere & dare tibi: quia ostium clausum est; an ergo ostium referari debebat ut tres dumtaxat panes domo efferrentur? numquid facile porrigi poterant per fenestram? non, inquit, nolo clandestina munera domo emittere, nec admittere, per ostium exeat, perque ostium ingrediatur, quidquid domo effertur vel infertur domum. Vellem, inquit prædictus Scriptor, hoc curarent Patres familias, tunc munusculis nec aliena expugnaretur, nec exploraretur domestica pudicitia.*

Quid

Quid dicam de iis qui loco Dei sedent in judiciis ad ferendam sententiam, dirimendas lites &c. ad hos loquitur *Iob cap. 36. Multitudo donorum*, inquit, *non incliniet te*: Quicumque contrarium faciunt, & acceperunt munera, inquit *Samuel 1. Reg. cap. 8. perverterunt iudicium*.

Contingit quandoque, inquit *Scribanus lib. 1. Polit. cap. 9.* ut uxoris nocturnæ preces auro gravidæ, ferrea virorum pectora emolliant, quid auxiliariis hisce copiis non efficiet? manifeste patebit nihil esse potentius auro.

Cæca quidem iustitia pingitur, quia non potest apud illam esse acceptio personarum, sic debet esse & iudex, verum si muneribus corrumpatur totus fit oculatus, ut oculos in hunc unum conijciat à quo munera accepit, cæteris claudat, cæcus pro uno, oculatus pro altero, hoc est iustitiam violare quæ tota debet esse cæca ut nullum aspiciat. Propterea puto *Ecclasticum cap. 20. dicere: Domus excacant oculos iudicium*, non quod plane cæci sint, & nihil videant, sed quod cæci sint pro una parte, & acutè videntes pro altera.

Occurrit hic exemplum magni illius ac celeberrimi *Brabantia Cancellarii Peckii* qui facto suo ostendit quid deceat Iudices. Habebant *Laniones Mechlinienses* litem dirimendam in Concilio, miserunt in donum *Peckio* pinguem bovem, *Peckius* è concilio rediit videt illum ad postes domus alligatum, quærit ex servis quid hoc rei sit, nesciunt, donec hoc intelligit ex uxore, submissum scilicet bovem à *Mechliniensibus* in donum; nec mora *Peckius* funem incidere, & bovem abigi jubet, cumque nullus Dominus reperiretur bos per diem palabundus, tandem à *Cerdone* mactatus & servatus est. Hic erat iudex qualem divinæ ac politicæ leges requirunt, utraq; sub gravi pœna.

*Pergamus* in historia. Cum Scriptura dixisset quod fratres *Ioseph* venientes in *Egyptum*, illum adierint, non dicit quod illos tunc fuerit allocutus, hoc enim tantum ait, quod illos viderit, & *Benjamin* simul, & mox vocaverit ad se dispensatorem domus suæ, eique dixerit: *Introduc viros domum, hinc patet quod illos viderit in aperto aëre vel area domus, occide victimas, & instrue convivium, quoniam mecum sunt comesturi in meridie. Fecit ille quod sibi fuerat imperatum, & introduxit viros domum.*

Cum pergerent, exterriti, inquit Scriptura, dixerunt mutuo. Prop-



ter pecuniam quam retulimus prius in saccis nostris introducti sumus ut devolvat in nos calumniam, & violenter subiciat servituti nos & asinos nostros.

Quamobrem in ipsis foribus accedentes ad dispensatorem domus, dixerunt: Oramus, Domine, ut audias nos. Iam ante descendimus ut emeremus escas, quibus emptis cum venissemus ad diversorium, aperimus saccos nostros, & invenimus pecuniam in ore saccorum, quam nunc eodem pondere reportamus. Sed & aliud attulimus argentum ut emamus quae nobis necessaria sunt, non est in nostra conscientia quis posuerit eam in marsupiiis nostris.

Remotus  
conscien-  
tia.

Primo hic dicit Scriptura quod fuerint *exterriti*: Non video quare, dispensator enim valde humaniter illos deducebat in domum, Ioseph similiter satis benignè illos exceperat, nullum illis verbum locutus fuerat, ex quo possent videre illum esse iratum, quoad pecuniam quam secum abstulerant, sciebant se esse innocentes, nullamque culpam habere, & se insciis positam fuisse in saccis pecuniam: Quid ergo hic erat timendum? timebant quia conscientia illis ponebat ob oculos crimen quod olim commiserant in fratrem: Ideo omnia illis erant adeo suspecta, ut ad omnia timerent se castigandos. Tales sunt peccatorum conscientiae, ut etiam timeant ubi non est periculum, & etiam turbentur in prosperis, quando alicujus gravioris criminis rei sunt, bona suspicantur mala, & quae alios oblectant, illos terrent.

Primus homo, cum esset justus, nesciebat quid esset timere, quid motus perturbatae conscientiae; factus est peccator, & statim quid hoc esset, non tantum didicit, sed etiam expertus est: Cum enim Deus post meridiem, sereno aere, per ambulando paradysum intraret clamavit: *Adam ubi es?* respondit *Adam: vocem tuam audivi in paradiso, & timui, & abscondi me.* *Adam*, quid hic timendum? non venit Deus armatus fulmine, nec ipse ruet instar fulminis, sed venit suaviter ambulando: Non venit inter turbines, vel horrenda tonitrua, sed aere plane sereno: Non venit media nocte inter densissimas tenebras, quae solent homini horrorem incutere, sed venit medio die; Non clamat, non vociferatur horribili voce, sed paternam, non loquitur ut iudex de sententia contra te ferenda, hoc unum petit: *Adam ubi es?* quid ergo timuisti? *timui*, inquit, *quia nudus eram.* Falleris, *Adam*, falleris, non ibi res haeret, non timuisti quia nudus eras, sed quia peccator eras, & quia conscientia te accusabat, redarguebat.

hat, increpabat. Hoc est quod *Chrysoſtomus* ait *Hom. 17. in Gen.* Quare, inquit, timuit *Adam* ? quia videbat sibi trucem ad stare accusatorem, conscientiam dico, neque enim alium objurgatorem habebat, & testem peccati, quam unicum illum quem intrinsecus circumferebat.

Vidit hoc etiam *Seneca* Philosophus, quamvis Ethnicus: Sic enim ait *Epist. 97.* Hæc est secunda pœna peccati, timere semper, & expavescere, & securitati diffidere. Potest nocenti contingere ut lateat, sed etiam si latendi facultatem habeat, fiduciam non habet, tuta possunt esse scelera, secunda non possunt.

Talis est, inquit rursus *Chrysoſtomus Hom. 8. ad Popul.* peccantium consuetudo, omnia suspecta habent, umbras timent, & quemque existimant contra se venire, aliis alia differentibus, sibi ipsis conscii, cogitant de se illos fermocinari. Talis res est peccatum, nullo accusante condemnat, pavidum facit, & timidum peccatorem. Potestne aliquid ad hoc probandum, manifestius adferri quam exemplum *Aegyptiorum.*

Audi quid dicat Scriptura *Sapient. cap. 17.* Deficiebant, inquit, præ timore si tantum levem aliquem ventum sibilantem audirent inter spissos arborum ramos, vel suavem volucrum cantum, vel vim aquæ decurrentium nivium, vel sonitum præcipitum petrarum, vel vocem mugientium bestiarum, vel resonantem de altissimis montibus Echo. Quis timet ad sonitum saxi cadentis, ad mugitum bovis, ad lene murmur aquæ, ad sibilos *Zephyri*, ad volucrum suaves cantus, ad Echo respondentem voci humanæ? Hæc omnia, quæ alios recrearent, terrebant *Aegyptios*, quia gravissimorum peccatorum quæ commiserant, reddebat illos conscientia memores.

Innumera talia vidit orbis variis singillatim peccatoribus contingisse, quæ omnia simul contingebant *Aegyptiis.*

*Bessus*, ut narrat *Plutarchus de sera numin. vind.* Patrem occiderat, diu scelus latuerat, sed quodam die vocatus ad cœnam, nidum hirundinum hasta dejecit, rogatus à præsentibus cur id faceret? non auditis, inquit, hæc hirundines falsa de me vociferari, & testari me esse patris interfectorem? res defertur ad Regem, capitur *Bessus*, & sceleris convictus condemnatur ad mortem. Viden? hunc hominem avium cantus terrebat.

*Astemon* homo improbissimus, ut *Causinus* narrat *in symb.* Semper lectica vehebatur, & domi confidens, duos famulos scutum supra

R

caput

caput suum gestare jubebat, ne quod saxum, vel aliud decidens ex alto illum feriret. Ecce vel phantasia sola decidentis saxi timorem illi incutiebat. Sed nescio an aliquid vel horribilius, vel mirabilius uspiam legerim quam quod breviter modo narrabo ex *Iacobo Lobetio de flagell. peccator*. Juvenis, inquit, quidam *Germanus*, cum unicam heri, cui serviebat, filiam, propter inopiam suam, in uxorem obtinere non posset, crudele facinus aggressus est. Primò herum suum mercatorem admodum divitem obtruncat, & spoliat, tum quasi hæreditate dotatus, acceptaque à suis ingenti summâ pecuniæ, jam locupletior factus, iterum iterumque filiæ matrimonium efflagitavit & impetravit. Jam votis potitus, & se ipse, & mores suos, & familiam honestè componens, adeo probam honesti hominis famam tota urbe collegit, ut demum etiam inter Senatores urbis adlegeretur. Quis hunc de fortunis, de vita, securum non crederet? Sed tutus esse non potest, quem conscientia tutum non facit: Ergo intus dirissimis cruciatibus quotidie lancinatus quiescere non poterat: Videbatur sibi occlamantem conscientiam audire, occidisti, occidisti. Quæ voces ita lacerabant hominis animum, ut mori mallet, quam tam miserè vivere. Quodam ergo die cum vocaretur in senatum, ut de prædonis alicujus capite sententiam ferret, uxorem rogat, ut jentaculum sibi pareret, non enim sibi admodum bene esse, apposuit illa, quo sciebat maritum libenter vesci, caput vituli: Mirum dictu visaque, exhorruit, expalluit infelix homo ad hujus ferculi conspectum, & ad uxorem: Aufer hoc, inquit, aufer caput istud humanum: recordatio enim obtruncati Domini sui, ex vitulini capitis conspectu illum ita turbabat, ut videretur sibi videre caput humanum. Inde statim egressus ad Senatum, cum sententiam in ordine rogaretur, respondit prædonem illum de cujus sceleribus agebatur, capitis quidem reum esse, se vero eodem, imo majori supplicio puniendum: Ut dictis fidem faceret, incipit multis patratum olim à se facinus exponere, impensèque rogare ut se ad mortem damnent. Sed cum fidem nemo dictis haberet, itum est ad ipsius domum, & erutâ terrâ, inventa sunt occisi mercatoris ossa, atque ita simul cum altero capite mulctatus est, lætus quod isto supplicio finem inveniret cruciantis conscientiæ. Rectè exclamat *Bernardus serm. 4. de Assumpt.* Inter omnes tribulationes hujus orbis, nulla est major tribulatio conscientia delictorum, quæ etiam inter maxima gaudia, hominem cruciat, & omnia timet, etiam ubi nihil

nihil timendum, uti jam vidimus contigisse fratribus *Ioseph*. Dicit enim Scriptura illos fuisse exterritos cum ducerentur à dispensatore in domum, ubi omnia illis feliciter succedebant, sed conscientia commissi in *Iosephum* peccati illos terrebat.

Jam considerandæ sunt egregiæ hujus dispensatoris virtutes. Sic enim illos timore correptos, allocutus est: *Pax vobis, nolite timere*: Ecce affictos consolatur, timidos recreat. *Deus vester, & Deus patris vestri dedit vobis thesauros in saccis vestris*: Ecce ad spem illos excitat ut confidant in Deo: *Nam pecunia quam dedistis mihi ego habeo*, sive ut habet textus *Hebræus*: *Pecunia vestra venit ad me*: hoc est, ego illam me accepisse fateor, & licet eandem occultè vobis reddiderim, ego sic æstimo quasi eam haberem. Ecce non accusat illos quasi illam rapuerint, nec eam sibi asciscit, nec litem miseris intendit, ut de illorum pecuniis ipse ditescat. Nec pecuniæ avidus dolos fruit, aut vim ullam adhibet, sed agit cum omni humanitate, sinceritate, ac mansuetudine.

Dignus profecto tali prorege Minister, tam sancto hero fidelis, sanctusque servus, signum est quod benè fuerit à *Iosepho* instructus, ejusque virtutes imbiberit, præterea quod tam liberaliter ab Hero sustentaretur, ut nec herili pecuniâ furtim sublatâ, nec alienæ substantiæ lucris ad vitam sustentandam indigeret.

Mira sunt quæ hic audimus & videmus, non enim talia passim videmus fieri in tali hominum genere qualis erat hic dispensator, scilicet aulicus, in dignitate constitutus, & tanti proregis minister.

Primo, consolabatur miseros & affictos, timidos recreabat, & omni benignitate excipiebat, hoc mirum, quia honores, dignitates, ac splendida munia ita solent hominis animum insolentem facere ut paucos invenias, qui non impotentius agant, aut non loquantur asperius, vel miseros nolint audire, ac rejiciant.

Magnus erat ille dives qui quotidie vestiebatur purpurâ, & splendide epulabatur, tantum abest ut miserrimum *Lazarum* consolaretur, ut ne quidem oculo, multo minus verbo, dignaretur eum aspicere.

Quis unquam crederet Deum (si fas est sic loqui) ita posse tristari ut quasi ex intimo cordis ingemisceret. Lego tamen hoc illum fecisse tempore *Isaiæ*; hic enim Propheta *cap. i.* dicit se audivisse lamentantem Deum, dicentemque: *Hæc consolabor super hostibus meis.*

Negli-  
guntur  
causa vi-  
duarum.

meis. Heu, signum est amarè suspirantis ac in corde dolentis: Quid quæso erat quod Deus tam amarè desereret? *Quia ad Principes Israel*, inquit, *non ingreditur causa pauperis viduæ*. Quid hoc? ergone totos dies clausæ erant fores istarum magnarum domorum? Non: Totos dies patebant: Ingrediebantur assentatores qui Principes illos decipiebant, ut dicerent illis placentia, illosque secus quam res erat, informarent in favorem amicorum suorum, & in depressionem suorum hostium, sed causa viduæ non ingrediebatur: Ingrediebantur quotidie prætendentes officia, & multa pr omittebant ministris: Sed causa viduæ excludebatur. Ingrediebantur Sollicitatores ut agerent causas eorum qui aliquid prætendebant: Sed non ingrediebatur causa pauperis viduæ. Ingrediebantur Politici qui de rebus publicis differerent, nullo habito religionis respectu, Deique ministros, Prophetas, & Sacerdotes in odium vocarent. Sed causa viduæ non ingrediebatur. Ingrediebantur divites, qui pecuniam offerrent ministris ut causam suam promoverent: Sed causa viduæ pauperis non ingrediebatur. Ingrediebantur nobiles magno numero ut Principes salutarent: Sed causa viduæ excludebatur. Ingrediebantur comædi & histriones ut aulicos recrearent: Sed viduæ pauperes cogebantur foris plorare.

Denique admittebantur etiam leviusculæ feminae ad tripudia, aliasque voluptates illicitas: Sed causa viduæ non ingrediebatur. Non existimo tamen tam Principes fuisse in causa, quam eorum ministros, qui Principibus suadebant quidquid volebant, eorum animos malis artibus regebant, & in omnem quam volebant partem flectebant. Sic causa viduæ pauperis, non ingrediebatur ad Principes. An hodieque similia fiant, nec scio, nec dico, hoc scio quod dispensator & Minister *Iosephi* Proregis *Aegypti* plane contrarium fecerit, omissisque omnibus aliis curis, ante omnia sollicitus fuerit ut fratres *Iosephi*, pastores ovium duceret in domum, maritumque solaretur, & timidis animos adde ret; didicerat enim ab Hero Deum habere præ oculis, ut patet ex hisce ipsius verbis: *Deus vester, & Deus Patris vestri dedit vobis thesauros in saccis vestris*, reverebatur providentiam divinam; Propter ea tam piè se gessit. Sciebat enim Deum esse patrem viduarum & pupillorum, omniumque qui in luctu sunt & in miseriis, particularem gerere curam, nec apud eum esse acceptionem personarum: Quomodo ergo se poterat aliter gerere ergo afflictos quam Deus, cujus providentiam & agnoscebat,

seebat, & reuerabatur? Hoc deerat Ministris Principum *Israelis*: Quamvis enim Deum verum crederent, non tamen, ut loquitur *Paulus Rom. cap. 1. sicut Deum glorificabant*. Princeps illorum, inquit *Isa- ias cap. 8.* erat illorum Deus: Majori enim sollicitudine colebant Principes suos quam Deum, aulam quam templum, eorumque dicta, Dei mandatis præponebant; quis ergo non dicat illos Principes illa habuisse pro Deo, quæ diligentius colebant quàm Deum? quibus libentius serviebant quam Deo? hinc fiebat ut non tam iustitiam quærerent quam pecuniam, & principum gratiam, quando gratiam Dei non multum curabant: Deus nos seruet à talibus ministris. Talis non erat dispensator *Iosephi* qui Deum habebat præ oculis. Ideoque mirandus, quod inter innumeros suæ sortis homines, talis non fuerit, quales innumeri sunt.

Ductis in domum fratribus *Ioseph*, eductus est è carcere frater illorum *Simeon* à dispensatore, tunc attulit aquam, inquit Scriptura, & laverunt pedes suos: Hic enim ab omni tempore mos fuit inter *Iudæos* lavandi pedes hospitibus. Sic *Abraham* tres Angelos sub specie hominum excipiens ut hospites, dixit illis *Gen. cap. 18.* *Afferam paucillum aqua, & lavate pedes vestros*: Similiter eosdem angelos excepit *Loth Sodomis*, dicens *Gen. cap. 19.* *Lavate pedes vestros*. Sic etiam *Laban, Gen. cap. 24.* œconomus *Abrahæ* ut hospiti suo aquam dedit ad lavandos pedes eius: Ideo exprobrabat *Christus Phariseo*, qui invitatus erat ab illo ad mensam, quod contra morem antiquum aquam lavandis pedibus non dedisset: Qui mos etiam inter Christianos duravit ut patet ex *D. Paulo 1. Timoth. cap. 5.* Ubi agit qualis vidua eligenda sit ad ministerium templi, & inter alia ponit: *Si sanctorum pedes lavit.*

Felix profecto domus, felix palatium proregis, in quo tam fidelis minister, qui non quærebat proprium interesse, tam benignus qui mæstos consolabatur, tam pius, qui Deum habebat præ oculis, tam officiosus, qui nihil obsequii sinebat deesse miseris; ut œconomus familiam regebat, herique sui tam magnificam æmulationem indolem, magnificè sanctèque omnia dispensabat, & disponebat! qualis Dominus talis & servus, liberalitas & pietas Domini, liberalem faciebat servum, & pium.

Interea parabant fratres *Ioseph*, inquit Scriptura, munera quæ attulerant ex patria sua, ut offerrent illa advenienti *Iosepho*, circa meridiem: *Audierant enim quod ibi comesturi essent panem.*

*Igitur ingressus est Ioseph, obtuleruntque ei munera tenentes in manibus suis,*

*suis, & adoraverunt proni in terram, at ille clementer resalutatis iis, interrogavit eos, dicens: Salvusne est pater vester senex, de quo dixeratis mihi? adhuc vivit?*

*Qui responderunt: Sospes est servus tuus pater noster, adhuc vivit, & incurvati adoraverunt eum.*

*Attollens autem oculos Ioseph, vidit Benjamin fratrem suum uterinum, & ait: Iste est frater vester parvulus, de quo dixeratis mihi? & rursum Deus, inquit, misereatur tui, fili m.*

*Nec plura, nec expectato responso, festinavit, quia commota erant viscera eius super fratre suo, & erumpebant lachryma, & introiens cubiculum flevit.*

Redundabat amore pectus Iosephi, ideo redundabant oculi lacrymis, non enim erant hæ lacrymæ doloris, sed amoris: A multis annis non viderat Benjamin suum, fratrem præ cæteris dilectum, quia ejusdem matris filium, & patri carissimum. Amor iste jam tot annis quasi coacervatus in animo latuerat sicut flamma sub cinere: At ubi tantum oculos coniecit in tantopere sibi dilectum, vi erupit in flammam, quas cum vellet lacrymis temperare, (necdum enim volebat se fratribus manifestare) non potuit: Itaque cum non posset se continere, summa festinatione in aliud cubiculum se proripuit, & ibi lacrymis laxavit habenas.

Nec adeo peregrinum mihi videtur, si dicam etiam lacrymas doloris fuisse admixtas: nec enim puto Iosephum oculos potuisse coniecere in Benjamin quin recordaretur carissimæ matris Rachel, quæ cum pareret Benjamin mortua erat, propterea, egrediente, inquit Scriptura, *illius anima præ dolore, & imminente jam morte, quem pater vocabat Benjamin, illa vocabat Benoni, hoc est filium doloris mei.* Fortassis Ioseph illius memor ubi conspexit Benjamin cogitabat: O care puer! tu fuisti causa doloris & mortis matris meæ: O si illa jam superviveret, & particeps esse posset illius lætitiæ, cujus vos ego brevi participes reddam! Videretque me filium suum quem tu nunc diligebat in hoc statu! quam illa exultaret, & quo affectu ego illam complecterer!

Flebat ergo Ioseph partim ex amore quo ardebat in Benjamin, partim ex dolore propter matrem.

Quando amor in summo est non patitur dilationem; dicitur vulgo: Spes dilata cruciat, sed amor dilatus facit hominem quodammodo mori. Volebat Ioseph ad aliquod tempus differre ut amorem suum

scum ostenderet erga *Benjaminum*: Ideo commota sunt omnia viscera eius, tantum non corruptis aggeribus exiliebat è corpore ut se cordi *Benjamini* uniret, & cum hoc non posset fieri, ruptis cataractis exilière torrentis instar lacrymæ amoris ex corde, tanto impetu ut cogeretur discedere.

Quod si tanta vis est amoris humani quando ille differtur, quanta vis erit amoris divini, quando erumperè non potest in actum. Hinc tanto, ex puro amore divino, exarsere desiderio Deum videndi, sanctissimi quidam viri ac Virgines, ut reputarent tormenti genus gravissimum, & ipsa Gehenna acerbius, vel modico tempore ejus aspectu & amplexu privari.

Hinc illa acerba *Davidis* suspiria & lamenta: *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est! quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* & illa: *quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.* Et illa: *O quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.* Tam potenter Deum amabat *David*, tam impatienter ferebat illum differri, ut deliquium animi pateretur. Hinc magnus ille *Paulus* optabat dissolvi & esse cum *Christo*, ut amorem suum posset explere.

*Augustinus*, ut ex ejus soliloquiis patet ex amore dilato, omni morte acerbioram vitam ducebat *O Domine!* exclamat *cap. I.* moriar ut te videam, nolo vivere, volo mori: *Mori desidero ut videam Christum, vivere renuo ut vivam cum Christo.*

Hinc sanctissima illa Virgo *Theresa* amoris impatiens exclamabat ad singulas horas: *Eia age, anima mea, jam una hora propinquior es dilecto tuo, quo in æternum fruèris,*

Hinc admirabilis illa Virgo *Hispanica Sancia Cavillo*, cum ei divinitus revelatum esset fore ut intra annum moreretur, usque adeo moram illam impatienter ferebat, ut nulla res eam oblectare, nulla dolorem levare posset, unde identidem ingeminabat: *O vita, quantum mihi es martirium! ô infinite bonitatis abyssè! quando me demergam in te? currite dies & menses ut illa hora appropinquet qua te fruar.*

Hinc deniq; tanto desiderio videndi Deum flagrabat *Joannes Bapt. Sanchez* Societatis nostræ sacerdos, ut si quis illi affirmasset in vespere esse victurum, eo die præ amoris magnitudine, mortuus concidisset.

Sed nos quid agimus? quod olim sæpius solebat clamare *Jacoponus*



ponus socius S. Francisci: Deus non amatur: Revera Deus non amatur: Maxima enim mortalium pars aliis desideriis sic implicatur, ac terrenorum amori sic est immersa, ut raro, aut vix unquam serio de cælo cogitent: Similes sunt colonis *Aegypti* de quibus proverbio dicitur: Nullus in *Aegypto* cælum respicit. Habent enim *Nilum* fluvium qui quotannis aquas suas diffundit per agros, ac fertiles reddit, capacesque ferendis frugibus; cum ergo nullas de cælo expectent pluvias, quia illis non indigent, hinc dicuntur numquam aspiciere cælum; tota enim illorum spes est in *Nilo*. Habet orbis & alios fluvios qualitatis diversæ, habet *Pactolum*, qui fluvius aureus appellatur, propter aureas quas vehit arenas, habet & *Acherontem* qui infernalis fluvius vocatur propter ardentis aquas, fumosq; ac flammam quas secum trahit. *Pactolo* comparantur divitiæ, *Acherontis* luxuria; quamdiu *Pactolus* pleno fluxu se diffundit in multorum divitum cistas ac domos, & *Acheron* suas flammeas aquas effundit in corda Luxuriosorum, vix semel cælum aspiciunt, quia cælum vix norunt, cum autem ignoti nulla cupido, hinc nec cælum desiderant, nec amant, iis contenti quæ habent, de cætero securi quid postea sint habituri: Et utinam aliquando non cogitent illud quod ait *David*: *Cælum cali Domino, terram autem dedit filiis hominum*. Unde tantum abest ut tædeat illos vitæ, ut è contrario, si possent, optarent hic æternum vivere: *O curvas in terram animas*, clamat Poëta ethnicus, *caelestium inanes!* sed qui animum habent omnibus hisce rebus superiorem, adeoque ab omnibus mundi sordibus purum, ubi tantum aspiciunt sidera, clamant cum *D. Ignatio*: *Quam sordet mihi terra, dum cælum aspicio!*

Postquam *Ioseph* extra fratrum conspectum satis jam fleverat, *lata facie*, inquit Scriptura, rursus venit ad illos, & ait servis: *Ponite panes*: Quibus appositis, mensæ accubere, seorsum *Ioseph*, & seorsum fratres, & *Aegyptii* qui invitati fuerant, simul seorsum, ergo ad tres mensas distinctas, *Illicitum est enim*, inquit Scriptura, *Aegyptiis comedere cum Hebraeis, & profanum putant huiusmodi convivium*.

Sederunt autem hoc ordine fratres: *Ruben* primogenitus primo loco, *Simeon* secundogenitus secundo loco, & sic de cæteris juxta ætatem; tandem *Benjamin* minimus natu, loco postremo, & mirabantur nimis, inquit Scriptura, quia videbant *Iosephum*, quem putabant hominem extraneum & *Aegyptium*, eos sine errore secundum ordinem ætatis in sedendo disposuisse.

Tandem

Tandem addit Scriptura: *Major pars venit Benjamin, ita ut quinque portibus excederet alios, quod ali qui sic interpretantur, ut cuilibet fratrum data fuerint quinque fercula, sed hoc discrimine, ut quodlibet ferculum Benjamin, duplo quodque ferculum aliorum excederet. Cujus rei non aliam rationem adfert Pererius, quam quod Joseph Benjaminum plus cæteris diligeret tanquam fratrem eadem secum matre ac patre natum, ubi reliqui nati erant ex aliis matribus.*

Denique *biberunt, inquit Scriptura, & inebriati sunt.* Modus scripturæ usitatissimus, etiam quando loquitur de conviviis sanctorum hominum, hoc ergo verbo, *inebriati sunt*, nihil aliud voluit significare, quam exhilarati sunt, & læti, quod non repugnat virtuti, aut sanctitati, alioquin non dixisset *David Psal. 67. Iusti epulentur, & delebuntur in conspectu Dei.* Adeoque rectè dixit Philosophus *Seneca epist. 18.* Licet sine luxuria agere festum diem. Quis enim dubitat quin liceat invitare amicos, lautius epulari, animum relaxare, & hilarem esse, sed sine temulentia, ut ait *Seneca, sine crapula, sine petulantia, sine peccato.* Utere, inquit *Gregorius Nyssenus de pauperib. Amond.* sed ne abutaris, modesta oblectatione te recrea, temperanter animum relaxa. *Lætetur, inquit Salvianus lib. 6. de provid. suo tempore, dummodo innocenter.*

Quod si hoc non liceret etiam sanctis per intervalla, quomodo *Christus*, cum suis Apostolis modo interfuit convivio quod paraverat *Matthæus* cum à vita sæculari, Apostolicam amplectebatur? modo convivio quod *Zachæus* instruxerat cum se converteret? modo convivio *Simonis Leprosi*, denique etiam nuptiis *Cana Galilæa*, ubi aquam convertit in vinum, cum aliud vinum deficeret, quod nullo modo fecisset si non liceret interdum modestè ac temperanter inter amicos haustu vini se recreare.

Præterea optimo sine instituta sunt primùm convivia, vel ad consultandum de rebus patriæ, ut inter *Persas*, aliasque gentes, vel ad discurrendum de rebus doctis, ut inter *Sinenses*, vel ad conciliandos animos dissidentium, vel denique ad fovendum mutuam amorem inter amicos.

Verum cum nihil tam sanctum sit, ut ait *Cicero*, quod improbitas hominum non violaverit, decursu temporis factum est ut convivia degeneraverint in scholas intemperantiæ, petulantia, detractionum, maledicentiæ, aliorumque vitiorum, & quod laudabiliter à principio institutum erat, factum est abominabile, quod

S non

non tantum Patres Catholici, sed etiam Ethnici deplorarunt.

Quam hoc est mirabile, exclamat *Salvianus lib. 6. de provid.* Quod nobis non sufficiat gaudere & ridere nisi cum peccato? nisi risus impuritatibus, ac flagitiis misceatur? Quis rogo hic error, quæ stultitia? numquid lætari non possumus ac ridere nisi risum nostrum atque lætitiæ scelus esse faciamus? an ergo infructuosum putamus gaudium simplex, nec delectat ridere sine crimine? quod rogo hoc malum est, quis furor? ut non putemus risum & gaudium tanti esse nisi in se Dei habeat injuriam?

Quid hoc est aliud, inquit *Ambrosius lib. de Elia cap. 14.* quam vocare ad jucunditatem & cogere ad mortem? invitare ad prandium, & velle efferre ad sepulchrum, vina fundere & propinare venena? Hec illi Patres.

Operæ pretium erit jam audire hominem ethnicum, Philosophum *Senecam* qui *epist. 114.* vehementer invehitur in luxum, multitudinemque ferculorum, ac deliciarum magno labore ac sumptu undequaque conquistarum. Hinc, ait, tot morbi qui prius erant ignoti, etiam, inquit, feminæ iis morbis laborant, à quibus tempore *Hippocratis* immunes erant. Audiamus ipsius verba: Maximus, inquit, ille medicorum *Hippocrates* dixit, suo tempore feminis nec capillos defluere, nec pedes laborare, jam vero & capillis destituuntur, & pedibus ægræ sunt: Non mutata feminarum natura, sed vita est, nam cum virorum licentiam æquaverint, corporum quoque virilium vitia, æquaverunt. Non enim minus potant, & vino viros provocant. Huc tandem deveniunt multa convivia, quæ si mansissent in prima sua simplicitate, liberè poteramus dicere cum *Davidis* *Insti epulentur, & exultent, & delectentur in lætitia*, sed, uti addit, *in conspectu Dei*, ut quod institutum est ad honestam animi relaxationem, non fiat in injuriam Dei. Talia erant convivia filiorum *Job*, tale etiam *Iosephi* cum fratribus.

## DISCURSUS XXI.

*Fratres Iosephi in patriam abeunt, sed in itinere revoquantur à Ioseph.*

**I**am finis impositus erat convivio, mensæque remotæ, quando *Ioseph* vocavit ad se dispensatorem suum, eique clam præcepit, dicens: *Imple saccos eorum frumento quantum possunt capere, & pone pecuniam*

niam singulorum in summitate sacci. Scyphum autem meum argenteum, & pretium quod dedit tritici, pone in ore sacci junioris, factumque est ita: Et orto manè dimissi sunt cum asinis suis.

Itaque urbem exierant, & processerant paululum: Tunc Ioseph accersito dispensatore domus: Surge, inquit, persequere viros, & apprehensis dicit: Quare reddidistis malum pro bono? Scyphus quem furati estis, ipse est in quo bibit Dominus meus, & in quo augurari solet pessimam rem fecistis: fecit ille ut iusserat.

Antequam progrediamur, oportet primum inquirere qualis fuerit ille Scyphus argenteus, in quo non tantum dicit Scriptura Iosephum solitum bibere, sed etiam augurari, quid sibi vult istud augurari?

Tradit Iulius Sirenus lib. 9. de facto cap. 18. Aegyptios & Assyrios solitos fuisse pelves (etiam Scyphos ut videtur) aqua replere, deinde certis verbis dæmonem advocare, ac tum dæmonem instar fibili ex aquis edidisse responsa ad ea de quibus consulebatur. Rursum dæmon subinde exprimebat in aqua speciem vel imaginem rei de qua quærebatur.

Dices, ergone Ioseph se magum hic profitetur qui futura prædicet ope diaboli? affirmat Calvinus, ideoque gravi simulatione contra religionem peccasse asseverat.

Sed quis hoc credat de Ioseph, qui erat propheta piissimus ac sanctissimus? Respondet August. Iosephum hic loqui non serio sed joculariter: Theodoretus vero vult illum loqui interrogative, numquid sciebatis talem esse scyphum? S. Thomas vult illum loqui non ex sua, sed Aegyptiorum opinione. Sed hæc non satisfaciunt.

Dico ergo Scripturam nihil aliud voluisse significare hoc scypho, quam quod Ioseph, propinando illum hospitibus plenum vino, naturaliter exploraret, seu probaret hospitem temperantiam, prudentiam, & arcana cordis (in vino enim est veritas) atque ita explorasse quis fratrum suorum animus esset erga Benjaminum: Augurari ergo significat hic, conjectare ex signis exterioribus quid lateat in corde, sic enim sumitur interdum apud Latinos.

Hoc posito, egreditur urbe dispensator cum aliquot equitibus, illosque affectus, per ordinem, inquit Scriptura, illos allocutus est, sicut præceperat ei Ioseph. Responderunt illi quare sic loquitur Dominus noster, ut servi tui tantum flagitiis commiserint? pecuniam quam invenimus in summitate saccorum reportavimus ad te de terra Chanaan, & quo-

modo consequens est ut furati simus de domo Domini tui aurum vel argentum? Apud quem fuerit inventum quod quaeris, moriatur, & nos erimus servi Domini nostri.

Qui dixit eis: Fiat juxta sententiam vestram, apud quemcumque fuerit inventum, ipse sit servus meus, vos autem eritis innoxii. Itaque festinato deponentes in terram saccos, aperuerunt singuli. Quos scrutatus, incipiens à majore usque ad minimum, invenit scyphum in sacco Benjamin.

Probabile censet *Salianus* nosse, quod fratres hoc viso, non tantum præ dolore sciderint vestes suas, ut ait Scriptura, sed etiam præ ira ita exarserint in Benjaminum, ut colaphis eum cæderent, pedibus impeterent, per capillos traherent, furem appellarent, aliisque multis injuriis afficerent.

Hæc omnia tam ardua voluit *Joseph* dilectum suum fratrem Benjaminum pati, ut amorem suum comprobaret. Hactenus enim & illi & fratribus ignotus, scypho in sacco Benjamin reperto, se omnibus paulo post fratrem palam declaravit, inque eorum colla iruens, à complexu Benjamin divelli non potuit.

*D. Gregorius Hom. 21. in Ezech.* hæc expendens, sic ait: Scyphus in sacco junioris fratris absconditur, furti post eis quaestio movetur. Mittitur ut reducantur in servitutem, decernitur apud quem scyphus fuisset inventus; in sacco ultimi fratris invenitur: Tunc Benjamin reducitur, afflicti omnes fratres sequuntur. Tunc exclamat *Gregorius*: O tormenta misericordiae! cruciat & amat.

Aptat hoc *D. Thomas Christo*, dicens: In hoc scypho, scilicet passionis, ut olim *Joseph, Christus* augurari solet, qui amici ejus sint, qui inimici: Ille Benjamin seu dilectus præ cæteris frater Christi est, qui illum calicem, quantumvis amarum, cum gustu & libenter exhaurit. Hoc faciam ego, ait *Bernardus serm. 20. in Cant.* nam super omnia reddit te mihi amabilem Domine Jesu calix quem tu bibisti, nullas amaritudines nec adversitates, nec calamitates ex amore tui libentissimè tolerabo.

Quid enim homini possit esse amarum quod Christo fuit dulce? Quantumlibet ergo, inquit *Sidonius Apollinarius lib. 4. cap. 9.* nobis anxietatum pateras vitæ præsentis propinet afflictio, parva toleramus si recordemur quid biberit ad patibulum, qui nos invitat ad cælum.

Stupeo quando audio *Senecam* hominem Ethnicum *epist. 67. & lib. de prov. cap. 3.* narrantem quid contigerit *Socrati*, Calix venenatus

tus, inquit, *Socratem* transtulit è carcere ad cælum. Male tractatum *Socratem* iudicas quod illam potionem publicè mixtam, non aliter quam medicamentum immortalitatis exhaustit? Et ego dico magis illi invidendum esse quam iis quibus à gemmâ ministratur, & suspensam auro nivem diluit?

Si *Socrati* invidendum quod tam lætus ac libens biberit calicem veneno mixtum, quanto magis nos invidere oportet illis qui pro vera immortalitate & gloria æterna, calicem Domini magno animo bibunt, quem nos propter amaritudinem naureamus, & bibere recusamus?

Habet quidem inquit *S. Thomas in cap. 18. Ioan.* Calix passionis ex natura sua amaritudinem, sed ex charitate patientis dulcedinem habet. Sicut medicina sanativa amara est propter saporem, sed dulcis propter spem fanitatis.

Hoc præ cæteris aliis expertus est *S. Quintinus nobilis Romanus*; cū duceretur ad martyrii locum, oblatum est ei à *Rictiovaro* iudice amarissimus passionis calix, postquam virgis ferreis dilaceratus, & liquato oleo ac pice perfusus fuisset; sed cum hæc omnia tam generosè perferret ut diceret, hæc omnia mihi refrigerio sunt, exandescens *Rictiovarus*, faxo, aiebat, ut aliter loquaris; mox digiti omnes inter cutem & ungues terebrati, & acutum veru ab humeris per corpus ad tibias usque ad actum, cumque tormentis inexpugnabilis videretur, calix allatus est, aceto, calce viva, & synapi refertus: *Quintinus* eo conspecto, ad *Christum* ardentissimè suspirans: O mi optimè *Jesu*, inquit, natura quidem horret hunc calicem, sed quia è manu tua is venit, & quia tu illum mihi sub cruce propinasti, respondebo, & exhauriam: Hic potus mihi melle omni & saccharo suavior erit, dixit, & bibit. Amarum calix! sed qui ex charitate patientis *Christi* dulcedinem habebat. Omnia denique quantumvis amara, Deum amanti dulcia sunt, non amanti, quantumvis dulcia, amara sunt: Amoris fuit quod *Joseph* in *Beniamini* sibi dilecti sacco calicem suum imposuerit, sic maximi amoris signum est quod *Christus* calicem passionis suæ transmittat ad te, ut inde conjiciat utrum sis amicus ipsius: Cruciat quidem, sed cruciando te amat, ut tuum pariter erga illum, amorem experiatur.

Invento itaque in sacco *Benjamin* scypho *Joseph*, imposuerunt singuli saccos suos in asinis, & reversi sunt in oppidum; primusque *Judas cum fratribus, ingressus est ad Joseph* (necdum enim de loco abierat) omnes-

que pariter ante eum in terram corruerunt. Quibus ille ait: Cur sic agere voluistis, an ignoratis quod non sit similis mei in augurandi scientia? Cui Iudas: Quid respondebimus, inquit, Domino meo? vel quid loquemur? aut justè poterimus obtendere? Deus invenit iniquitatem servorum suorum, enim omnes servi sumus Domini mei, & nos, & apud quem inventus est scyphus.

Respondit Ioseph: Absit à me ut sic agam, qui furatus est scyphum, ipse sit servus meus, vos autem liberi abite ad patrem vestrum.

Hoc audito, lacrymis suffusi horruere omnes, & altum ingemuerunt, præ cæteris Iudas qui promiserat patri fore ut certo reduceret Benjamin: Accessit, ergo, inquit Scriptura, propius ad Ioseph, & ubertim flens, & cum singultibus vocem interrumpens, ait: Oro, Domine mi, loquatur servus tuus verbum. Interrogasti prius servos tuos: Habetis patrem, aut fratrem? Et nos respondimus: Est nobis pater senex, & puer parvulus, qui in senectute illius natus est: cuius uterinus frater mortuus est, & ipsum solum habet mater sua, pater vero tenerè diligit eum.

Dixisti servis tuis: Adducite eum ad me, & ponam oculos meos super illum: Diximus: Non potest puer relinquere patrem suum, si enim illum dimiserit, morietur: Et dixisti: Nisi venerit frater vester minimus vobiscum, non videbitis amplius faciem meam:

Reversi deinde ad patrem nostrum, diximus nos amplius in Ægyptum ire non posse nisi frater noster minimus iret nobiscum: At ille respondit, nequaquam hoc fiet, si enim aliquid ei in via contingeret, moreretur præ dolore: Itaque si puer nobiscum non redeat, moretur optimus pater noster, & optimus senex: Et ego illi spondeo me puerum reducturum: Itaque rogo te per hæc lacrymas quas fundo, miserere patris & pueri, abeat hic cum cæteris domum, & ego pro illo manebo hic mancipium tuum. Nec enim possum redire ad patrem meum sine puero, ne videam patrem præ dolore morientem.

## DISCVRSVS XXII:

*Ioseph se fratribus suis manifestat.*

**A**Udierat Ioseph patienter fratrem suum Judam loquentem, viderat pietatem in patrem, amorem in fratrem, viderat ipsum,

sum, cæterisque omnes plorantes miseram sortem fratris sui *Benjamin*, quibus tam vehementer commotus est partim commiseratione erga afflictos, partim urgente amore erga patrem suum longævum, & fratres, *ut non posset*, inquit Scriptura, *ultra se cohibere*, statimque dimissis omnibus aliis qui illi astabant in cubiculo, *elevavit vocem cum fletu, & dixit fratribus suis: Ego sum Joseph: dilectissimi, fratres mei, nolite timere, ego sum Joseph: Non nostis me? ego sum idem ille Joseph frater vester quem olim vendidistis Ismaëlitis: vos putastis me mortuum, & ecce vivo, aspiciate me, nulla hic fraus, sum idem ille frater vester quem ante aliquot annos misistis in Ægyptum.*

Hic habes finem totius comædiæ, sed quis verbis explicet stuporem fratrum cum hæc audirent: Puto, inquit *Rupertus*, ad illas voces: *Ego sum Joseph*, quasi grandi pavoris fulmine excussò attonitos, & quasi amentes fuisse: Obstupesco, inquit *Chrysostomus*, quomodo illi potuerint stare, vel os aperire postea, quomodo non avolarit ab eis anima. Quo enim aliquid magis vel inexpectatum, vel improvisum est, eo magis hominem turbat vel terret. A tot annis non viderant fratres *Josephum*, nihil prorsus de illo audiverant, jam diu mortuum putabant, maxima cum severitate jam cum illis egerat, accusaverat illos prodicionis, & furti, per multos dies detinuerat unum in carcere, asperioribus illos verbis perstrinxerat, *Benjaminum* voluerat facere mancipium suum; cui hominum potuisset incidere illum esse fratrem illorum? & ecce dum omnes sunt in summo luctu, & miseram sortem suam deplorant, exclamat subito *Joseph: Ego sum Joseph frater vester: O fratres mei, nolite timere, nolite plorare, ego sum Joseph, adhuc pater meus vivit: bonus ille senex adhuc vivit: qui valet? quomodo se habet? O quoties in hac peregrina regione menti meæ occurrit? quoties cogitavi, ubi est pater ille meus qui me tantopere diligebat: sufficit mihi si vivit: de matre nihil quæsi vit, quia jam illa obierat in partu antequam ipse iret in Ægyptum: Non poterant respondere fratres, inquit Scriptura, *nimia terrore perterriti.**

Ubi *Joseph* hoc vidit, aggreditur animos illorum summâ benignitate componere. nam dicit Scriptura: *Dixit ad illos clementer: Accedite ad me, & cum accessissent prope, rursus ait: Ego sum Joseph frater quem vendidistis in Ægyptum, nolite pavere neque vobis durum esse videatur quod vendidistis me in his regionibus, pro salute enim vestra misit me Deus*

ante



ante vos in Ægyptum, non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum, qui fecit me quasi patrem Pharaonis, & Dominum universae domus ejus, & Principem in omni terra Ægypti.

Tunc, inquit Scriptura, cecidit in collum Benjamin fratris sui, & arre stringens illum brachiis suis: O inquit, Benjamin, Benjamin, mi dilecte fratercule, deliciae patris mei, & cordis mei, natu minime puer matris meae, tu ne ibi es? tot annis mihi non visus? te ne jam video? te ne jam habeo inter brachia mea? ô dilecte puer osculare me, & Ioseph osculatus est illum, & ipse Iosephum, & uterque flevit, lacrymisque mutuas vestes rigarunt prae gaudio.

Similiter, inquit Scriptura, Osculatus est Ioseph omnes fratres suos, & ploravit super singulos. Post quae ausi sunt loqui ad eum.

Quidquid hic vidimus & audivimus perfectissima figura est Christi, recipientis peccatorem se convertentem ac penitentem.

Fuit quidem Ioseph in multis figura Christi: Sicut enim ipse venditus fuit à fratribus suis viginti argenteis, sic Christus, triginta argenteis venditus fuit à Iuda Apostolo suo: Sicut Ioseph ductus fuit in Ægyptum, sic etiam Christus: Sicut Ioseph falso accusatus fuit adulterii, sic Christus blasphemiae, impietatis, prodicionis, tumultus: Sicut Ioseph innocens coniectus fuit in carcerem, sic Christus sine culpa innumera passus est: Sicut Ioseph eductus è carcere ad summos honores evectus est, & adoratus à tota Ægypto, sic Christus prodicens è sepulchro obtinuit nomen quod est super omne nomen, in quo omne genu flectitur caelestium, terrestrium, & infernorum. Deniq; sicut Ioseph toti Ægypto, imo ut Scriptura loquitur, universo orbi, procuravit frumentum, sic Christus toti orbi procuravit frumentum illud electorum, sanctissimum corpus suum quo pascimur in hac mundi regione ubi regnat infatiabilis fames. In his omnibus, ut patet, fuit Ioseph figura Christi, sed nullibi magis, quam cum fratres suos excepit, seque illis manifestavit. Deniq; sicut Ioseph summa benignitate excepit fratres suos, sic Christus gravissimos peccatores. Graviter peccaverant fratres in Ioseph, sed palam agnoverunt culpam suam cum dicerent: Merito haec patimur quia peccavimus in fratrem nostrum, doluerunt & contriti sunt quando multis lacrymis culpam istam deflevère: Magnam egerunt penitentiam quando summa sum patientia, molestissima quæque, & accusationes falsas & carceres tolerarunt. Viderat hæc omnia Ioseph, accedunt ad illum, recipit

capit illos cum tanto affectu ac benignitate, quæ ut vidimus, verbis explicari vix possit, & condonat omnes illis injurias quas sibi intulerant.

Potestne clariùs exprimi modus quo *Christus* vel Deus peccatores poenitentes solet recipere? Quam enim parum differt historia hæc *Josephi* à parabola quam *Christus* nobis proposuit de filio prodigo, in qua quasi vivis coloribus expressit quomodo agat cum peccatoribus qui se convertunt, & veniunt ad illum.

Ac primo quidem, sicut filius ille graviter peccaverat dissipando hæreditatem patris sui, sic fratres *Josephi* peccarant vendendo carissimum filium patris sui. 2. Sicut ingens fames exorta est in illa regione in qua filius prodigus habitabat, sic in regione in qua habitabant fratres *Josephi*, etiam vehemens fames invaluit. 3. Sicut fratres *Josephi* fames coëgit ut in *Aegyptum* abirent, ut frumenta & cibos compararent, sic filium prodigum coëgit fames ut rediret domum & haberet quod comederet, clamabat enim! *Quanti mercenatis in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereor! surgam ergo, & ibo ad patrem.* 4. Sicut filius prodigus clamabat: *Peccavi in patrem*: Sic clamabant fratres *Josephi*: *Peccavimus in fratrem.* 5. Sicut filius iste se patri offerebat ut esset servus ipsius, sic etiam fratres *Josephi* offerebant se ut essent ejus mancipia. 6. Sicut pater filii prodigi cecidit super collum ipsius, & osculatus est eum, sic *Joseph* cecidit super collum fratrum suorum, amplexatus, & osculatus est singulos. 7. Sicut pater lautum extruxit convivium filio, sic etiam *Joseph* fratribus suis. 8. Sicut pater filium prodigum optimis vestibus induit, sic *Joseph* dedit singulas duas insignes vestes. 9. Sicut pater omnes injurias sibi filio ignovit, sic etiam *Joseph* fratribus. Hic habes, & in historia *Josephi*, & in parabola filii prodigi, in prima per figuram, in secunda per similitudinem, expressum depictumque *Christum*, quando peccatores recipit per poenitentiam ad se accurrentes.

Pereunt miseri fame in regione diaboli cui serviunt, non enim saturari possunt suis deliciis aut voluptatibus, non habent quod manducent nisi furfures, siliquas, & alias sordes, ergo talem vitam pertæsi surgunt ut emant frumentum & panes quibus pascant esurientem animam suam; ubi illa invenient? nullibi nisi apud *Christum* qui est frumentum electorum, panis vivus & panis qui de cælo descendit: Accurrunt ergo ad *Christum*, & clamant: Peccavi-

T mus,

mus, dolent, lacrymantur, etiam interdum timent ne durius excipiantur, ne verbis asperioribus perstringantur, ne magnas poenitentias cogantur subire pro tot peccatis à se commissis, uti agebat *Ioseph* cum suis fratribus: Sed hoc faciebat antequam culpam suam erant confessi: At ubi advertit tot signa doloris, tunc severitate in benignitatem mutatâ, exclamavit: Agite fratres, nolite timere, ego sum frater vester, tunc illos amplexus, tunc osculatus est, tunc flevit ex compassione cum flentibus: Et tu peccator, quisquis es, noli timere, si doles, liberè accurre ad *Christum*; si prius tecum severè egerit, mox induet alium vultum, premet te inter brachia sua, dabit tibi osculum pacis, & dicet: Quid times? *ego sum frater tuus*, si me aliquando cum *Iuda* vendidisti propter exiguum aliquod lucrum, si me flagellasti tuis carnalibus voluptatibus, si caput meum spinis perforasti tuâ superbia, si me crucifixisti, ego equidem sum frater tuus; injuriarum quas mihi fecisti non recordabor amplius; in signum istius induam te pretiosis vestibus gratiæ meæ, paravi tibi convivium, asside mensæ, & comede carnem meam, & bibe meum sanguinem. Sic peccatores contritos recipit *Christus*: sic injurias sibi factas, quantumvis enormes, condonat.

Verum hanc ultimam partem paulo fufius consideremus in *Ioseph*, & explicemus ad nostram confusionem, qui tam lente injuriarum obliviscimur, & tam facile de iis nos vindicamus.

1. *Ioseph* peccatum fratrum suorum texit, ne ullus resciret: Ideo praecepit, uti ait Scriptura, ut egredierentur cuncti foras, & nullus alienus interesset cognitioni mutua: Nec enim voluit ullo modo ab *Aegyptiis* sciri se venditū fuisse à fratribus: Hinc de hoc facinore in aula nihil prorsus innotuit, *Iosepho* nequitiam suorum celante; Hoc generosum, hoc Christianum est. Si nobis sint hostes, qui multum mali nobis inferunt, fatuæ sunt querelæ nostræ si obviis quibusque dicamus, v.g. Hic capitalis meus hostis hanc mihi fecit injuriam, hoc mali in me machinatus est, illi & illi tantum mihi damni intulerunt. Hoc non est diligere inimicos suos, nequitiam eorum detegere. Hæc talia tantum eorum auribus committenda quorum interest ea scire, qui & juvare possunt, Apud alios injuriæ dissimulandæ sunt, ne pateat animus tuus hostilis.

Vide quomodo *Christus* Dominus immaniſſimum *Jude* proditoris scelus velaverit: Ipsum quidem admonuit, ut respiceret, ostendit sibi notam esse proditorem, conatus est illum omni modo à pro-

à proditione avertere, tam suaviter tamen ac prudenter, ut id nullus Apostolorum, sed solus *Indas* intelligeret : Et quanto *Ioseph* fratres suos affecisset pudore, si coram aliis dixisset : *Ego sum Ioseph frater vester quem vendidistis in Aegyptum*. Dixissent procul dubio *Aegyptii* : Itane vero hi homines suum fratrem vendiderunt ? talia ausi sunt in sanguinem sibi cognatum ? docuit ergo nos *Ioseph* suo exemplo, aliorum, etiam hostium, vitia esse tegenda.

2. Tantum non agit gratias *Ioseph* quod à fratribus suis fuisset venditus, dicit enim : *Non vobis videatur durum, & nolite pavere quod vendidistis me in his regionibus, pro salute enim vestra misit me Deus ante vos in Aegyptum*. Quasi diceret : Est quod agamus gratias providentiæ divinæ quod me ad tantos honores evexerit : Injuriæ vestræ me felicem fecerunt : Propterea non tantum vobis libenter illas condono, sed etiam ago gratias quod servitus, carcer, & alia quæ passus sum, & quorum vos causa fuistis, me in altum extulerint. Hanc *Iosephi* virtutem laudans *Augustinus*, sic ait : Mirati estis castitatem *Iosephi*, aspiciate nunc benignitatem, pro odio reddit charitatem Et *D. Ambrosius lib. 1. de Ioseph Cap. 1* : merito, inquit, mirandus *Ioseph* qui hoc fecit ante Euangelium, ut læsus parceret, appetitus ignosceret, venditus injuriam non referret, sed gratiam pro contumelia solveret, quod post Euangelium omnes didicimus, & tamen non servamus. Imitemur ergo Sanctorum patientiam, & discamus illos non naturæ præstantioris fuisse, sed observationis, nec vitia nescisse, sed emendasse.

3. Vindicavit se *Ioseph*, sed modo plane novo, & prorsus Christiano. Vindicavit oblivione, silentio, suspiriis, blanditiis, osculis, lacrymis, amplexibus, beneficiis 1. Oblivione, non vult meminisse injuriarum, dicit enim : *Oblivisci me fecit Deus omnium laborum meorum*, omnium quæ à vobis, & ab aliis passus sum 2. silentio, nihil enim aliud dixit, quam : *Vendidistis me*, cætera omnia tacuit 3. Suspiriis dicit enim Scriptura : *Elevavit vocem suam cum fletu*. 4. blanditiis, blande enim dicebat fratribus suis : *Accedite ad me ; nolite pavere* 5. Osculis, dicit enim Scriptura : *Osculatus est Ioseph omnes fratres suos* 6. Lacrymis, *flevitque super singulos*, non ut vindicem, sed instar matris se gessit erga hostes suos 7. Amplexibus, *amplexatus est Benjamin, & cecidit super collum ejus* : Non horruit amplexus eorum qui ei vitam eripere paraverant 8. beneficiis continuis, nam

omnes illos, illorumque familias aluit quamdiu vixit, suisque apud regem pro meritis tantum effecit, ut diceret rex: *Ego dabo vobis omnia bona Egypti*. Videte, obsecro, novum injuriæ vindicandæ modum, largissimum benefaciendi animum. Quis audivit, aut vidit unquam tale post Evangelium promulgatum?

4. Pacem suis fratribus imperavit, injuriarum omnium immemor: Viaticum illis dedit lautissimum ut redirent in patriam, pecuniam, panes, cibaria, triticum, & viginti jumenta vehendis oneribus; insuper equos, currus, aurigas, & famulos, hoc unum illos monuit: *Ne irascamini in via*, nolite jurgari, peritæ ac si diceret: Nolite alter alteri culpam impingere quod in *Egyptum*, sim venditus, inde enim dissensiones & jurgia orirentur. Ite unanimes ut fratres decet, & cum parente quam primum redite. Quis vestrum me primus voluerit vendere, nihil refert, illa omnia oblivioni dentur, & sepulta maneant, sicut & ego omnium oblitus sum. Ite ergo & non irascamini in via. Hoc summum est Christianæ generositatis, injurias oblivisci, & hostibus benefacere.

Hoc est quod olim *D. Gregorius Nazianzenus*, suis auditoribus incalcavit de Cathedra: Nam cum Catholici sub *Valente Imperatore Ariano* miserè vexati & oppressi fuissent, successit *Theodosius* qui Catholicam fidem propugnavit. Catholici videntes quod jam *Arianis* essent superiores, cogitabant se vindicare de hostibus, *Arianos* affligendo, sicut illi fecerant erga Catholicos. At *Gregorius*: Non talia, inquit, à nobis *Christus* poscit, nec Evangelium ista nos docet: mites animis estote, filii: Præstate illis beneficia qui vos odio prosequuntur. Quod si animus in vindictam æstuat, & manus pruriant in adversæ partis ruinam, vindicationem omnem differte, & *Christo* ejusque tribunali permittite: *Mea enim est ultio, ait Dominus, & ego retribuam eis*.

Denique hic est optimus syllogismus in Christiana Philosophia: Si *Christus* tulit proditorem *Judam*, cur ego non patiar inimicos meos?

Hanc injuriarum oblivionem pulcherrima similitudine expressit *Isaias* Propheta cap. 48, dicens: *Vtinam attendisses mandata mea, facta fuisset sicut flumen pax tua*; Non dicit, sicut marmor vel æs, quidquid enim illis insculpitur non tam facile deletur: dicit ergo Propheta

pheta, sicuti flumen fuisset pax tua. Quæ comparatio fluminis cum pace? dicam: Percutiat aqua baculo, injiciantur saxa, dividetur quidem aqua, & velut vulnerata circulos complures loco cicatricis ostendet, mox tamen iterum coibit sine ullo profuso vulneris signo: *Vitam ergo, inquit, Propheta, attendisses mandata Dei!* ubi enim est observatio legis divinæ, ibi vindicari non solent injuriæ, sed qui offensus est velut aqua baculo vel saxo turbata, omnes plagarum notas obliterat, in concordiam redit, injurias obliviscitur, atque ita fit pax ejus sicut flumen, quod ictibus nec vulnerari potest, nec manere divisum.

## DISCURSUS XXIII.

*Totâ regis aulâ vulgatur fratres Iosephi advenisse: Illi revertuntur in patriam, nuntiantque patri suo Iosephum videre.*

Interea dum Ioseph solus ageret cum fratribus suis in cubiculo, sicuti nihil tam occultum est quod curiositas hominum non perscrutetur, & producat in publicum, sic *audium est, inquit Scriptura, & celebri sermone vulgatum in aula regis: Venerunt fratres Ioseph, & gavisus est Pharao, & omnis familia ejus.*

Nescio quem magis hic mirer, an Iosephum, an Pharaonem, ejusque aulicos. Fratres Iosephi Pastores ovium erant, vilioris conditionis, forte lineis vestimentis induti, certe habitu simpliciore, in externa specie contemptibiles: Numquid non puduit Iosephum in tanta dignitate jam constitutum ut esset primus à rege, talium fratrum? an Pharao vel aulici ejus Iosephum, propterea minoris fecere, aut contempserunt? neutrum. Non primum, quia ipse met Ioseph duxit illos per aulam, in omnium conspectu ad regem: Non secundum, quia non tantum gavisus est rex, seu gratulatus Iosepho, sed etiam imperavit ut fratribus suis in patriam revertentibus de omnibus necessariis abundantissimè prospiceret, promitteretque reversis se daturum omnia bona *Aegypti.*

O quam dissimiles sunt hujus temporis mores, illius sæculi moribus. Nam si quis jam promovetur, neminem novit; si quis è viliori conditione emergit nec patrem novit, nec fratres nec pauperes

pauperes amicos, quia pudet illum conditionis suæ. Hanc intolerabilem superbiam merito olim castigavit *Alexander Dux Parmensis* cum hic esset in *Belgio*: Promoverat hic, propter acre ingenium, filium alicujus pauperis rustici, ad magnum aulae officium; venit *Bruxellas* filio gratulaturus pater paupere admodum veste indutus, poene instar mendici; rogavitque filio loqui; ubi hoc à janitoribus filius intellexit, qui hactenus incognitus erat, scilicet aliquem pauperulum adesse, qui se patrem ejus diceret: *Nebulo est*, inquit, *mentitur, ille non est pater meus*: Res defertur ad Ducem ille ex-candescens, hominem tam arrogantem non tantum amovit officio, sed etiam aula exegit. Optimè factum, naturam enim humanam exiit quisquis patrem quantumvis pauperem, non agnoscit. Nec enim natura nos docuit, nec Dei præcepta, ideo honorandos à filiis, amandosque parentes quia nobiles sunt, aut divites, aut indignitate constituti, sed merè quia parentes sunt, hoc est qui nobis vitam corporalem dedere, ac pro modulo suo nos educarunt: Quid ergo ad rem facit quod pater pauper an dives, nobilis an ignobilis sit, modo sit pater? nobilitas, divitiæ, dignitates, extra hominem sunt, nec spectant ad ejus substantiam, quia si illis privetur nihil de substantia vel essentia sua amittit, manet enim homo ut prius, sed ad essentiam paterni nominis spectat liberis vitam dedisse, hoc sufficit ut juxta leges naturæ & Dei, filii honorem ac amorem debeant parentibus cujuscumque tandem conditionis sint: Hoc est quod toties inculcat Scriptura: Sic ait *Salomon Prov. cap. 23*: *Audi patrem tuum qui genuit te, & ne contempnas matrem tuam*. Rursum: *Gaudeat pater tuus & mater tua quæ genuit te*. Rursum *Ecclesiast. cap. 3*: *Qui timet dominum honorat parentes, & quasi dominus serviet his qui se genuerunt*. Denique *Eccles. cap. 7*. *Honora patrem tuum, & gemitus matris tuæ ne obliviscaris, memento quod per illos natus es*. Ubinam hic Scriptura discrimen statuit inter parentes viles & nobiles, divites & pauperes? an ergo filio liceat, quia major effectus est, pauperes parentes vel non agnoscere, vel contemnere? monstrata sunt illa naturæ, & merito forent omni honore privandi, quandoquidem illo abutantur in injuriam parentum, naturæ, ac Dei.

Nec minus detestandi sunt qui jam ad summa promoti contemnunt quod vilioris conditionis sint, quasi vero magna conditio vel nobilitas hominem faciat, & non virtus, ingenium, prudentia, aliaque

aliquæ præclaræ dotes naturæ. Illas æstimavit Pharaon, ejusque aulici in Iosepho, & tantum abest ut Pharaon eum contempserit cum videret fratres ejus esse pastores, ut è contrario majorem ei potestatem concesserit, majoremque benevolentiam demonstrarit, sic enim, ut ait Scriptura, ad Iosephum locutus est.

Dic fratribus tuis: Onerantes jumenta, ite in terram Chanaan, & tollite inde patrem vestrum, & venite ad me, & ego dabo vobis omnia bona Ægypti, ut comedatis medullam terræ. Præcipe etiam ut tollant plaustra de terra Ægypti, ad subvectionem parvulorum suorum, ac conjugum, & dicit: Tollite patrem vestrum, & properate quantocyns venientes, nec dimittatis quidquam de suppellectili vestra, quia omnes opes Ægypti vestra erunt. Ioseph ergo, inquit Scriptura, dedit fratribus suis plaustra, & cibaria in itinere: Singulis quoque profertur binas stolas: Benjamin vero dedit trecentos argenteos cum quinque stolis optimis, tantumdem pecunie & vestium mittens patri suo, addens & asinos decem, qui subveherent ex omnibus divitiis Ægypti, & triticum in itinere, ac panes.

Tunc dixit ad illos: Festinate, & ascendite ad patrem meum, & dicitis ei: Hac mandat filius tuus Ioseph: Deus fecit me dominum universæ terræ Ægypti, descende ad me, ne moreris, & habitabis in terra Gessen, et si que juxta me, tu & filii tui, & filii filiorum tuorum, oves tuæ, & armenta tua, & universa qua possides: Ibi te pascam (adhuc enim quinque anni residui sunt famis) ne & tu pereas & domus tua.

En oculi vestri, & oculi fratris mei Benjamin vident quod os meum loquatur ad vos: Nuntiate patri meo universam gloriam meam, & cuncta qua vidistis in Ægypto, festinate, & adducite eum ad me.

Sic dimisit fratres suos, & proficiscentibus ait: Ne irascamini in via. Illi venientes ad patrem, vix pedem intulerant in domum, cum omnes exclamare cæperunt: Pater, Ioseph filius tuus vivit, & ipse dominatur tui terræ Ægypti. Quo audito Iacob, quasi de gravi somno evigilans, tamen non credebat eis.

Dicitur Iacob, cum hæc audiret quasi evigilasse è gravi somno: Sicuti enim qui subito è gravi somno evigilat, non statim redit plane ad se, sed manet aliquantulum semisopitus, sic Iacob, ubi audiebat filios suos clamantes: Ioseph filius tuus vivit, evigilavit subito quasi è somno, & totus turbatus, ac quasi semisopitus, putabat illos sibi aliquid imponere, vel jocari, ideo non poterat credere quæ dicebantur.

Quod hic contigit Iacob, peccatoribus multis qui toti peccatis jacent immerfi, passim contingit.

Unum



Peccatores  
obstinati.

Unum ex multis exemplum hoc nos docebit. Narrat Scriptura *Genes. cap. 19*, quod angeli venerint *Sodomam*, ubi habitabat *Loth* nepos *Abrahami*, cui dixerunt: *Habes hic quempiam tuorum? generum, aut filios, aut filias, omnes qui tui sunt, educ de urbe hac, delebitur enim locus iste, eo quod increverit clamor eorum coram Domino, qui misit nos ut perdamus illos: tu quoque tolle uxorem tuam, & duas filias quas habes, ne tu pariter pereas in scelere civitatis.*

Nec mora, egreditur, *Loth* è domo, & festinat quantum potest ad generos suos, qui erant accepturi filias ejus, & dixit: *Festinate, surgite, egredimini de loco isto, quia delebit dominus civitatem hanc. Et visus est, inquit Scriptura, eis quasi ludens loqui, putabant illum fabulas narrare vel somnia.*

Sed quid quæso dicebat generis suis *Loth*, quod illis invisus esset, eumque ridere aut somnia narrare putarent? numquid volebat illos jejunare, aut induere cilicium, aut se conspergere cinere ut pro peccatis poenitentiam agerent? forte, si hæc suasisset, non fuisset irrisus: Hæc enim multis peccatoribus non tam sunt exosa, quam relinquere consuetudinem vel occasionem peccandi: Quid igitur suasit: *Surgite, egredimini de loco isto.* Ergo non est mirum quod putarent illum joculari: Duo enim proponebat quæ peccatores obdurati in peccatis maximè horrent; volebat ut surgerent, & ut egredierentur de loco scelerum, hoc nimis durum est jacentibus in cœno libidinum. Manda concubinario quæ tibi lubent, jejuna-bit, dabit eleemosynas, modo non agas de concubina dimittenda, & de relinquenda proxima occasione. Si incipias dicere egredere de loco isto, hoc non, tunc somnia illi narrabis.

Mira fecit *Ionas* in *Ninive*: Statim enim ad ipsius concionem brevissimam, rex positâ purpurâ cubat in cinere, jumenta, puerique, ac viri jejulant, induunt sacco: Puto ego quod forsitan *Ionas* non fuisset auditus, si per plateas clamasset: *Surgite, quotquot estis, & egredimini de hac urbe, & locum scelerum vestrorum deserite, nescio an tam prompti fuisset ut hoc facerent, sicuti fuerant ut jejunarent, modo manerent in urbe tam sceleratâ: Sic multos invenies qui folia poenitentiae carpunt, fructus negligunt, & quod solum necessarium est, hoc est exosum & arduum. Non dubito quin aliqui *Sodomita*, cum viderent magnam civium partem ab angelis cæcitate percussam, ingemuisse, perièrè tamen quia in loco scelerum permanere. *Loth* poenas evasit quia sedem impietatis*

tatis reliquit. Ergo solus virorum Loth *Sodomis* exiit, incendiūque effugit? num servos domi non habebat homo tam diu? habebat: Sed servi sequuntur dominos quando *Sodomam* adveniunt, non vero dum deserunt. Ab omnibus omnino famulis deseritur *Loth*, quando *Sodomitas* objurgat & carpit ob scelera, & quando *Sodomam* fugit.

Hoc est quod ait *Salomon*: Peccator cum in profundum peccatorum venerit, contemnit: Denuntiat *Loth* generis suis adhuc illo die igne ac sulphure de cælo demisso totam *Sodomam* in cineres redigendam, frustra monebat, frustra minabatur, quia putabant illum fabulas narrare; adeo difficile peccatores obduratos à longa consuetudine peccandi & occasione abstrahere! non possumus illis munitari supplicia nisi delirare credamur. Sic interdum contingit ut similes homines etiam proximi morti quasi pro somniis, aut ludicris haberent quæ illis vel de vita æterna, vel de suppliciis æternis, vel de aliis piis rebus dicebantur.

Sic impius ille *Georgius Buchananus* in *Anglia*, ut narrant *Garassus* & *Bidermannus*, paulo antequam expiraret, rogabatur ab uno ex circumstantibus ut orationem saltem *Dominicam* recitaret, sed respondit: Nescio quas mihi preces obrudis, quas spatio quadraginta annorum numquam recitavi: atque ita mox obiit.

Utinam & vivis & fanis hoc non contingeret ut quando cum illis agitur de pœnis inferni, ac suppliciis imminentibus, fabulas esse putent, & ludens videatur loqui quisquis talia illis proponit!

Timeo ne plures hodieque reperiantur similes illis quibus olim concionabatur *Paulus Apostolus*. Concionabatur coram *Felice Præfide* obdurato in adulterio, & concionabatur de futuro iudicio: Tremuit *Felix*, inquit Scriptura; si tremuit, inquires, ergo conversus est, nihil minus, iussit *Paulum* abire, quia videbatur ei ludens loqui.

Concionabatur *Paulus* coram rege *Agrippa*, ejusque Concubina *Bernice*, ac Romano Præfide *Festo*, multa dicebat quæ illorum animos poterant commovere, nihil effectum; *Agrippa* dicebat: In medico suades me Christianum fieri: *Festus* dicebat: Insanis *Paulus*, multa te littera ad insaniam convertunt. Vides? dum illos *Paulus* in conscientia premit, insanire illis videtur, & ludens loqui.

V

Quid

Quid dicam de Concione *Pauli* quam habebat in magno illo Politicorum concilio coram Senatoribus *Atheniensibus*? non tantum fortiter, sed etiam valde doctè dicebat: Quis fructus? nullus: *Iridebant*, inquit Scriptura, quia videbatur illis ludens loqui.

Imo cum ipse met *Christus* qui erat sapientia aeterna, *Ioan. cap. 10.*, ad ejusmodi homines obduratos præstantissimam concionem habuisset, hoc unum retulit fructus, ut dicerent ad invicem: *Insanit*, quid vultis eum audire? quia videbatur illis ludens loqui.

Horreo quando audio *Christum* dicentem Scribis & Phariseis, *Ioan. cap. 8: vos ex Deo non estis quia verba Dei non auditis*, si ex Deo non sunt, qui verba Dei nolunt audire, ergo sunt ex diabolo, consequenter nec ex ovibus *Christi*, dicit enim ipse, quæ non sunt oves meæ vocem meam non audiunt. Quapropter nullum certius signum dari potest reprobationis à Deo, quam ita obduratum esse aliquem in peccatis ut vocem *Christi*, & verba Dei nolit audire, reputans pro fabulis, vel somniis, vel ludicris quæ illi dicuntur, præsertim de fugienda occasione vel consuetudine.

*Jacob* ergo cum n ollet credere ea quæ narrabant filii sui de *Joseph*, ubi vidit plaustra, inquit Scriptura, & universa quæ miserat *Joseph*, revocavit spiritus ejus, & ait: Sufficit mihi, si adhuc *Joseph* filius meus vivit, & videbo illum antequam moriar.

## DISCVRSUS XXIV.

*Jacob cum suis filiis eorumque familiis proficiscitur in Egyptum.*

**I**ter quod *Jacob* aggressus est in *Egyptum*, sic describit Scriptura: *Profectus Israel cum omnibus quæ habebat, venit ad puteum juramenti, & mactavit ibi victimas Deo patris sui Isaac.*

Inquirendum est primum quis ille locus fuerit quem *Moses*, hic appellat puteum juramenti: Res altius repetenda.

Tempore *Abrahami* Patriarchæ, ut dicitur *Gen. cap. 21.*, erat Rex *Palestinae* *Abimelech*, hic videns quod Deus *Abrahamo*, in omnibus quæ

quæ agebat, adesset, & ille quotidie potentior fieret, dixit ad illum:  
*ora per Deum ne noccas mihi, & posteris meis.*

Itaque convenerunt simul statuto loco ad puteum quendam quem foderat *Abraham*, ibique sub juramento datis dexteris, inière foedus: Idcirco, inquit Scriptura, *vocatus est locus ille Bersabee, quia ibi uterque iuravit: Ber enim Hebraice significat puteum, Sabe vero iuramentum, hinc Bersabee, sive puteus iuramenti.*

Hoc eodem loco plantavit *Abraham* nemus, hoc est multas ac magnas arbores in modum silvæ minoris, ut invocaret ibi, inquit Scriptura, *nomen Dei æterni*: Quo deinde sapius secedebat ut quieto animo extra hominum tumultum, divinis laudibus, ac cælestibus meditandis, & sacrificando operam daret. Unde dicit *Cajetanus*, locum illum fuisse quasi oratorium & templum ad colendum Deum, *Judæi* dicunt solitum *Abraham*, hospites ac peregrinos, qui sapius ad domum ejus divertebant, eo deducere, ut Deum ibi laudarent, & de rebus divinis colloquerentur, ac sacrificanti *Abrahamo* adessent. Hæc hujus loci fuere principia.

Postea narrat Scriptura *cap. 26* quod *Isaac* ex *Gerara*, iverit in *Bersabee*, & apparuerit ei Deus de nocte, dicens: *Ego sum Deus Abraham patris tui, noli timere, quia ego tecum sum, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum propter servum meum Abraham.* Ex his patet locum illum dictum *Bersabee*, seu puteum iuramenti, non tantum celeberrimum fuisse propter peregrinos illuc advenientes ut ibi colerent Deum, sed etiam sanctum, & ab *Abrahamo* Deo dicatum ut illic sacrificia offerret.

Ad hunc eundem locum, exemplo suorum majorum divertit *Jacob* dum proficisceretur in *Ægyptum*, & ibi sacrificium obtulit Deo, sicut fecerat *Abraham* avus ejus, & *Isaac* pater ejus: uterque ex mera devotione. *Jacob* vero ob rem maximi momenti quam habebat præ manibus. 1. ob longum ac difficile iter quod ipse jam senex centum ac triginta annorum confecturus erat: 2. ob iter veniebat Deo commendaturus, ne aliquid sibi suisque sinistri accideret. 3. Propter familiam, ut imploraret illi divinam protectionem: Timebat enim, inquit *Iosephus* historicus *lib. 1 Antiqu.* ne filiis suis, propter ubertatem *Ægypti*, ejus regionis amore captis, posteritas ejus non rediret in *Chananeam*, quod Deus promiserat futurum, ut Deum oraret ne vita excederet antequam

Deus refu-  
gium non  
strum,

*Iosephum* videret. Denique ut consilium voluntatemque Dei super ista profectioe exquireret, nimirum an illi esset grata : Cum ergo illo loco *Abraham* erexisset altare, & ibi Deum invocasset, propter magnam loci sanctitatem, in eo potissimum *Jacob*, super prædictis punctis Deum invocare, ac sacrificiis precibusque consulere voluit.

Hæc hominum piorum ac prudentium consuetudo est, semperque fuit, ut nihil magni incipiant, vel suscipiant, nisi prius consulto Deo, voluntatemque ejus exquirant quid facto sit opus, ut res felicem exitum possit habere : Sine hoc enim omnis noster conatus inanis est, & vana industria.

Ita inprimis magnus ille ac sapientissimus dux *Israëlitici* populi *Moyfes* vix quidquam magni momenti aggrediebatur quin prius consulere Deum, ut patet ex variis locis Scripturæ.

Rex *David* bellis intestinis & externis implicatus omne consilium suum capiebat à Deo, hinc tam feliciter omnia ei succedebant ut pœne quotidie materiam novam haberet gratias agendi Deo, hinc *Psal. 15* dicit : *Benedicam dominum qui tribuit mihi consilium*, ut vertit *Hieronymus*, imo tam multiplex erat materia ut alibi dicat : *Benedicam Dominum in omni tempore*, ut ostenderet, fuisse semper aliquid & omni tempore de quo ageret gratias Deo.

Sed ut propius accedamus ad nostra tempora : *Carolus V* Imperator, omnia sua communicabat cum Deo, adeo ut in aula & castris, & alibi passim audiretur : *Carolus cum Deo sapius quam cum hominibus loquitur*. Quid mirum si nihil unquam fuit quod non successerit ei ex voto, felicissimus inter omnes duces & Imperatores. Fregit exercitum sexcentorum millium *Turcarum*, bis *Solymanum Turcarum* Imperatorem, solo nominis sui terrore fugavit ab oblatione *Vienna*. Septuaginta bella fortiter suscepit, & feliciter confecit, urbes & castella supra centum millia interceptit, numquam prælio vel acie victus, quia cum Deo sapius quam cum hominibus loquebatur : In orbe novo octodecim præliis totidem reges debellavit. Denique nihil aliud hunc *Carolus*, Imperatorem, invictissimum, tot urbium triumphatorem, ac orbis domitorem effecit, quam quod sapius cum Deo, quam cum hominibus loqueretur : Per omnem quippe vitam divinæ rei, Deum consulturus, intererat ; Quotidie per duas horas summo mane cælestem aulam mente adibat, duas item sero vespere cum Deo loquebatur.

*Jacob* etiam consuluit Deum, iterque suum in *Aegyptum* illi commendavit: Quam feliciter hoc illi successerit, jam audiamus.

Audivit Deum, inquit Scriptura, per visionem noctis vocantem se, & dicentem sibi: *Jacob, Jacob, cui respondit: Ecce adsum. Ait illi Deus: Ego sum fortissimus Deus patris tui: Noli timere, descende in Aegyptum, quia in gentem magnam faciam te ibi: Ego descendam tecum illuc, & ego adducam te inde revertentem. Ioseph ponet quoque manus suas super oculos tuos.*

Non diu distulit Deus *Jacobi* pietatem remunerare, dormientem excitavit, & bis illum nomine suo appellans, ne timeas, inquit: Forte *Jacob* Deo in particulari proposuerat ea quæ nominatim timebat. 1 ne quid, in extrema illa senectute, iter arripiens in *Aegyptum*, tamque numerosa oneratus familia, adversi pateretur. 2 ne posterius ejus in *Aegypto*, regione plena idolis ac superstitionibus, ad idolorum cultum seducerentur. 3 ne capti deliciis regionis numquam inde vellent reverti in patriam, adeoque Dei promissa negligenter. 4 ne moreretur in via antequam suum *Ioseph* videret.

Noli, inquit Deus, quidquam horum timere, certum te reddo nihil horum futurum, & ad singula sibi à *Jacob* proposita Deus respondit: Noli, inquit, quidquam adversi timere in via, ego enim sum Deus fortissimus, ego defendam te: Noli timere posteros tuos in *Aegypto* declinatueros ad idola: Quia ego faciam te ibi in gentem magnam, illa erit gens tua, serviens mihi ut tu. Noli timere quod numquam sint reversuri in patriam, ego enim suo tempore ex *Aegypto* illos eò deducam. Noli timere quod non sis visurus *Ioseph*, claudes enim illi oculos ejus. Denique nihil prorsus habes quod timeas, quia ego met descendam tecum in *Aegyptum*.

Ergo omnia salva sunt: Si enim Deus pro nobis quis contra nos? sciebat hoc vir quidam integerrimus, & sanctimonia notus, hic cum interrogaretur quid maxime in orbe timeret? respondit: Nihil, nihil timeo: Non times ergo, inquebant, angores conscientiae? non timeo, inquit: Non times mortem? non, inquit: Ergo non times diabolum? non amplius, inquit, quam canem mortuum. Quid? nec times etiam poenas inferni? nec illud: non times tyrannos & tormenta? nihil eorum timeo. Deum saltem times: Deum, inquit, non timeo, sed amo: Denique nihil timeo sub sole, nec supra solem, nihil est in toto orbe quod timeo: Si fractus illabatur orbis, impavidum ferient ruinae. Si enim Deus pro nobis quis contra nos? quid nobis nocebit?

Tunc cœpit singulorum rationem reddere. Non timeo, inquit, egestatem, nuditatem, famem, sitim, aliasque miseras, quia mala esse non possunt nisi malis, ipse filius Dei pauper fuit, sitivit, esurivit, & nudus expiravit in cruce. Non timeo dolores & morbos, hæc enim humilitatem nos docent, & filius Dei etiam in maximis doloribus fuit. Infamiam & maledicta non timeo, quia non possum magis contemni aut irrideri quam Dei filius: mortem non timeo, quia mors est ingressus ad vitam, & omnes amici Dei, & mater Dei, & filius Dei etiam mortui sunt. Diabolum non timeo, quia latrare potest ut canis ligatus, mordere non potest, & quo magis me vexat, hoc arctius Deum meum complector: Infernum non timeo, quia damnari non possum si Dei amicus sum. Denique quo magis quis patitur, affligitur, tentatur, eo magis Deus cum illo est, ipse enim dixit: *Cum ipso sum in tribulatione* ipse dixit: *Propter eorum sum in tempore tribulationis*. Si moriar, volo mori amicus Dei, ergo ipse mihi aderit in morte ut deducat me ad fontes aquarum viventium. Quid ergo timeam si Deus mecum est? *Si Deus nobiscum quis contra nos?* & tamen valde timeo: Quid ergo times? peccatum, quia cum peccantibus Deus non est, ubi autem ipse non est, nihil est quod homo non timeat.

Misericordia Dei.

Hic tamen non obstantibus magno solatio peccatoribus est quod ait *D. Ioannes 1. cap. 2. Filioli mei. Si quis, inquit, peccaverit, advocatum habemus Iesum Christum, ipse est propitiatio pro peccatis nostris*. Ad illum peccator confugiat, ut nihil timeat.

Audistis ubi & quando Deus dixerit *Jacob: noli timere*: Scilicet illo loco ubi fundebat preces, & quando sacrificiis colebat, & propitiabat Deum. Ibi omnem illi timorem excussit. Habemus & nos, inquit *Paulus*, altare, habemus & sacrificium, habemus & victimas, quorum victimæ & sacrificia *Jacob*, tantum erant figuræ, ergo si *Jacob*, suis sacrificiis Deum sibi propitium reddidit, ut illi diceret, nihil habes quod timeas, quid mirum si per sacrosanctum Missæ Sacrificium, tota se effundat Dei misericordia, & immensus erga homines amor? habent vel ipsi peccatores in illo sacrificio & sacrosancta Eucharistia quo secure confugiant, & in illorum solatio illis dicatur: *Nolite timere*. Ibi enim quo magis crescunt nostra delicta, eo vehementius Dei amor accenditur, & ut ait *Paulus*, ubi hominum abundat iniquitas, ibi *Christi* abundat & gratia.

Hoc

Hoc apertè olim *Iudeis* demonstratum est in figura. Eo insaniam illi procellerant ut suo Deo relicto, pro diis vitulos adorarent, Deique irati meritum supplicium cum extrema tam ingrata gentis everfione timeretur. Interea, inquit *David Psal. 77 Januas celi aperuit, & pluit illis manna ad manducandum.* Hæccine, Domine, sunt illa fulgura, quæ tu ira succensus in ultionem tam scelerati populi jacularis de cælo & illosne cælesti epulo, omnem suavitatis saporem habente, pascis, quos vides tibi tam perfidos, rebelles, ac proditores? Barbara illa & adultera Synagoga te dereliquit Deum suum, patrem suum, sponsum suum, & *ivit post amatores suos*, inquit *Oseas cap. 2* cucurrit post idola Gentium impiarum: *Propter hoc*, ait Dominus: *Quid facies, Domine? trades illos æternis ignibus comburendos?* non, inquit, sed *propter hoc ego lætabor eos*: Non agam judicem, sed ut matrem me geram, illosque pascam lacte meo, manna de cælo demisso, reficiam illos epulo corporis & sanguinis mei. Hoc est quod *Paulus ait 1 Corinth. cap. 11. Iesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & calicem, & dixit discipulis suis, comedite, hoc est corpus meum, bibite, hic est sanguis meus.* Cum jam patibulum illi erigeretur, cum tota *Ierofsolyma* conspiraret in ejus necem, tunc maxime explicavit suum amorem; iisdem à quibus tradebatur, suum corpus in cibum dedit, sanguinemque in potum, ut lactaret etiam peccatores: Illa nocte, inquit *Theophylactus*, qua mactandus erat, *Judam* proditorem mensæ accumbentem habuit, & pretiosum corpus, inquit *Theodoretus*, & sanguinem impertivit. In *Juda* proditore omnes peccatores accipiens vincit in bono malum, & bonum pro malo rependit, & benefacit iis à quibus odio habetur. O miram amoris dulcedinem! nutrimur sanguine quem effudimus, vescimur corpore quod occidimus. Noli timere, *Jacob*, noli timere peccator, habes quo confugas: Qui enim manducat hunc panem, & bibit illum sanguinem vivet in æternum, merito times dum peccasti, quia nihil in orbe timendum est præter peccatum, sed admove labia tua ad lac illud divinum accede, & offer in animo contrito sacrificium istud Deo, contritis misericordiam cibis est, & nihil est quod amplius timeas.

Pergit Scriptura: *Surrexit*, inquit, *Jacob à puteo juramenti, tulerruntque eum filii cum parvulis, & uxoribus suis in plaustris quæ miserat Ebarao ad portandum senem*: omnes numero sexaginta sex.

DISCUR-



## DISCVRSVS XXV:

*Ioseph occurrit Patri suo in via, & Iacob ingreditur Ægyptum.*

**J**Am Iacob præmiserat *Iudam* filium suum ad *Ioseph*, ut nuntiaret ei patris adventum. *Iudam*, inquit *Procopius*, misit præ cæteris, quia specimen dederat probitatis & prudentiæ suæ qua defenderat *Benjaminum*, ne tamquam furti reus à *Ioseph* in *Ægypto* detineretur, quando in ore sacci ipsius deprehensus fuerat cyathus *Ioseph*. Deinde quod gratissimus esset *Iosepho*, quia jam olim fratribus vim parantibus, factum dissuaserat, & *Iosephum* servarat à morte.

Ubi *Ioseph* intellexit patrem advenire, statim junxit currum suum, & processit obviam patri suo, *vidensque eum*, inquit Scriptura, *irruit super collum ejus, & inter amplexus flevit*. Diu flevit habet textus *Hebraicus*, flevit fletu multo, habent septuaginta Interpretes. Statim enim, inquit *Chrysostomus*, in mentem illi venerunt, quæ patri propter illum acciderant, & cogitans tam prolixum intercessisse tempus, & quod præter omnem expectationem, & ipse patrem, & pater ipsum videret, fontes emisit lacrymarum, simul & magnam declarans læticiam, & gratias agens pro benefactis.

Non narrat *Moses* quid dixerit filius, quid dixerit pater, quis enim verbis posset exprimere quibus affectibus Verborum se mutuo exceperint: Quis non dicat *Iosephum* inter amplexus exclamasse: O amantissime pater! tune ibi es? venisti tandem? te-ne video ad quem toties suspiravi? propter quem tot lachrymas fudi quando mihi videbar te videre in summo luctu propter absentiam meam, & nescires ubi essem: Ecce me, ecce hic filium tuum *Ioseph*, cor meum deficit præ amore quando te video. Verosimile etiam est patrem exclamasse. O *Ioseph*, fili mi, ô me felicem cui non contigit prius mori quam te viderem: Jam libenter moriar, habeo summa votorum, sufficit mihi quod te viderim; sic enim ait Scriptura illum dixisse. *Iam letus moriar quia vidi faciem tuam, & superstitem te relinquo.*

Tunc *Ioseph* conversus ad fratres suos, & ad omnes præsen-

tes:

tes: Ascendam, inquit, & nuntiabo Pharaoni, dicamque ei: Fratres mei & domus patris mei qui erant in terra Chanaan, venerunt ad me, & sunt viri pastores ovium, curamque habent alendorum gregum; pecora sua & armenta, & omnia que habere potuerunt, adduxerunt secum: Cumque vocaverit vos, & dixerit: Quod est opus vestrum? Respondebitis: Viri pastores sumus servi tui ab infantia usque in presens, & nos, & patres nostri. Hac autem dicetis ut habitare possitis in terra Gessen, quia detestantur Aegyptii omnes pastores ovium. Ratio hujus erat quia pastores solent occidere & comedere carnes suarum ovium & pecudum quas Aegyptii pro diis colebant: Alebant tamen Aegyptii oves & boves, non ad esum, sed ad lanam & lac. 2 ad suam oblectationem 3 ad stercorationem agrorum 4 ut aliis gentibus eos divenderent.

Post haec, inquit Scriptura, introduxit Ioseph patrem suum ad regem, & stetit eum coram eo; & interrogatus ab eo: Quot sunt dies annorum vita tua: respondit; Dies peregrinationis mea centum triginta annorum sunt parvi, & mali.

Tria hic dicit Iacob I. dies suos vitae vocat dies peregrinationis 2 dicit illos esse parvos 3 esse malos; singulas partes expendamus.

1 Vitam nostram esse meram peregrinationem, clamant Scripturae & Patres. Scripturae 1 David Psalm. 38: *Advena, inquit, peregrinatio est.* 2. Salomon 1. Paralip. cap. 29: *Peregrini sumus, & advena sicut omnes patres nostri.* 3. D. Paulus 2 Corinth. 1b. cap. 5. *Peregrinamur à Domino.*

Eodem modo procedunt etiam Patres D. Augustinus, inquit: Hac vita super terram est habitatio peregrinationis, D. vero Clemens Alexandrinus lib. 4 Stromat: ait: Vitam hic agimus sicut hospites in diversoriis. Denique Olympius Monachus vir sanctus, rogatus ut vitae sanctioris documenta traderet, dixit: Ubique cogita te peregrinum esse.

Non multis opus est hoc ratione ostendere, res ipsa patet per se. Quis enim est peregrinus? qui extra patriam iter facit, & nulli figit stabilem sedem, sed assidue suum iter profequitur, donec in patriam redeat. Certum est nos esse extra patriam, non enim habemus aliam patriam nisi caelum ubi pater noster habitat cum omnibus sanctis, qui sunt sorores nostrae, & fratres, Patria nostra, inquit Augustinus, caelum est.

2 Certum est, & patet oculis, quod hic in mundo non habemus, ut inquit, *Paulus Hebr. cap. 11, manentem civitatem*, propterea, inquit, omnes illi antiqui Patriarchæ *Abel, Henoch, Noë, Abraham, Isaac, Jacob*, à longe aspiciēbant, & salutabant cælum, confitentes quia hospites & advēnæ erant supra terram, & re ipsa hoc patuit, omnes enim isti, inquit, defuncti sunt, & alio migraverunt.

Hinc probat *Augustinus serm. 31 de verb. dom*: omnes homines peregrinos esse: Omnes, ait, peregrini sumus, & unusquisque hic etiam in domo sua hospes est: Nam si non est hospes, non inde transiret, si transiturus est, hospes est, velit, nolit, hospes est, dimittet domum suam filiis suis, hospes hospitibus. Cessit tibi locum pater tuus, tu cessurus es filiis tuis: Sic omnes transimus.

3 Hoc est quod *Salomon ait Ecclesiasticis cap. 1: Generatio præterit, generatio advenit*: Denique omnes morimur, hoc est, migramus, & alii in locum nostrum succedunt ut etiam suo tempore, & post peregrinationem peractam si bene vixerint, in patriam redeunt. Tota ergo vita nostra, inquit *Gregorius lib. 23 Moral. cap. 24*, non est nisi via ad cælum.

3 Istam viam seu iter cogimur nolimus velimus assidue proficui, numquam & nullibi quies. Hoc ipso momento quo pedem ex utero matris ponimus in mundo, procedendum est; natura enim quasi auribus nostris silenter insuffurat, transi, transi, non licet hic stare, ne quidem uno momento, nullum enim transit quo non progredimur, fluunt horæ, fluunt dies, fluunt menses, fluunt anni, & nos pariter transimus assidue, sine ulla quiete, cum illis: Imo non tantum transimus sed velociter currimus: Sicut enim nihil est velocius tempore, sic nihil est velocius nostro itinere: Quando enim ad metam pervenimus tunc primum videmus totum vitæ nostræ tempus avolasse sicut volat sagitta vehementi manu excussa ex arcu, sicut navis plenis velis ac ventis transvolans mare, sicut veredarius citato equo currens, magnam viam brevissimo tempore conficit.

Ex hisce clare patet nos omnes in hoc mundo verè peregrinos esse, sumus enim extra patriam, non habemus stabilem sedem, denique nullum momentum est à primo nativitatæ nostræ, usque ad ultimum vitæ quo non simus in via, & iter nostrum proficquamur.

quamur: Si ergo volumus pervenire in patriam, debemus nos gerere sicut peregrinos.

In primis qui se accingit itineri, debet esse paratus ad quævis incommoda toleranda. Si decidant nimbi, grando, nix, si tonet, si fulminet, si viæ sint fractæ, lutosæ, lubricæ, difficiles, imbeciles, patientia, debet perfringere, nihil debet curare, hæc enim & plures aliæ miseriæ, tristesque casus, ut equorum vel currum lapsus, fractio brachii, dormire in stramine, ægrotare, expectanda sunt à proficiscentibus, ac peregrinis.

Quam difficilis sit via vitæ nostræ, quot referta incommodis ac miseriis, quotidiana experientia patet. Peregrinus es, quid ages? prosequendum est iter, prosequendum est iter, nullum datur tempus quiescendi: Ergo patientia, non est alius modus. Dum in media via es, obruunt te nimbi doloris, venti tentationum, patientia, peregrinus es, eundum est. Irruunt in te grassatores, spoliant te, facis jacturam bonorum, multa pateris ab hostibus tuis, patientia, eundum est: Currus tuus quo vehebaris, in terram dejicitur, & tu in lutum, deturbaris ex tua fortuna quæ te evehebat supra cæteros, & ad viliores conditionem redigeris, quid ages? patientia, peregrinus es, prosequendum est iter. Incidis in morbum diuturnum atque molestum, cibi non sapiunt, non potes dormire, pateris magnos dolores, fortasse non habes qui te consolentur, aut non ministratur tibi ut velles, patientia, debes cogitare quod peregrinus sis: Nihil juvare te possunt murmurationes, nec colera, nec impatientia, quo enim magis murmuras & impatiens es, eo magis gravis iter tuum, non potes illud retardare, non potes retrocedere, non potes alio divertere, quocumque enim te vertes, nullibi invenies nisi vias difficiles, & plenas incommodis ac difficultates, ergo patientia, fac ut magno animo omnia ista perrumpas, postea confecto itinere quiesces in patria: Ibi depones omnia onera & sarcinas quibus onustus incedebas in via. Quis unquam multum peregrinatus est qui non possit narrare illa incommoda, & miseriæ quas in itinere passus est, si viæ erant commodæ, si societas bona, si commodi currus vel naues, si suppetebat pecunia, si deerat morbus, alibi deerat cibus, alibi lectus, alibi diverforum, alibi alia: Quid ergo nos conquerimur si multa nobis desint in via in qua positi sumus à Deo, peregrini sumus, non possumus difficultates evadere, ergo

X 2

tolerandæ

toleranda sunt, & animose pergendum eo quo tendimus.

2 Viatori non licet multum hærere aut morari in via, si enim incipiat tempus suum terere ut vel oblectet se camporum amœnitate, vel potando cum focis donec sol vergat in occasum, ubi veniet ad terminum, inueniet portas urbis clausas. Sic plurimi quando tædio difficultatum quæ occurrunt in via hujus vitæ, fallacibus hujus mundi bonis inhærent, de patria parum solliciti, inuenient portas cæli clausas, & audient quod dictum est virginibus fatuis: *Clausâ est janua*, sero venistis, non datur ingressus. Hoc est quod *D. Gregorius* ait *Homil. 14 in Euang.* stultus, inquit, viator est, qui in itinere amœna prata conspiciens obliuiscitur ire quo tendebat, & clausa est janua.

Vita no-  
stra breui-  
tas.

Hoc primum est quod nos docuit *Jacob* cum diceret *Pharaoni*: *Dies peregrinationis meæ centum triginta annorum.*

Sed hoc mirum videtur quod illos dies vocaret *paucos*; *pauci*, inquit, sunt, hoc est, *breues*: At quomodo pauci aut breues cum esset centum triginta annorum? miraris hoc? audi ergo quid dicat Scriptura *Eccles. Cap. 18. Numerus dierum hominum*, inquit, *ut multum centum anni; quasi gutta aque maris deputati sunt, & sicut calculus arena, sic exigui anni in die ævi.* Quid ergo sunt anni nostri? *lappillus arenarius*, & *guttula maris*: Audi *Senecam Epist. 77.* Nulla vita, inquit, non brevis est: Nam si ad naturam respexeris, etiam vita centum annorum brevis est. Audi nunc *Augustinum*: *Recole*, inquit, annos ab *Adam* usque ad hodiernum diem, percurrere scripturas: *Heri pœne Adam* ille de paradiso lapsus est: *Ubi enim sunt præterita tempora?* si toto illo tempore viveres, ex quo *Adam* de paradiso dimissus est, usque in hodiernum diem, certe videres vitam tuam non fuisse diuturnam quæ sic volasset: *Unius autem conjugis hominis vita quanta est?* adde quantos libet annos, duci longissimam senectutem, quid est? *aura matutina*, *guttula roris*.

Audiamus denique *Gregorium magnum Lib. 15 Moral. Cap. 19.* *Omnis*, inquit, *longitudo vitæ præsentis punctum est, cum fine terminatur. Vitam enim ire non advertimus, sed transisse sentimus: In ictu oculi clauduntur omnia.*

Peto ego à te quisquis es, quod *Pharao* petebat à *Jacob*: *Quot sunt dies annorum vitæ tuæ?* Dic mihi quot annorum es? *sexaginta*; & tu? *septuaginta*: Et tu? *octoginta*: O amici mei! *Ubinam sunt vestri illi anni? ubi reliquisti tuos sexaginta, septuaginta annos?* & ubi

ubi tu octoginta tuos invenies? præterierunt omnes illi quasi numquam fuerint: Et numeratis illos inter vestros annos quos non habetis? tuum non est quod jam præterit, nec tuum est quod futurum est, quia non est in tota rerum natura reperibile; & nescis in aliquando futurum sit: Ergo hoc solum tuum est quod jam habes, & quo vivis, quid illud est? nihil aliud nisi unum minutum, numquam enim potest esse præsens nisi unum minutum, atqui non vives nisi illo tempore quod res ipsa præsens est, ergo numquam vixisti, nec vives nisi uno minuto. Nondum vides quam brevis sit hominis vita?

Hicce accedit, quod magnam vitæ partem non vivimus, ut ait *Publius* antiquus Poëta *Exigua pars est vita quam nos vivimus*: Vita enim hominis rationalis non consistit in diuturnitate temporis, sed in tempore bene honesteque impenso, nam impie vivere, non est vivere, sed esse in vita: Sic enim ait *Seneca* qui octoginta annos male impendit, non vixit tot annis, sed fuit, nisi si dicatur vixisse sicut arbores vivunt, sine sensu.

Sed audiamus quomodo vir quidam doctus calculum vitæ iniciit: *Vixit*, inquit, *homo*, octoginta, haud plus communiter annis.

*Ex quibus ille decem in mensa, potuque ciboque,*

*Ac totidem ludo, viginti insumere somno*

*Dicitur, atque novem & septem puerilibus annis*

*Nil operæ faciunt, dein morbis, quatuor, Ergo*

*Qua studeat Musis, studeat quæ rebus honestis*

*Illi quarta datur totius portio vitæ.*

Eccæ quam exiguum nobis relinquitur quod nostrum est. Quemadmodum qui in navigiis dormiunt, celerrime aguntur à ventis, etiam si nihil sentiant, cum evigilarint, mirantur jam se in portu exponi: Ita vitæ nostræ cursus properat, provehimur velocissime, dies & anni recedunt, nos interim dormimus, & nihil agimus, aut malum agimus, cum ad meliorem vitam evigilandum est, miramur nos perductos ad exitum. Denique ut uno verbo absolvam omnia, non tantum brevis est vita nostra, sed etiam nihil respectu æternitatis. Optime ergo *Pharaoni* dicebat *Jacob*, quamvis esset centum triginta annorum, pauci sunt dies mei. Interea hæc tanta brevis vitæ ita rapit & oblectat quam plurimos ut vix unquam cogitent æternitatem numquam finiendam.

Denique *Jacob* dies suos vocat malos, hoc est plenos miseriis ac doloris,

doloris, sic enim malitia sapissime sumitur in Scriptura, non pro peccato, sed pro poena: Tota enim vita *Iacobi* ab incunabilis fuit exercita gravibus variisque adversitatibus, periculis, persecutionibus, calamitatibus, & laboribus.

Vita nostra  
sua miseria.

Hoc de quovis homine dici potest: Dies cuiusque pauci & mali sunt: Sic enim de omni homine ait *Iob* Cap. 14. *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis. Qui quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut umbra, & numquam in eodem statu permanet.*

Bene dicit *Iob*, quod homo repletur multis miseriis, nulla enim sui parte ab illis est liber. Quot miseriis habet in corpore? sitim, famem, incommoda frigoris, aestus, paupertatis, morborum innumera genera, tot mortis species quæ illi singulis horis possunt obvenire. Quot miseriis habet anima? vitia, ignorantiam, perturbationes, timores, dolores, iram, anxietates &c. Denique factus miseriarum est. Hinc cum primum prodit in mundum, quasi si præsciret ac præsentiret se venire in vallem lacrymarum, & locum miseriarum, primam vocem, inquit *Salomon*, emittit plorans. Poterat, inquit *Augustinus* in *Psal. 121*. ridere puer qui nascitur, quare ergo plorare jam novit? quia coepit ire in istam vitam, & prophetat hoc modo, quantæ illum miseriæ maneant.

Merito, inquit *Clemens Alexandrinus* in *Cap. 1. Iob*, ubi infans utero extulit caput, statim à lamenti inceptit, non à risu, simul enim ac in lucem editus est, pedes manusque fasciis constringitur, & vinculis impeditur, cum pullus gallinæ ovo exclusus matrem sequatur & necessaria sibi conquirat.

Præterea, inquit *Plinius* in *Proem. Lib. 7. Hist. Natur.* Natura cæteris animantibus tegumenta tribuit, testas, coria, villos, fetas, plumam, pennas, squammas, lanam: Truncos etiam arboreosque, cortice interdum gemino à frigidibus ac calore tutata est: Hominem tantum nudum, & inermem, abjicit ad vagitus statim & ploratum, nullumque aliud animalium ad lacrymas. Cætera statim sua pernicitate utuntur, alia volant, alia natant, homo nihil scit, non ingreditur, non loquitur, non vescitur; ab hisce miseriis omnes vitam ordimur.

Ex hisce tam arduis rudimentis progredimur ad adolescentiam: Et hic quæ non tædia & fastidia, qui labores in studiis, in artibus liberalibus, & servilibus exantlandæ sunt? quæ objurgationes, aspera

aspera verba, & verbera toleranda? quot pericula corporis, & animæ subeunda?

Crescentibus annis, crescunt miseriæ; alii se conjugio applicant, & multi nesciunt se intrare in miseriarum omnium officinam, ubi tamen aliæ ex aliis gravissimæ cruces cuduntur, cruces, inquit *Seneca de Consol. Cap. 20.* non unius generis: Cruces ab uxore, cruces à marito, cruces à filiis, cruces ab alijs domesticis, cruces à bonis temporalibus, cruces à consanguineis, cruces in partu, cruces in educatione, cruces in continua cura, ac sollicitudine. Denique quid opus pluribus? Vos ipsi experimini, nullam esse familiam aut domum quæ undequaque non sit repleta ejusmodi miseriis.

Nihil ad hoc juvant divitiæ, nihil honores, multo minus voluptates: Non divitiæ, ut enim ait Philosophus *Seneca Epist. 117.* Majori tormento pecunia possidetur, quam quaritur: Magno labore & sudore colligitur, majori cura, anxietate, & tormento possidetur, summo dolore amittitur.

Nihil etiam juvant honores ad sublevandas miseras, ut enim ait *Seneca de Brevit. vite Cap. 1.* omnis honor est onus. Propterea cum Deus statuisset *Moysem* populi *Israelitici* ducem, graviter conquestus est *Moyse* *Numer. Cap. 11.* dicens: *Cur afflixisti servum tuum? cur imposuisti pondus univ[er]si populi super me?* hoc est, inquit *Abulensis*, onus intolerabile, quod gravius morte. Expertus hoc idem erat *Carolus V.* idcirco cum *Bruxella* principatum *Belgii*, transferret in filium suum *Philippum II.* illacrymans dicebat: O fili! magnum tibi onus impono: Ego enim toto tempore principatus mei, nunquam quadrantem horæ, magnis curis, & anxietatibus vacuam habui.

Denique multo minus juvant voluptates, quia post illas sequitur remorsus & cruciatus conscientiæ, tormentorum omnium maximum.

Quod si tantæ miseriæ inter ipsas divitias, honores, ac voluptates, quot ergo, & quantæ erunt extra illa? Hic vides quam mali aut miseri, vitæ nostræ dies sint prout *Pharaoni* dicebat *Jacob*, vel ut audivimus *Jobum* dicentem: Homo totus quantus est, est repletus miseriis.

Cui statim subjungit: *Quasi flos egreditur, & conteritur*, hoc est, totus homo præterquã quod, repletur miseriis, hæc tota ejus vita, est egredi, & conteri. Hoc jussit Deus etiã proclamari ab *Isaia*: audiebat hic



hic propheta vocem resonantem de cælo: *Fili hominis, clama: Quasi diceret: Illud quod tibi dicturus sum, volo te, non in aliquo angulo, sed in publico, non in aliquo obscuro gurgustio, sed in celeberrimo theatro, non submissa voce, sed valido clamore, non aliquibus, sed omnibus omnino annuntiari. Quid clamabo, Domine? clama: Omnis caro fenum, & omnis gloria ejus, quasi flos agri, exsiccatum est fenum, & cecidit flos.*

Hoc est, tam fragilis & futilis, & caducus est homo, cum omni qua fulget gloria, cum omni sua dignitate qua floret, cum omni auctoritate qua eminet, cum omni potestate qua pollet, cum omni opulentia qua abundat, cum omni scientia qua se jactat, cum omni apparatu mundi quo tumet, ut afflatu minimo minimi venti corruat, & conteratur.

Hoc unum habet, egredi & conteri, ut ait *Iob*; Hujus rei symbolum est flos ille qui à *Plinio* vocatur *Hemerocallis*, cujus vita & pulchritudo non amplius durat quam uno die, nam teste *Plinio*, cum sole oriente oritur, meridie expandit folia, vesperi marcescit, cum sole occidente occidit, & moritur: Talis flos est homo, egreditur, & conteritur.

Quis hic non exclamat? ô Juvenes atque puellæ! Illa tua caro quæ in capite vestitur crispis capillis, in vultu pingitur pulchro colore, quæ in ore gerit labia instar coralli; illa caro quæ induitur serico, ornatur gemmis, cujus auribus insonat quidquid jucundum est, oculis dulce quidquid gratum est, linguæ quidquid dulce & sapidum est, toti corpori quidquid molle & delicatum est, non est nisi flosculus, expectate paulisper, brevi de vobis dicetur, *cecidi flos*. Sic, inquit Poëta *Theocritus*: Rosa pulchra est, sed brevi tempore tabescit, viola pulchra est, sed statim senescit, candidum est lilium, sed cito marcescit & decedit.

Sic pereunt honores, sic pereunt voluptates, sic denique pereunt omnia. Hodie sumus validi, cras ægri, perendie mortui, deinde sepulti, paulo post exesi à vermibus, tandem conversi in cineres, eodemque sæpe & temporis momento, & loci puncto, & exhalamus animam, & calente adhuc corpore stamus coram Judice, & accipimus sententiam decretoriam, nosque prius ad æternitatem miramur abreptos, quam metuebamus abripiendos. Sic uno momento stamus, altero cadimus, uno valemus, altero rigemus, uno vivimus, altero morimur. O momentum à quo dependet æternitas!

Post.

Postquam *Jacob* egisset cum rege, valedixit illi, seu, ut loquitur Scriptura, benedixit regem, & discessit.

## DISCVRSVS XXVI.

*Fame in dies crescente Iosephus vendit frumenta.*

Inter hæc, inquit Scriptura, *in toto orbe deerat panis, & oppresserat fames terram maxime Egypti & Chanaan*, aliarumque regionum circumiacentium; deficiente ergo ubique propter terræ sterilitatem, frumento, accurrebant undequaque infiniti mortales ad *Ioseph*, qui tota *Egypto* habebat horrea plena, ut numerata pecuniâ frumenta coëmerent, quam ille inferebat in regis ararium, non se, sed regem ditiozem efficiens, dicit enim claris verbis Scriptura, *omnem pecuniam intulit in ararium regis*, ergo nihil prorsus sibi reservato.

Hanc admirabilem *Iosephi* integritatem, & in administrando munere sanctitatem admiratus *Philo Iudæus*, sic eum describit *Lib. de Ioseph*. Juvenis tanta fide usus est in administrandis negotiis publicis, ut cum ratio temporum plurimas occasiones ei præberet ad congerendam pecuniam, potuisset facile ditissimus sui seculi evadere: Sed totum argentum aurumque è frumenti pretio collectum referens in thesauros regios, ne drachmâ quidem subtraheret, contentus donis quibus eum rex remunerabatur.

Oportet nos super hac re fusius audire discurrentem maximum è Societate nostra Theologum, doctissimumque scriptorem, & maximæ auctoritatis virum, *Benedictum Ferdinandum in Cap. 47 Genes. Sect. 2.*

O *Ioseph*, inquit, virum omni ævo memorabilem! non magis castum in declinanda muliere tentatrice, quam in contemnenda pecunia, & opum cupidine comprimenda! Sapenumero enim contingit, ut qui puro sunt corpore, sordidi sint pecuniâ, & quos libido carnis expugnare non potuit, pecuniæ cupiditas subjugarit. Certum est enim & experientia constat illud quod ait *Ambrosius Epist. 7.* Pecunia plerumque sibi dominos emit. Sicut qui servulam emit, cuius amori turpiter servit, & captivus quasi tenetur: Sic pecuniam avarus conquirit, ut illius ancillulæ dominatui famuletur.

Y

Mira-

Miraculum fuit quod *Ioseph*, inter montes aureos, In *Egyptiorum*, *Chananeorum*, aliarumque gentium infinita pecunia, ex pretio frumenti divenditi corrogata, ne teruncium quidem sibi assumpsit aut reservavit. O quam alienus fuit vir ille à nostri ævi modo agendi! Quis enim tam fidelis, tam purus, hodieque regum tractat æraria, administrat opes, custodit pecuniam, ut nihil inde furripiat, nihil reservet? solisque regum stipendiis, ac donis contentus vivat? Quam multi nostra ætate, patrimonio pauperes, angusti familia, tenues substantia, multos annos vixerunt, qui tamen ubi primum à regibus, vel ad eorum tractanda negotia, vel ad reditus administrandos, procurandamque pecuniam electi, subito evaserunt ditissimi? splendidas domos ædificaverunt, regales villas construxerunt, opulenta coëmerunt prædia. Unde, obsecro ex corio regum: Exollantur principes, ut ministri pinguescant!

Memini me audire aliquando, & quidem à viris probatæ fidei, ab ipso met regis substantiæ ac reddituum procuratore, cum à ministris rationem exigeret, certo deprehensum esse uno vicennio, ob malignitatem quæstorum, aliorumque ejusmodi ministrorum, ærario regio ultra septem milliones detractos fuisse. Hactenus vir ille de *Lusitania* ubi scribebat & concionabatur: An omnes in Belgio, vel alibi, *Iosephi* sint, non audeo dicere, hoc aliis relinquo.

Scriptura suam narrationem profequitur, & ait: Deficiente pecunia, & fame crescente, vendiderunt sua pecora *Iosepho*, pro frumento, illis etiam deficientibus vendiderunt possessiones suas, & sic subiecit *Ioseph*, inquit Scriptura, *Pharaoni totam terram Egypti, & cunctos populos, à novissimis terminis Egypti, usque ad extremos finis ejus, præter terram Sacerdotum quæ à rege tradita fuerat eis, quibus & statuta cibaria ex horreis publicis tradebantur, & idcirco non sunt compelli vendere possessiones suas.*

*Sacerdotes  
h. morandi.*

Orem, inquit hic rursus *Benedictus Fernandus*, omni stupore dignam! tantæ venerationi apud infideles & barbaros erant dæmonum sacerdotes! audiant hoc, inquit *Chrysostomus Hom. 65 in Gen.* qui nunc vivunt, quantam olim curam sacerdotum idolorum habuerint, & discant quid respectus debeant sacerdotibus Dei.

Audiant quid fecerit *Pharao*, servavit terram sacerdotum suorum, imo tempore famis submitit illis cibaria ut honeste possent vivere, & videant illi præsertim Laici qui nunc vivunt quam sine ethnicis

ethnicis peiores qui Ecclesiastica bona conantur invadere. Raro eveniet, inquit *Fernandus*, ausim dicere, ut qui Ecclesiæ patrimonium vel impedivit vel diminuit, præpropera, & infelici morte non puniatur. Plenæ sunt exemplis historiæ, nihil hodie aut frequentius videtur, aut miserabilius lugetur. Vidimus nuper splendidum dignitate familiaque hominem in senatu regio, qui acrius ac vehementius quam par erat, religiosorum redditus, putans quidem obsequium se regi præstare, imminuere contendit, subito omnibus exemplum fieri; nam postquam multa probra passa erat ejus familia, purulentis corporis ulceribus exesus, miserandum in modum, cum negotium quod habebat præ manibus maximè urgeret, mortuus est.

Vidimus regium ministrum, qui bellum personis, & rebus Ecclesiasticis, periniquo zelo ductus, indixerat, atque ideo ab aliis laicis admonitus, ut sibi à divina vindicta caveret, cum jam felici exitu, ut putabat, munus deponens corideret cum amicis ob illorum vana terculamenta de Dei vindicta, repente in sella, sine ullo Christianæ fidei signo, expirasse. Plura alia habet *Fernandus*, contra laicos Ecclesiasticorum persecutores, quæ malim ab aliis legi, quam à me dici.

His ita constitutis ut per industriam *Ioseph* omnes *Agyptiorum* possessiones quas *Ioseph* vendiderant pro frumento, pertinerent ad regem, præter terras Sacerdotum, dixit *Ioseph*, inquit Scriptura, ad populos: *En, ut cernitis, & vos, & terram vestram Pharao possidet, accipite semina, & serite agros & fruges habere possitis: Quintam partem dabitis regi, quatuor reliquas permitto vobis in sementem, & cibum familiis & liberis vestris. Qui responderunt: Salus nostra in manu tua est. Respiciat nos tantum Dominus noster, & lati serviemus regi. Ex eo tempore usque in presentem diem in universa terra Agypti, regi quinta pars solvitur.*

*Habitavit ergo, subjungit Scriptura, Israël in terra Agypti, hoc est, in Gessen, & possedit eam, auctusque est, & multiplicatus nimis, & vixit in ea decem & septem annis, factique sunt omnes dies vitæ illius centum quadraginta septem annorum.*

## DISCURSUS XXVII.

*Iacob præ Senio lecto decumbit, & mandata dat filio suo Ioseph.*

**J**Am septemdecim annis habitaverat Iacob in *Agypto*, videratque gentem suam per filios suos, & filios filiorum aliquot centenis nepotibus multiplicatam, quando annis ac meritis gravis coactus præ senio decumbere lecto, vocavit, inquit Scriptura, *filium suum Ioseph, & dixit ad eum: Si inveni gratiam in conspectu tuo, pone manum tuam sub femore meo, & facies mihi misericordiam, & veritatem, ut non sepelias me in Agypto; sed dormiam cum patribus meis, & auferas me de terra hac, condasque in sepulchro majorum meorum: Cui respondit Ioseph: Ego faciam quod iussisti: Et ille: Iura ergo, inquit, mihi: Quo parante, adoravit Israël Deum, conversus ad lectuli caput.*

*Mors præveniendi debita dispositionibus.*

1. Hic notandum, quod Iacob, cum cerneret appropinquare diem mortis suæ, ut ait Scriptura, nondum æger, inceperit disponere animæ ac domus suæ. Magnum exemplum, pro illis patribus familias, qui dum adhuc sani sunt, negligunt condere testamentum, debita solvere, ordinare familiam, disponere de rebus ad illam pertinentibus, legata instituere, eleemosynas facere: Differo, inquit, hæc omnia ad mortis diem: Itane vero? tu ad illam horam differs, quæ inprimis tam est incerta ut nescias an mors te sit obruturam tam subito ut nec quadrantem horæ pro te sis habiturus? ad illam horam, cum jacebis inter mille angustias, cruciatus, & dolores propter lacrymas uxoris, filiorumque tuorum plorantium ac lamentantium? ad illam horam tam terribilem, quam multi jam nunc horrent cum tantum de illa cogitant?

Quid diceres, si alicui jam periculosum prælium aggressuro suaderet amicus, ut prius conderet testamentum suum, & ille responderet, se id facturum dum undique ad tubæ clangorem præliantium fiet concursus, inter medios vulnerantium & vulneratorum clamores, inter strepitus & fragores armorum, inter explosiones bombardarum ac tormentorum? numquid talem insanum diceres & amentem? Hoc tu ipse facis quando testamentum, & familiæ dispositionem vis differre usque ad illam horam, qua tuba illa insonabit auribus tuis, *veni ad iudicium*, qua diabolorum

rum fiet concursus ut contra te pugnent & animam tuam occidant, quâ erit strepitus amicorum tuorum intrantium & exeuntium, & fortassis clamores conscientia tua inquietæ, & non bene constitutæ.

Mittebatur quidem à Deo ad regem *Ezechiam*, cum jam æger decumberet, *Isaias* propheta, ut illi diceret: *Dispone domui tue, quia morieris tu.* Sed tantum abest ut luberet *Ezechia* illo tempore hoc facere, ut ubertim inceperit flere, dicit enim scriptura, *conversit Ezechias faciem suam ad parietem, & flevit fletu magno*, quod tam juvenis & in primo flore ætatis deberet mori: Hoc unum illi lubebat, lacrymari, & Deum orare ut vitæ suæ parceret; quas non deposuit apud Deum querelas, quos planctus non edidit ut vitam servaret: Clamabat ad Deum: *Obsecro Domine, memento quæse quomodo ambulaverim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonum est in conspectu tuo fecerim.* Hoc non erat disponere domui suæ, sed recensere merita sua, cum deberet deslere peccata sua; quid dicam? *Ezechias* horrebat mortem, optabat diutius vivere, dolebat se tam juvenem mori, hisce cogitationibus tam implicita erat ejus mens ut non posset cogitare de disponendo domui suæ: Si solus horror mortis hoc fecit, quid facient mille aliæ curæ quæ tibi fortasse occurrent in illa hora suprema.

Ergo providendum in tempore, & ne putes negotium istud non esse admodum magni momenti, tanti est (quemadmodum experientia constat) ut is qui in tempore non providet, sæpenumero causa sit, non sine culpa, & læsione conscientia, multarum litium inter propinquos, discordiarum inter sorores & fratres, denique turbationis totius familia: Et estne aliquis qui sic velit mori?

Quid dicam de illis qui totos annos currunt sine confessione, & communionem, & tamen quotidie graviter peccant? quid agis? differo donec res urgebit, & videro me periclitari de vita; spero fore ut Deus mihi tunc sit propitius. Male speras, quia nimium speras, scis enim innumeros tui similes aliquando fuisse, quibus tunc à Deo tempus pœnitendi non fuit concessum, & ut loquitur *Iob*, in puncto descenderunt ad inferos, quia tempus quod illis ad pœnitendum fuerat concessum in vita, neglexerunt, & si forte in morte ostenderunt signa externa doloris, sera pœnitentia, inquit *Augustinus*, raro est vera, pœnitentia autem sera est quæ differtur

differitur ad mortem; Hoc *christus* nos docuit parabolâ decem virginum, quarum quinque erant fatuæ, quæ totam vitam suam exegerant dormiendo ac dormitando, sed ubi ventum est ut ex hac vita discederent, tametsi viderentur velle agere poenitentiam, & lampades suas implere oleo contritionis, serius erat, propterea quando venerunt ad januam cœli, invenerunt illam clausam, vocemque intus audire clamantem. *Nescio vos: Ergo*, inquit *Christus*, *vigilate, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit*: Dispone domui animæ tuæ dum vivis, dum sanus es, nescis enim qua hora mors te occupabit, forte quando minime eris dispositus; & quid tunc erit? tunc tibi eveniet quod te poenitebit in æternum, quia suo tempore non poenitisti in vita. O Insaniam hominum! tu nullas prætermittis occasiones ut tibi bene sit in rebus secularibus, & omnes negligis ne bene sit animæ tuæ dum vivis, & propterea male, dum morieris.

2 In verbis *Iacob* hoc quoque nominatim notandum, quod dicit *Iosepho*: *Facies mihi misericordiam*, quam misericordiam? ut facias omnia quæ tibi imperabo, & ut certo hoc sciam, jurabis mihi te hoc facturum.

Noverat enim Sanctissimus Patriarcha multorum filiorum ingenia, qui parentibus dum vivunt, & in ipsa etiam morte multa & magna promittunt: Ubi vero oculos claudere parentes, ipsi memoriam claudunt promissis. Quis enim nescit inveniri non paucos, qui, quamvis multorum bonorum hæredes, vel ægerrime fuerunt tot pia legata pro pauperibus, aut templis, aut religiosis, in refrigerium animæ à parente confecta, vel de die in diem differunt ea complere, vel quod pessimum est, etiam interdum in disputationes & litem adducunt? alios qui debita relicta non solvunt, vel adeo tarde, ut creditores non exiguum inde damnum patiantur. Alios denique qui animæ parentum quæ forte jacent in purgatorio, adeo immemores sunt ut vix preces pro illis effundant, aut non curant fieri missas pro dignitate familiæ, tanto parciores erga defunctos parentes, quanto hi liberaliores fuerunt erga filios vivos.

De similibus audio *Davidem* dicentem *Psal. 48*. Divites, inquit, morientur, & relinquent alienis divitias suas. Qui sunt isti alieni? si enim heredes sunt, quomodo alieni sunt? & quis tam insanus, qui cum filios habeat hæredes, alienis divitias suas relinquet? *David* vult

vult dicere, esse aliquos filios qui heredes sunt, & tamen sunt alieni, eos scilicet qui sic se gerunt post mortem parentum ut respectu illorum non filii sed alieni, imo & hostes esse videantur, quando nec memoriam parentum conservant, neque honorant, nec illorum mandata exequuntur, & vix ulla pro illorum anima preces faciunt, quod ipsi alieni sæpè non facerent.

3 Notandum quod *Jacob* mandat *Iosepho*, ut defunctum corpus suum efferat ex *Egypto*, & sepeliat in sepulchro majorum suorum, in terra *Chanaan*, juxta *Abraham* avuum suum, & *Isaac* patrem suum, quorum sepulchra erant in *Hebron*.

Ratio autem propria, & juxta litteram, cur hoc *Jacob* mandarit, hæc videtur fuisse, quam assignat *Chrysostomus Hom. 66. in Gen.* Prævidebat, inquit, *Jacob* futurum ut *Israëlitæ* aliquando ex *Egypto* redirent in terram *Chanaan*, daturumque illis Deum terram promissam, & ut illos animaret ad reditum, voluit in illa terra juxta majores suos sepeliri, ut *Israëlitæ* tanto libentius eo redirent ubi sciebant majores suos esse sepultos.

Altera ratio moralis est, nempe quod sancti, etiam post mortem, horreant corpora sua jacere in societate peccatorum, & sua offensa, offibus illorum misceri; ideo dicebat *Jacob*: *Anferas me de terra hac, ne mortuus jaceam cum idololatriis, & hominibus impiis.* Hinc apparet, inquit *Oleaster*, tam noxia esse malorum consortia, ut justi non solum vivi, sed etiam defuncti cum eis commorari nolint; ubi recte hanc consequentiam facit *Tostatus*: Si justi, etiam mortui horreant societatem malorum tametsi non possint corrumpi, quid facient vivi, quibus vel unicus malus socius sufficit ut penitus corrumpatur? quid facient plures?

Confirmemus hoc ante omnia multis exemplis ex sola Scriptura petitis. Habitabat Patriarcha *Loth Sodomæ* inter nequissimos & impurissimos cives; quantum periculi adiit! Jam civitas, propter scelera, igne & sulphure erat comburenda de cælo. Veniunt missi à Deo angeli *Sodomam*, ut hoc *Lotho* denuntiarent: *Delebimus, inquit, locum istum, Surge ergo, & tolle uxorem tuam, & duas filias quas habes, & proripe te statim ex civitate.*

Sed ille non admodum festinabat. Ergone vir tam justus cunctatur egredi è medio scelerum? cunctatur, nescio quo modo id acciderit, accidit tamen: Etiam pudicis lubet *Sodomis* habitare urbe omnium impurissima. Odit *Loth* flagitium, & tamen à flagitiosis abduci

Societas  
male  
damna.



abduci non potest. Sic fit paulatim ut improbitatis confortium, etiam probis grave non sit. Imo necesse fuit ut angeli non tantum ipsius manum, sed etiam uxoris, duarumque filiarum apprehenderent ut eos quasi vi à civitate extraherent.

Viderat *Sara Abrahami* uxor ludentem filium suum *Isaac*, cum *Ismaele*, ancillæ suæ filio malè morigerato, verita ne *Isaac* ab illo corrumpere, & ancillam, & filium ejus, ejecit è domo.

Familiaris erat *Amnon Davidis* filius adhuc juvenis, *Ionadabo* viro non admodum Deum timente, qui illum artem docuit quæ fororem propriam ad secum peccandum alliceret.

*Core*, *Dathan*, & *Abiron* erant pessimi homines; Ideo *Moyfes*, non reliqui *Israëlis* ab illis seducerentur, clamabat. *Recedite à tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne involvamini in peccatis eorum.*

Quid plura? Tam animosus fuerat *Petrus* Apostolus in cœna, ut diceret *Christo*: *Etiamsi oportuerit me mori tecum, parvus sum & in mortem ire.* Sic loquebatur cum esset in consortio *Christi*. Paulo post, quasi in alium hominem mutatus, audio illum dicentem: *Non novi hominem*, audio illum jurantem & pejerantem, sed tunc erat in aula *Cayphe*, & sedebat in medio aliquot nebulonum. Quare appositè inquit *Paschasius Abbas in Cap. 26 Matth.* Considerandum est ubi neget *Petrus*, non in monte, ubi fuit cum Domino; non in templo, non in domo sua, non in Cœna, ubi erat cum Apostolis, sed in prætorio *Judeorum*; sic repente mutatur in alium hominem, quando conversatur cum improbis sociis: Sicut speculum tersum vel solo halitu inficitur, ita probus homo solâ improbi vicinia inquinatur. Sufficit, inquit *Scriptura Eccles. Cap. 13* vel picum tetigisse ut inquineris, tam contagiosa sunt mala exempla, & mali mores.

Unus *Judas* pessimus homo suo malo exemplo seducere potuit etiam reliquos Apostolos, viros alioquin bonos: Cum enim videret *Magdalenam* jacentem ad pedes *Christi*, illosque balsamo pretioso ungentem: *Ad quid*, inquit, *perdito hæc? quare hoc unguentum non vaniit trecentis denariis, & datum est egenis?* solus *Judas* murmurabat, inquit *Ioannes*: *Matthæus* vero dicit omnes discipulos murmurasse iisdem verbis quibus murmuraverat *Judas*.

*Judas* suo malo exemplo præiverat, mox reliqui illum secuti sunt. Vide quid, etiam in hoc sancto collegio, potuerit unius

unius hominis pravi consortium & exemplum.

Aliud adhuc in *Juda* reflexit *D. Ambrosius* in *Cap. 5 Luca*. Ascenderat *Christus* navim cum suis Apostolis quando orta est magna tempestas, ita ut esset periculum submerfionis; aderat *Judas*, inquit *Ambrosius*, & hæc erat causa periculi: Erat ibi *Simon Petrus*, sed aderat etiam proditor, & quamvis fides *Petri* fundaret naviculam, proditoris tamen perfidia eam turbabat. Tunc addit: Tranquillitas est ubi solus *Petrus* navigat, tempestas ubi *Judas* adjungitur; licet *Petrus* esset firmus suis meritis, perturbatur tamen criminibus *Judæ*; unius igitur delicto, cunctorum merita patiuntur. Tandem concludit *Ambrosius* hoc documento: Caveamus unicum proditorem, ne per unum omnes fluctuemus.

Miramur aliquando adolescentes prius innocentes, subito corruptos, unus improbus socius hoc fecit. Falsus est mihi, inquit quidam Scriptor egregius, adolescens quidam ex illustri familia se corruptum ab uno Ephebo, & instructum ad omnem spurcitiam: Novi, inquit scriptor, novennes ac decennes pueros ab ancillis seductos, in omnem vitam perditissimos extitisse: Numquid in dies qui in inferioribus scholis sub parentum ac Magistrorum disciplina debebant, morum innocentia, ac vitæ probitate conspicui, animum ad Religionem adjecerant, dum in universitatibus pravis sociis se adjungunt, Deo, æternitate, salute posthabitâ, popinas frequentare, ludere, totas noctes potando traducere, & in nuptias incidunt, ac pro dote, dolorem ducere domum, compertum est?

Propterea Deus *Numeror. Cap. 33*. Hoc mandatum dedit *Israëlitis*: Intrans terram *Chanaan*, disperdite cunctos habitatores illius terræ, confringite titulos, statuas comminuite, atque omnia excelsa vastate, mundantes terram. Ubi *Oleaster* recte advertit: Præcepit Deus, perdere titulos. 2. Confringere statuas. 3. Delubra Deorum, sed prius, inquit *Oleaster*, & ante omnia, omnes homines illius terræ occidere: Quare hoc? quia nihil citius, inquit, homines pervertit, quam alter homo.

Concludo cum Philosopho *Seneca Lib. 3. de Ira Cap. 8*. Sumuntur, inquit, à conversationibus mores, & ut quædam in contactos corporis vitia transfiliunt, ita animus mala sua proximo tradit: Impudicorum cætus fortem quoque & siliceum virum emollit. Eadem ex diverso ratio virtutum est, ut omne quod secum habent, mitigent: Nec tam valetudini profuit utilis regio, & salubrius

Z

cælum,

cælum, quam animis parum firmis in turba meliorum versari.

Sic est: Nec enim fallere potest Scriptura, quæ dicit *Ecclesiast. Cap. 13. Qui communicaverit superbo, induit superbiam: Et Prov. Cap. 13. Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit, amicus stultorum similis efficietur.* Habet hoc enim rerum natura, ut cum bonus improbo se jungit, non improbus à bono emendetur, sed bonus ab improbo contaminetur, proniores enim sumus ad malum quam bonum; hinc facilius discimus malum quam bonum: Nemo vitiosus qui non aliquod nobis vitium aut commendet, aut imprimat, aut nescientibus affricet: Sunt vitia quæ commendantur exemplo, alia imprimuntur sermone, plurima affricantur conversatione.

Denique hoc unum præ cæteris deploravit *Augustinus* jam senex, quod juvenis malos socios frequentarit, sic enim ait *Lib. 1. Confess. Cap. 3, 9 & 10.* Præceps ibam tanta cæcitate inter coetaneos meos ut me puderet minoris dedecoris quam audiebam eos jactantes flagitia sua, & tanto gloriantes magis, quanto magis turpes erant: Libebat malum facere, non solum libidine facti, verum etiam laudis. Quid dignum est vituperatione nisi vitium? ego ne vituperarer, vitiosior fiebam, fingebam me fecisse quod non feceram, ne viderer abjectior quo eram innocentior, & ne vilioce haberer quo eram castior. Ecce cum quibus comitibus iter agebam platearum *Babylonia*, & volutabar in cæno, tanquam in cinnamomo, & unguentis pretiosis.

Ergo dispiciendum est sedulo, præsertim parentibus, cum quibus sociis agant & conversentur filii eorum, ne sero deplorent, quod mature poterant diligentia sua prævenire, & impedire.

## DISCVRSVS XXVIII:

*Jacob benedicit duobus filiis Iosephi.*

Postquam *Jacob* aliquanto tempore præ senio lecto affixus decubuerat, cœpit graviter ægrotare: *Nuntiatumque est*, inquit Scriptura, *Ioseph quod ægrotaret pater suus, qui assumptis duobus filiis, Manasse & Ephraim ire perrexit. Diciturque se seni: Ecce filius tuus Ioseph venit ad te, qui confortatus sedit in lectulo. Videns autem filios Ioseph, dixit ad eum: Qui sunt isti? respondit: Filii mei sunt quos donavit mihi Deus in hoc loco.*

Primogenitum filium vocaverat *Ioseph Manassen*, alterum *Ephraim*, non absque singulari mysterio. Quod enim spectat ad primum, *Manasses* significat *Hebraice*, *oblivionem*, propterea cum nomen istud huic filio *Ioseph* imponeret, dicebat: *Oblivisci me fecit Deus omnium laborum meorum, & domus patris*: Non miror istam oblivionem laborum; obruit enim calamitatem felicitas, si illa abierit, & ista accesserit. Sed non bene capio quomodo *Ioseph*, oblitus fuerit patris. At non dicit Scriptura, quod in nativitate filii, oblitus sit patris, sed domus patris. Nempe oblitus erat injuriarum, odiique fratrum suorum. Nos in felicitate positi ultionem meditatur quam calamitosi dissimulaveramus: *Ioseph* vero in prosperitate quasi arma deponit ne ulciscatur. Quis unquam vidit tunc fluvium stare quando fractis aggeribus intumescit, & se diffundit in prata. Tunc debuerat *Ioseph* fratrum oblivisci quando jacebat in compede, & miser erat, sed quando jam evehctus erat ad summa, videtur tunc debuisse ulcisci injurias à fratribus sibi illatas. Hoc nos faceremus, qui vaporum instar cælum petimus, ut mutemur in fulgura ac tonitrua contra hostes nostros. Imitatur arbores *Ioseph*, quæ quamdiu parvæ humilesque sunt, steriles sunt, ut adolere producant fructus: Quo *Ioseph* dignitate excreverat altius, eo majores modestiæ ac mansuetudinis fructus proferebat, noluit enim injurias nominare ne iram accenderet, sed venditionem suam & accusationem, & carcerem, & cisternam in quam fratres sui illum conjecerant, similesque injurias, *labores* vocavit: Itaque ostendebat se revera injuriarum prorsus esse oblitum, cum ne nomine quidem suo illas compellere sciebat.

Z 2

Quid

Quid quod patris meminit cui amorem debebat, fratrum non meminit quos norat sibi tantopere fuisse infensos. Adeo retinebat in animo quibus ad amorem excitaretur, & extruserat mente quibus ad ultionem inflammaretur.

Verum cur se potius oblitum dicit domum patris sui *Iacob* in qua venditus fuerat, quam domum *Putipharis*, ex qua tractus erat in carcerem? meminit illius quod gravius illum cruciarat. Gravius enim est vendi à fratribus propter felicitatem futuram quam somniarat, quam à Domina, propter repulsum adulterium in carcerem conjici. In carcere enim non carebat corona martyrii, & liber animo erat in vinculis: In venditione vero, & libertate carebat & corona, quia victor non erat, sed miser.

Sed illud etiam divinare non possum cur *Ioseph* domus patris, laborumque non sit oblitus, quando in regiam rhedam euectus, renunciatus est secundus à rege, sed tum cum illi natus est primogenitus. At plura faciebat *Ioseph*, quod populus Dei augeretur, quam quod ipse inter *Ægyptios*, magnifieret propter honorem & potestatem sibi collatam; Non minus enim colebat Deum jam coronatus quam cum esset captivus, cum nam videret jam sibi natum esse filium, gaudebat duos jam esse in *Ægypto* veri Dei cultores, se, & filium, propterea se feliciorem existimabat quod haberet heredem, quam quod esset secundus à rege. Tunc ergo oblitus est laborum suorum, quando vidit se aliquem habere qui simul cum illo vero Deo serviret: Amabat enim plus Dei cultum, quam suum honorem.

Quod modo spectat ad secundo-genitum ejus filium: *Appellavit illum Ephraim*, inquit Scriptura, *Dicens: Crescere me fecit Deus in terra paupertatis mee: Ephraim enim Hebraicè, augmentum significat.*

Sed advertite, *Ioseph* ubique meminit Dei, nusquam *Pharaonis* in cujus aula commorabatur, & à quo elatus fuerat in currum regium: *Crescere, inquit, me fecit Deus: Numquid Pharaon te regno imposuit? Quid dicet Pharaon quod non semel illius memineris nec in primo, nec in secundo-genito filio, & omnia tua adscribere Deo, nihil Pharaoni, sine quo adhuc mancipium fores?*

Hoc ego plus stupeo in *Iosepho*, quam servatam prius tanta fortitudine pudicitiam; nam dum adulterium fugit, pudicus fuit, sed cum non semel meminit regis, poterat haberi ingratus: Nihilominus

lominus maluit ingratus haberi regi quam Deo. Magnus sane princeps *Iosephus* qui credidit à nemine se contemnendum, dum Deum omnibus anteferet!

2 Dicit: *Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meae*: Miror illum vocare *Aegyptum* terram paupertatis suae, in qua opulentissime degebat, & vixerat etiam prius, nunc toti regno praefectus, prius aëconomus principis *Putipharis*: Ergo *Aegyptus* illi erat terra divitiarum, non paupertatis, si temporalia, honores, & divitias spectes, verum est, non erat ei terra paupertatis, si vera caelestia & aeterna quae sola in summa felicitate spectabat, erat ei terra paupertatis, quia nauseabat imperium ubi vera deerat fides, & aestimabat inopiam imperare idololatri: Unde, ut postea audiemus, ne quidem volebat *Ioseph* sepeliri in illa terra ubi ut prorex regnabat, ne ossa ipsius miscerentur ossibus impiorum, quanto magis putandum est illum, cum viveret, detestatum fuisse in animo ipsorum confortium: Ideo, quamvis esset in honore, abundaretque divitiis, vocabat *Aegyptum* terram paupertatis suae, quia omnia contemnebat praeter Deo.

Cum ergo Jacob vidisset hosce duos filios *Ioseph*, adduc, inquit, illos ad me, ut benedicam illis.

Cumque *Ioseph* illos adduxisset, posuit utrumque ad pectus suum, eosque complexus, deosculatus est. Cumque tulisset eos *Ioseph*, inquit Scriptura, de sinu patris; posuit *Ephraim* ad sinistram *Jacob*, *Manassen* vero ad dexteram ipsius, qui extendens manum, dexteram posuit super caput *Ephraim* minoris fratris, sinistram autem super caput *Manasses*, qui major natus erat, benedixitque *Jacob* filiis *Ioseph*, & ait, Deus, in cuius conspectu ambulaverunt patris mei *Abraham* & *Isaac*, Deus qui pascit me ab adolescentia mea usque in praesentem diem: Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis, & invocetur super ipsos nomen meum, & nomina patrum meorum *Abraham* & *Isaac*, & crescant in multitudinem super terram.

Videns autem *Ioseph* quod posuisset pater suus dexteram manum super caput *Ephraim*, graviter accepit, quia ponendo dexteram super Caput *Ephraim*, minoris natu, signum erat quod in benedictione illum praeponebat majori natu *Manassi*: Apprehensam ergo manum patris levare conatus est de capite *Ephraim*, & transferre super caput *Manasse*, dixitque ad patrem: Non ita convenit, pater, quia hic est primogenitus, pone dexteram tuam super caput eius: Qui renuens, ait: Scio, fili mi, scio: Iste

*Isse quidem erit in populos, & multiplicabitur, sed frater ejus minor, major erit illo, & semen ejus crescet in gentes, benedixitque eis in tempore illo, dicens: In te benedicetur Israël, atque dicetur: Faciat tibi Deus sicut Ephraim, & sicut Manasse, constituitque Ephraim ante Manassen.*

Hic significatur mysterium inscrutabilium judiciorum Dei, quæ à nostris valde diversa sunt: *Neque enim, inquit Deus Isaia cap. 55, cogitationes meæ cogitationes vestra, nec via meæ, via vestra, quia sicut exaltantur celi à terra, sic exaltata sunt via meæ à viis vestris, & cogitationes meæ, à cogitationibus vestris.*

*Isai pater Davidis, septem habebat filios, Deus sex reject, postremum omnium, qui erat David, & pastor ovium, elegit in regem; quis ausit dicere Deo, cur hoc facis? Dominus est. Si ergo quæris ex me, cur Deus alium eligit, alium reject, cur gentiles assumpsit in populum suum, Judæos exterminavit? Illum qui pessime vixit, martyrem denique facit; istum cujus vita videbatur laudabilis, permittit tibi in gravissima scelera, & nonnumquam in Apostasiam, Judam fieri proditorem, & suspendio infernum detrudi, latronem vero de patibulo deduci in cælum? plane idem est ac si roges aurificem, cur illum lapillum, qui nullius pretii videbatur, elegerit, istum vero qui longe majoris pretii putabatur rejecerit ut vilem & inutilem? hæc est ars & scientia aurificis, & unicuique artifici, ut ait *Aristoteles*, in sua arte credendum est.*

Deus sapientissimus artifex est, & falli non potest: Quam multi, inquit *D. Joannes Chrysostomus Hom. 16 in Epist. ad Rom. Matthei* meliores esse videbantur in apparentia: Verum qui arcana novit Deus, & in cæno jacentem Margaritam novit, ommissis aliis, admiratus hujus pulchritudinem, illum elegit Publicanum, & Latronem, & meretricem elegit, Sacerdotes autem, & seniores, & Magistratus *Judæorum*, improbavit, & reject.

Denique hoc mysterium admirabile figuratum fuit in angelis & homine creaturis intellectualibus, naturam enim imperfectiorem hominis per incarnationem Verbi divini, prætulit Deus angelo sublimiori, cum tamen homo non minus peccasset quam angelus, homines tamen venit liberaturus, angelos vero sine ulla spe, in æternum damnavit: Et quis audeat petere: Cur hoc ita fecisti? non possumus aliud nisi exclamare cum *Paulo*:  
01.

o altitudo divitiarum sapientia & scientie Dei ! quam incomprehensibilia sunt iudicia ejus, & investigabiles viae ejus.

## DISCVRSUS XXIX.

*Jacob benedicit omnibus filiis suis.*

Solemni *Judeorum* consuetudo fuit ab antiquo, ut morientes patres convocarent filios suos, vel alios suae curae commissos, ut salutaria illis monita darent, & benedicerent, & interdum divino afflati spiritu futura illis praedicerent: Ut ergo *Jacob* paternum hoc filiis suis obsequium imminente morte praestaret, jussit omnes ad se accedere, ut audirent quid illis esset dicturus. Caeterum tam expresse ac fuisse illis futura praedixit, ut potius Prophecia quam benedictiones dicendae forent, quod ipse *Jacob* expresse videtur dixisse cum ait: *Congregamini ut annuntiem quae ventura sint vobis in diebus novissimis: Audite ergo inquit, filii Jacob, audite Israel patrem vestrum.*

Tunc incepit à *Ruben* primogenito, & ait: *Ruben primogenitus meus tu fortitudo mea, & principium doloris mei.*

*Tu fortitudo mea*, quia animum meum corroborasti, quando intellexi quod restitisses fratribus tuis, ne *Iosephum* occiderent: Tu dedisti mihi filios tuos in pignus, ut securum me redderes de *Beniamino*, qui vocatus à *Ioseph* tecum ire debebat in *Aegyptum*. *Tu fortitudo mea*, & haecenus bene.

Sed *tu etiam principium doloris mei*. Quare hoc? quomodo principium doloris, quando quidem *Jacob*, magnam prius & copiosam materiam dolendi habuerat; cum enim esset in domo paterna adhuc juvenis, insidiabatur vitae ejus, frater ejus *Esau*, ita ut cogereur fugere in *Mesopotamiam*, ibi quatuordecim annis servivit avunculo suo *Labano*, qui illum multis modis vexabat, & ut ipsemet ait, *Gen. cap. 31: Die noctuque urebar aestu & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis, sic per viginti annos servivi.* Quomodo ergo *Ruben* principium doloris ejus? respondet *Rupertus*: Non quod in nullo antea doluerat *Jacob*, sed quia verus dolor de plaga peccati primum in domo ejus de isto accidit: Peccaverat *Ruben* peccando cum sua noverca, ut ait *Jacob*: *Quia ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum*

1111



*sum ejus*: Propterea quia effusus fuisti ut aqua, non crescas. Tu præceps in scelus ruiſti, ſicut aqua quæ ſe diffundit in campos, nec cura boni exempli, nec timor Dei, nec reverentia patris, nec verecundia, nec ignominia, te potuerunt cohibere ab adultério, ergo non crescas, hoc eſt, non cresces, non eminebis inter fratres, nec nomine, nec dignitate, nec multiplicatione familiæ.

Tu prior debebas eſſe in donis, & major in imperio, tanquam primo genitus. Non eris prior in donis; dignitas enim Sacerdotalis tranſlata fuit in *Levi*; Regnum duarum tribuum datum eſt *Juda*, decem vero tribuum aliarum primogenitura, data eſt *Ephraim*. Nec eris major in imperio. Habebant enim primogeniti regiam quandam dignitatem, ac dominationem in omnes fratres. 1. Erant Sacerdotes. 2. Sedebant primi in menſa, majorque eis portio dabatur. 3. Benedicebant alios fratres, & ipſi ſe ſubmittebant. 4. Accipiebant duplicem partem hæreditatis paternæ. 5. Utebantur ſingulari quodam veſtitu, pretioſiore quam reliqui. 6. Benedicebantur ſingulariter à patre jam moribundo. Hæc omnes prærogativas perdidit *Ruben* propter peccatum.

Tunc convertit ſe *Jacob* ad *Simeonem* & *Levi*, & ait: *Simeon & Levi fratres, vaſa iniquitatis bellantia, in conſilium eorum non venit anima mea, quia in furore ſuo occiderunt virum, & in voluntate ſua ſuſfoderunt murum; maledictus furor eorum quia pertinax, & indignatio eorum, quia dura, dividam eos in Jacob, & diſpergam eos in Iſraël.*

Execratur hic *Jacob* crudelitatem horum duorum fratrum quam exercuerant contra principem & incolas *Sichem*, quæ narratur *Genef. Cap. 34.* hoc modo.

Abuſus fuerat princeps *Sichem* *Dinâ* filiâ *Jacob*. Pater ipſius petiit à *Jacob* & filiis ejus illam in uxorem filio ſuo: Conſenſerunt illi, ſed hac conditione ut ipſe & omnes ſubditi, more *Judaico* circumciderentur: Placuit hæc oblatio Principi *Sichem*, & patri ejus, qui ſe permiferunt circumcidi, ſuiſque ſubditis idem perſuaſere. Et ecce, inquit Scriptura, tertio die quando graviffimus dolor eſt, arreptis *Simeon* & *Levi* gladiis ingreſſi ſunt urbem confidenter, interfeſtiſque omnibus maſculis, & principem *Sichem*, & patrem ejus occiderunt, tollentes ſororem ſuam *Dinam* de domo *Sichem*, & depopulati ſunt urbem, & cuncta vaſtantes quæ in domibus & agris erant, parvulos eorum & uxores duxerunt captivas.

Immane & crudele facinus quod *Jacob* jam morti proximus merito detestatur.

Fuerant quidem alii filii *Jacob* participes hujus sceleris, sed *Simcon* & *Levi* erant auctores & duces, ideo *Jacob* illos præ cæteris execratur, quia gravius cæteris peccaverant illis præeundo, justius enim sceleris auctores gravius puniuntur, quam cæteri quos induxerunt.

Observavit hoc *Cajetanus*, sic enim scribit: Primos transgressores, inquit, semper Deus gravius punivit. Sic peccatum gulæ in primis parentibus castigavit: Sic scelus homicidii in *Cain*, luxuriæ tempore diluvii, *Sodomia* in *Sodomis*, idololatriæ in populo *Israël*, sacrilegii in filiis *Aaron*, violationis Sabbati in eo qui colligebat ligna, inobedienciæ in *Saule*, mendacii in *Anania*, & ejus uxore *Sapphira*.

Simile quid habemus in seditione contra *Moysem* concitata *Num. Cap. 16*. Conspirant ducenti & quinque proceres cum *Core*, *Dathan*, & *Abiron*: Et tamen ab uno tantum excitata illam seditionem dicit *Moyse*, quia ille unus cæteros omnes in seditionem adduxerat: Ille enim censetur tot peccatorum reus quot ad peccandum induxit, quid ergo mirum si Deus illum solum gravius plectat quam cæteros omnes?

Denique terribile habemus hujus rei exemplum *2 Reg. Cap. 6*. Tulerunt, inquit Scriptura, arcam Dei de domo *Abinadab*, & imposuerunt eam super plaustrum novum: Hoc fecerunt Sacerdotes, quorum munus erat arcam Dei tractare: Sed cum humeris ex divino præcepto ritumque antiquo, illam portare deberent, imposuerunt plaustro, quod trahebatur à duobus bobus: Cumque jam arca esset in via, unus boum recalcitravit adeo ut arca esset in periculo lapsus, *Oza* sacerdos qui incedebat ad latus extendit manum ut illam teneret, & mox eodem loco percussus à Deo interiit. Quid peccaverat *Oza* ut tam subita morte plecteretur? tenuit arcam manu ne caderet, quod hoc peccatum? levis fortassis aliqua culpa, sed Deus hinc sumpsit occasionem ut hunc sacerdotem occideret, eo quod contra præceptum, ritumque antiquum, arca non portaretur humeris Sacerdotum, sed imposita plaustro traheretur à bobus. Sed cur solus *Oza* punitus fuit, cum alii Sacerdotes eandem poenam mererentur? respondent *Lyranus* & *Cajetanus*, *Oza* principalis erat, & illa temeritas erat ex illius

A a

ordi-

ordinatione & mandato. Collige hinc incentores primos malorum multo gravius puniri à Deo, quia plus mali faciunt quam omnes reliqui quos ad patrandum inducunt. Audiant hoc qui verbis vel exemplis, qui prius innocentes erant corrumpunt: Itaque cum *Simeon* & *Levi* prima causa essent tam crudelis caedis patratae in *Sichem* etiam ab aliis fratribus, illos solos ideo *Jacob* execratur.

Sed quid hoc sibi vult quod *Jacob* dicat: *Non veniat in consilium eorum anima mea*? hoc est, absit à me ut approbem consilium eorum de excidio *Sichimitarum*, vel ut gloriar quod tale facinus à filiis meis patratum sit: Illud tunc execratus sum, illud ipsum nunc non minus detestor: Nolo ego inuri istam maculam mihi & nomini meo ut quis dicat me illius sceleris fuisse participem, aut conscium; volo cum laude mori & coram Deo, & coram hominibus.

Propterea jam moriens maledico furorem illorum quia tam pertinax fuit, & indignationem eorum quia tam dura fuit. Erat aliquid in eo quod fecerant quod laudabile erat, nempe zelus eorum ulciscendi injuriam quae facta fuerat *Dina* sorori suae vi oppressae à principe *Sichem*. Sed modus quem tenuerant, erat magna crudelitas, nempe quod specie religionis cives urbis *Sichem*, inermes, & aegros opprimerent: Excesserant longe mensuram in furore suo, hoc detestatur *Jacob*, quia, ut ait, nimis pertinaces fuistis in vestro furore, & nimis crudeles in vestra ira. Punire peccantes ex zelo, laudabile, sed ex furore & ira, detestabile.

Propterea, inquit *Jacob*, tribus *Simeonis* & *Levi* dividuntur in *Jacob*, & dispergentur in *Israël*, ne iterum capita conferant, & suo consilio ac conspiratione alios in exitium trahant, ergo dividantur & dispergantur. Quod postea contigit juxta prophetiam *Jacobi*, nam posterii *Levi*, dispersi habitabant per omnes tribus, & posterii *Simeonis* habitabant in medio tribus *Juda*, & abierunt in desertum ad sibi novas sedes quærendas, pars in *Gador*, pars in montana *Seir*. Mala consortia necessario debent separari ut peccare desistant.

Hinc *Jacob* se convertit ad tertium filium *Juda*, & ait: *Juda, laudabunt fratres tui, manus tue in cervicibus inimicorum tuorum: Adorabunt te filii patris tui. Cainus Leonis Juda: Ad pradam filii mi ascendunt.*



nulla prorsus habitâ ratione ut illos bonis moribus imbuant, doceantque Deum timere & colere. Ubi vero uterque parens in hoc unum conspirant, benedicta est familia ista à Deo.

Audite & aliud exemplum ex Scriptura: *Exodi Cap. 4.* Pergebat *Moyfes* in *Aegyptum* cum uxore & duobus filiis, major nam jam fuerat circumcisis, minor vero non, quia *Moyfes* pater ejus, nimis indulgens filio, parcebat illi propter ætatem: *Cumque esset in itinere*, inquit Scriptura, *in diversorio occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum*, propter incuriam in rebus divinis erga filium. Sed vide matris sollicitudinem. Illa, inquit Scriptura, tulit illico acutissimam petram, & circumcidit præputium filii sui. Prudens mulier vereque pia mater generose arripit cultrum, dolentique oculo, sed forti manu, ac pietate, dat vulnus filio, ut legi Dei satisfaceret, filiumque suum per circumcisionem eveheret in fidelem, & servum Dei. Maritumque liberaret à morte quam ei angelus stricto gladio intentaverat: Quapropter angelus ille, inquit *Procopius*, puero circumciso statim discessit delectatus religione mulieris.

Optandum foret ut multæ essent similes matres, & patres qui cum illis conspirarent, quam multi invenirentur liberi morigeri, pii, & Deum timentes.

2 Dicit *Jacob*: *Manus in cervicibus inimicorum tuorum.* Tribus enim *Juda*, prima post *Moysem* ausa est ingredi mare rubrum ut prima pugnaret contra hostes si qui occurrerent. Illa mortuo *Isue*, facta est dux cæterarum tribuum in præliis: Ex illa ortus est *David*, potentissimus & gloriosissimus rex, & *Salomon*, aliique reges omnes usque ad captivitatem *Babylonicam*. Illa tribus contra *Israëlitas*, *Idumæos*, *Moabitas*, *Arabes*, omnesque vicinos maxima bella gessit, & multas præclaras victorias retulit: Ex illa natus est *Zorobabel*, dux populi cum ex *Babylone* rediret. Denique ex illa ortus est *Christus*. Et quia ista tribus inter alias omnes erat fortissima, impavida, bellicocissima, victoriosissima, & generosissimi animi, propterea dicit *Jacob*: *Juda tu es catulus leonis*, quando multas prædas ab hoste retuleris, nemo erit qui te bello audebit lacerare. Quis tam audax qui te audeat suscitare?

Post hæc inquit *Jacob*: *Non auferetur sceptrum de Juda, nec dux de femore*

more ejus, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.

Hæc Prophetia tam clara est, ut nullus hæctenus vel patrum, vel interpretum dubitaverit, quin *Jacob* hic præcise tempus prædicat quo *Messias*, hoc est, salvator mundi sit venturus in mundum.

Dicit enim i. *Non auferetur sceptrum de Juda*, vel, ut habent Septuaginta: *Non deficiet princeps de Juda, donec veniat qui mittendus est*, hoc est, *Messias*. Dicit ergo *Jacob*: Quando tribus *Juda*, semel inceperit habere reges, quorum primus fuit *David*, *Saul* enim qui præcedebat *Davidem*, erat ex tribu *Benjamin*, numquam in illa tribu deficient reges, donec veniat salvator mundi; quando ergo rex aliquis alienigena, qui non est de tribu *Juda* regnare inceperit, illo tempore veniet *Messias* à Deo promissus.

Ostendo ergo Tribum *Juda* obtinuisse regnum ac principatum usque ad *Messiam*, seu *Christum*.

1. Sola illa tribus regnavit à  *Davide*, usque ad *Sedechiam* per annos 470, idque in magna gloria, opibus, ac fortitudine, donec *Judæi* decerentur captivi in *Babylonem*.

2. Sola illa tribus postea ex captivitate *Babylonica*, rediit *Jerosolymam*, cum paucis aliis qui oriundi erant ex tribu *Benjamin*, *Levi*, & aliis tribubus: Ex illo tempore gens *Judæorum*, nomen accepit à *Juda*, omnesque, quamvis ex aliis tribubus descendentes, censebantur esse tribus *Juda*, quia cum tribu *Juda*, erant commisti, & in illam infusi: Hoc modo principes *Machabæi*, qui postea regnarunt, licet essent de tribu *Levi*, censebantur tamen esse tribus *Juda*. Sic etiam *Malach. cap. 3* & *Machab. cap. 1*, accipitur *Judas* pro omnibus *Judæis*, qui in tota *Judæa* habitabant. Sic *Romani* dicuntur imperasse, & *Romani* imperatores vocantur, quicumque *Roma* regnarunt, quamvis essent ex *Thracia*, vel *Hispania*, vel aliunde.

Itaque quamvis post *Babylonicam* captivitatem regnarint *Machabæi*, qui erant ex tribu *Levi*, necdum tamen defecerat sceptrum de tribu *Juda*, quia corona, & jus regni, & electio principum manebat penes illam tribum, sic enim illa *Machabæos*, elegit in principes suos ob eorum zelum & fortitudinem, eosque sibi præfecit.

Hæctenus ergo manserat regni potestas penes tribum *Juda*, & jus ad coronam, donec tempore *Augusti* imperatoris *Romani*, plane

ne in illa tribu defecit, tunc enim Senatus Romanus, & *Cæsar* regnum *Judaorum* ademerunt *Hyrcaus* & *Antigono*, qui erant legitimi haeredes *Aristobuli*, progeniti ex *Machabeis*, illudque contra populi voluntatem, per vim transtulerunt in *Herodem Ascalonitam*, alienigenam, quem crearunt regem *Judaorum*, & tunc venit *Christus*, juxta Prophetiam *Jacobi*: Quando regnum sublatum fuerit de tribu *Juda*, tunc veniet *Messias*.

Ex hoc loco ergo convincuntur *Judei*, & clare demonstratur *Messiam* venisse, eumque natum esse tempore *Herodis*, tunc enim, ut prædixerat *Jacob*, defecerat sceptrum de *Juda*, consequenter nostrum *Christum* esse *Messiam*, à *Jacob*, hic prædictum atque promissum 2695 annis antequam *Christus* nasceretur.

Ad majorem vero claritatem addit *Jacob*: *Ipse eris expectatio gentium*, quod *Rabbi Kimchi Iudeus* vertit: *Ipsi obedient populi*, & *R. Ionathan*: *Ipsi servient universa regna terræ*: Atqui nullus haecenus fuit, præter *Christum*, cui omnia regna mundi servierunt: Ergo noster *Christus* est de quo locus est *Jacob*.

Tunc prosequitur *Jacob* suum discursum, & ait: *Ligabit ad vineam pullum suum, & ad vitem, o sili mi, asinam suam*. Hunc locum omnes pæne Patres de *Christo* intelligunt: Loquitur quidem *Jacob* cum filio suo *Juda*, sed tamen de illo *Messia* quem dixerat prius venturum, & esse expectationem gentium. Ille, inquit, ligabit ad vineam pullum suum & asinam.

Per *vineam* significatur Ecclesia *Christi*, uti patet ex pluribus aliis locis Scripturæ: Per *pullum* intelliguntur gentiles, sicuti enim proprie pullus alicujus jumenti dicitur, qui nondum aliquod onus portavit, sic gentiles certe pulli vocantur, qui nondum tulerant jugum legis cum venerunt ad *Christi* Ecclesiam: Per *asinam* intelliguntur *Judei*, quia jam assueti erant portando jugo satis duro legis *Mosaicae*: Quando ergo *Jacob* dicit *Messias* ligabit pullum & asinam ad vineam, prædicat illum gentiles & *Judeos* colligaturum, seu congregaturum in unam Ecclesiam.

Præterea: *Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum*. Per *stolam*, intelligit *D. Ambrosius*, carnem *Christi*, quam induit cum homo fieret, & sub quâ, tanquam veste texit divinitatem

tem suam, hanc carnem lavit in vino, hoc est, in sanguine suo, quando à capite ad pedes crudelissimè flagellatus, & toto corpore laceratus fuit, fluente ex vulneribus largissimo sanguine. Per *palium* vero intelligunt Patres Ecclesiam, quam *Christus*, ut *Paulus*, ait lavit sanguine suo.

Denique dicit *Jacob*: *Pulchriores sunt oculi ejus vino*. Hic describitur tota pulchritudo *Christi*. Pulchritudo autem hominis maxime laudatur ab oculis: Sed quænam ista comparatio oculorum *Christi* cum vino? Optima comparatio, si effectus vini aspicias; nihil enim quod magis, ut ait *Salomon*, lætificet cor homines, nihil illo potentius: Quantum aspectus *Christi* recrearet homines, testatur *Hieronymus*, cum dicit, homines solitos ad illum accurrere tantum ut ejus aspectu se oblectarent, mœroremque depellerent. Quam potens fuerit patet, in D. Virgine: Respexerat illam, ut ipsa metinquit: *Respexit humilitatem ancilla sua*. & mox illam Dei matrem, mundi dominam, & cæli reginam effecit. Conjecit oculos in publicanos piscatores, pauperes, abjectos in mundo, eosque terrarum dominos, ac cæli principes fecit. Respexit *Petrum* cum negaret Magistrum suum, ac subito oculis illis vulneratus in animo, *egressus foras flevit amare*. Respicit quotidie gravissimos peccatores, & lacrymas contritionis ac pœnitentiæ ex illorum oculis trahit. Hoc est ergo quod dicebat *Jacob*, pulchriores, hoc est potentiores, & magis recreativi sunt oculi ejus vino.

Hoc dicto convertit se ad filium suum *Zabulon*, & ait: *Zabulon in littore maris habitabit, & in statione navium, pertingens usque ad Sidonem*.

Hic *Jacob* non servat ordinem ætatis, *Zabulon* enim erat decimus tantum filius ejus, præponit ergo illum senioribus. Ratio est, inquit Interpretes, quia *Christus* de quo proxime egerat, in terra *Zabulon* conceptus & conversatus est. 1. Enim *Nazareth* ubi *Christus* in D. Virgine conceptus est, erat in tribu *Zabulon*. 2. Mons *Thabor* in qua transfiguratus est. 3. *Capharnaum*, ubi maximo tempore prædicavit, & conversatus est: Et ex *Zabulon* plerique Apostoli orti sunt.

Dicit ergo *Jacob*: *Zabulon habitabit in littore maris, & in statione navium, & pertinet usque ad Sidonem*: Prædicat posteros ejus, habituros juxta mare mediterraneum, & mare *Galilee*, & optimos portus

tus



tus habituros ut mercaturam exercent cum *Sidonii* mercatoribus toto orbe celeberrimis, atque ita futurum ut tribus *Zabulon* inter cæteras omnes fiat ditissima, omniumque rerum abundantiam habeat.

Hunc locum moraliter intelligit *D. Ambrosius* de hæreticis & vera Ecclesia; *Zabulon*, inquit, qui habitat in littore maris, est Ecclesia Dei: In mari vero sunt hæretici: Ecclesia, inquit, Catholica, radicata & fundata in fide, spectat hæreticorum procellas & naufragia, quia gubernatorem quem habuerant abnegarunt: Habitat Ecclesia circa fluctus, sed fluctibus non commovetur. Spectat alios fluctuantes in freto, qui circumferuntur omni vento doctrinæ, sed ipsa fidei radice immobilis perseverat.

Igitur, juxta hunc sensum *Ambrosii*, jaçantur in mari hæretici, nihil illis solidum est nec firmum, summa rerum omnium, ut fit in mari, inconstantia: Tot enim inter illos sunt dogmata, tot opiniones vel contrariæ vel diversæ, quot fluctus ex mari projiciuntur in littus, quot venti inter sese depugnant quando sunt tempestas, & mare sursum vertitur ac deorsum: Confringunt noctu quæ postredie vendant, & sic tot diversas sententias vides quot pæne sunt capita: Aliud sentit minister, aliud discipulus, imo tot sæpe diversæ sectæ in una familia quot homines.

Hanc inconstantiam etiam inter antiquos hæreticos, jam inde ab annis mille quingentis fuisse testatur illius temporis scriptor *Tertullianus*, sic enim scribit *lib. de præscript. cap. 42*: Etiam, inquit, à regulis suis variant inter se, dum unusquisque pro suo arbitrio modulatur quæ accepit, quemadmodum de suo arbitrio ea composuit quæ tradidit. Idem licuit *Valentinianis* quod *Valentino*, nempe de arbitrio suo fidem innovare.

Egregie dictum, quod etiam nostri temporis hæreticis optime convenit: Idem enim licuit *Lutheranis* quod *Luthero*, idem *Calvinistis* quod *Calvino*, de arbitrio suo fidem innovare. Discipuli enim ab hæretico magistro docti, non tam credunt quæ ille docuit, quam quotidie nova confringunt quæ credant. Denique mare est hæresis plenum ventis ac fluctibus opinionum quæ homines modo in unam, modo in alteram partem agunt, nunquam stabiles,

At Ecclesia Romana Catholica, inquit *Ambrosius*, habitat juxta mare ad subveniendum, ut si qui tempestatibus acti gravibus, confugere ad portum velint, præsto sit tanquam portus salutis, & expansis brachiis in gremium tranquillitatis suæ vocet periclitantes, locum fidæ stationis ostendens. Sic loquitur *Ambrosius lib. de Benedic. cap. 5.* Hic habent miseri hæretici quo confugere debeant, si animæ suæ naufragium effugere velint, nempe ad Ecclesiam. Benedicto filio suo *Zabulon*, progreditur *Jacob* ad filium suum *Issachar*, & ait; *Issachar asinus fortis, accubans inter terminos; vidit requiem quod esset bona, & terram quod optima, & supposuit humerum suum ad portandum, factusque est tributis serviens.*

Hic filio prædicit posteros ejus habitaturos in regione totius *Palesina*, amœnissima ac fertilissima, ubi late se diffundit campus *Esarelon*, qui totus præstantissimo oleo, vino, ac frumento abundat. Hic locus obtigit tribui *Issachar*. Et quia agricultura erat vacatura, comparat illam asino forti ad laborandum, & ad suos fructus ac fruges deportandum ad loca maritima, ubi illos carius divendat, ac distrahat per alias urbes, & nationes, adeoque ditescat: Unde textus *Chaldaicus* habet: *Issachar dives in substantia.*

2 Dicit *Jacob* quod *accubabit inter terminos*, hoc est, non vacabit navigationi ut *Zabulon*, sed sua sorte & rure se pascens, domi versabitur, ibique quiete habitabit inter limites aliarum tribuum, suis copiis contentus, vicina nec metuens, nec concupiscens.

*Vidit enim requiem quod esset bona*, ideo prætulit & amplexus est commoda vitæ quietæ & rusticanæ, præsertim cum videret esse optimam terram quæ sibi sorte obtigerat. Hinc libenter inquit *Jacob* supposuit humerum ad portandum onera, & laborandum in colenda terra, factusque est tributis serviens: Maluit enim agere vitam quietam cum tributis, quam ab illis immunis adscribi in militiam *Salomonis*, aliorumque regum.

## DISCURSUS XXX.

*Prosecutio materiae præcedentis.*

**T**Um convertit se *Iacob* ad filium suum *Dan*, & ait : *Dan* iudicabit populum suum, sicut & alia tribus in *Israël*. Fiat *Dan* coluber in via, cerastes in semita, mordens ungulas equi, ut cadat ascensor ejus retro : Salutare tuum expectabo Domine.

Obscura prorsus Prophetia, & mirabilis benedictio; quare breviter proponam Patrum explicationem.

1 In hoc plerique conveniunt quod *Iacob* hic loquatur potissimum de *Sampson*, qui oriundus erat ex tribu *Dan* : Quando ergo *Iacob* dicit : *Dan* iudicabit populum suum, hoc est, *Sampson* ille qui nascetur ex illa tribu, inter omnes iudices *Israëlis*, celeberrimus erit, quia liberabit *Israëlem* à servitute *Philistinorum*.

Sed quid hoc significat : *Sampson* erit coluber in via, & cerastes in semita, & mordebit ungulas equi ut cadat ascensor ejus retro.

Serpens in viis sub frondibus latet, vel sub arenis, & sic inopinato homines aggreditur, & mordet. Ita *Sampson* per insidias, occulte & inopinato *Philistæos* aggressus vastavit, & inter fecit. Alligavit trecentas vulpes, caudas earum junxit ad caudas, & faces ardentes ligavit in medio, easque ex improvise dimisit ut huc atque illuc discurrerent. Quæ statim perrexerunt in fetes *Philistinorum*, easque & vineas, & olivera, penitus combulerunt, idque tam caute & occulte, & ex improvise fecerat *Sampson*, ut *Philistæi* attoniti exclamarent. Quis fecit hanc rem? ergo *Sampson* fuit sicut serpens in via.

2 Cum esset captus à *Philistæis*, & visu privatus, duxerunt illum in templum idoli sui *Dagon*, ubi principes *Philistinorum* epulabantur, lætabantur, & laudabant Deum suum ob captum *Sampsonem*. Et ecce *Sampson* concussit duas columnas quibus totum ædificium incumbibat, & subito, nihilque tale cogitantes *Philistæos*, oppressit sub ruina. Ergo sicut coluber in via,

2 Fuit

Fuit sicut *Cerastes* in semita mordens unguis equi. *Cerastes*, inquit *Plinius*, Lib. 8. cap. 29 genus serpentis est, quod habet quatuor cornua sicut arietis, hic serpens cum equitem non possit attingere, calcaneum equi mordet, ut equum, & consequenter equitem in terram dejiciat, dejectumque invadat, & occidat. Ita *Sampson* plurimos *Philistheos* occidit, & quidem mille unica vice, non alio instrumento armatus quam maxilla asini.

Denique exclamat *Jacob*: *Salutare tuum expectabo Domine*. Quasi dicat: Non *Sampson*, sed *Christus* erit verus, constans, & perpetuus *Israëlis* mundiue salvator, cujus *Sampson* tantum figura & umbra fuit. Hunc ergo expectabo nascentem in mundo. Unde textus *Chaldaicus* sic habet: *Non expecto salutare Gedeon filii Ioas, cujus salus est temporalis, neque salutare Sampson filii Manue, qua salus est transitoria, sed expecto redemptionem Christi filii David, qui venturus est ad accersendam sibi filios Israël, cujus redemptionem desiderat anima mea.*

Hinc *Jacob* progreditur ad benedicendum filium suum *Gad*, & ait: *Gad accinctus praeiabitur ante eum, & ipse accingetur retrorsum.*

Totum quod *Jacob* hic dicit nihil aliud est quam quod tribus *Gad*, alias omnes tribus *Israëlis* praecedat armata, illasque ducet transito *Jordane* in terram promissionis, quod postea factum est: Nam ut dicitur *Numer. Cap. 32. Gaditae* petierunt à *Moyse* urbes & oppida *Amorrhæorum*, quæ jam deletis ad unum habitatoribus ultra *Jordanem*, coeperunt, & impetrarunt ea conditione, ut armati ante alias tribus transirent *Jordanem*, juvarentque fratres in expeditione terræ promissionis, quod *Gaditae* fortiter ac fideliter praestiterunt: Hoc totum.

Veniamus ergo ad filium *Jacob*, nomine *Aser*, cujus benedictionem etiam paucis verbis complexus est, dicens. *Aser: Pinguis panis ejus, & praebebit delicias regibus.* Hic juxta litteram nihil aliud praedicit *Jacob* quam quod *Aser*, futurus sit felicissimus, & in opibus & in fructibus terræ suæ, qui tam suaves, sapidi, ac delicati futuri sunt, ut sint futuri maximæ deliciae, regibus *Juda* & *Israël*.

Si tamen sensum spiritualem inspicimus, magnum latet mysterium in illis verbis: *Pinguis panis Aser, & praebebit delicias regibus.*

Quis est iste panis? numquam enim audivimus quod aliquis panis

nis materialis vel naturalis sit pinguis, non est confuetas modas loquendi, quia omnis panis potius est aridus qui nullam in se habet pinguedinem: Quis ergo est iste panis pinguis, & quidem panis *Aser* quod *Hebraice* felicitatem significat vel *beatitudinem*, & quidem panis qui præbebit delicias regibus, quas enim delicias possunt reges habere in pane? Ergo per illum panem de quo loquitur *Jacob*, aliud quidpiam intelligi debet quam nudus panis naturalis. Quis ergo iste panis?

Euchari-  
stia vie-  
sus.

Non possum alium reperire cui hæc quadrent nisi panem illum de quo dicit *Christus Ioan. Cap. 6. Ego sum panis vivus qui de calo descendendi*, corpus Domini *Iesu* in venerabili Sacramento.

Ac primum quidem quanta sit in hoc cælesti pane pinguedo, prævidit olim in spiritu *Isaias* propheta *Cap. 25*, cum dixit: *Facies Dominus omnibus populis in monte Sion convivium pinguium, convivium pinguium medullatorum*. Hoc convivium instituit *Christus*, quando in monte *Sion*, instituendo Ven. Sacramentum, panem mutavit in carnem, & vinum in sanguinem, & hunc cibum vocat *Isaias* non tantum pinguem, sed etiam pinguem sicut medullam.

Ut autem hanc pinguedinem explicaret antiquus ille pater *Tertullianus* mirabili usus est verbo, cum dixit quod corpore *Christi* faginemur. Quot macilentæ animæ quæ vix ullum habebant succum virtutis, quæ vix ossibus hærebant præ tædio, quæ totæ aridæ erant præ defectu devotionis, totæ exhaustæ deliciis mundi, per hunc divinum panem, creverunt in virtute, pingues factæ sunt præ devotione, & consolationibus cæli?

1 Pinguis revera est panis *Christi*, qui etiam corporibus nostris mortuis ac sepultis gloriosam tribuet resurrectionem. Resurgent enim in immortalitatem corpora nostra, quia cum viverent, passæ fuerunt hoc cibo, & pane cælesti.

Hæc est. 1. Doctrina *S. Irenæi Lib. 5 cap. 2. Quemadmodum panis*, inquit, qui est è terra, percipiens invocationem Dei, jam non communis panis est, sed *Eucharistia* ex duabus rebus constans, terrenâ, & cælesti. Sic corpora nostra percipientia *Eucharistiam*, jam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia: Quomodo enim caro deveniet in corruptionem, & non percipit vitam, quæ à corpore Domini & sanguine alitur?

Eadem est opinio *Cyrilli Alexandrini Lib. 10 in Ioan. cap. 13. Non poterat aliter*, inquit, corruptibilis hæc natura corporis ad incor-

rupti-

ruptibilitatem, & vitam traduci, nisi naturalis vitæ corpus ei conjugeretur. Non credis mihi? Christo crede dicenti: *Qui manducat meam carnem, resuscitabacum in novissimo die.*

Sive ergo vivimus, sive mortui simus, sumptio corporis Christi nos pingues facit; dum vivimus, impinguamur, inquit *Cajetanus*, pinguedine charitatis ac devotionis: Sicuti enim corpora nostra dilatantur pinguedine, sic animæ nostræ dilatantur charitate: Hoc est quod *Paulus* ait *2 Corinth. cap. 6.* *O Corinthii*, inquit, *cor nostrum dilatatum est*: Per quid? per charitatem, in quæ verba sic ait *Chrysostomus Hom. 32 ad Rom.* Cor illud adeo latum fuit (per charitatem) ut in se completeretur integras urbes, populos, & gentes, quare non erraverit, qui dixerit cor totius orbis fuisse, charitas enim ad omnes homines, & ad omnia se extendit. Si vero mortui simus, jacemus in terra sepulti: Ergo sicuti herbæ quæ jacent sepultæ sub terra, pinguedine terræ reviviscunt in Vere, sic corpora nostra sumptione corporis Christi reviviscunt in die judicii.

Denique ut paucis absolvam, tantæ virtutis est panis iste cælestis, & alimentum tam forte, ut sola figura illius prophetam *Eliam*, sine alio cibo ad 40 dies potuerit sustentare: Res vero ipsa tam fortis, ut *D. Catharina Senensis*, aliquando ad mensem, nullo alio sumpto cibo, hoc solo pane vitam sustentavit: Imo, fuit in *Anglia*, inquit noster *Bollandus*, virgo quædam, quæ in domo paterna, per viginti annos vixit sine sumptione alicujus cibi, præterquam quod diebus tantum dominicis communicaret.

Adeoque cum nullus panis naturalis aut esse, aut dici possit pinguis, hoc enim potius vitio datur, non video de quo alio pane loquatur *Jacob*, quam de pane Eucharistiæ.

3 Dicit esse panem *Aser*, hoc est felicitatis ac beatitudinis, hoc enim nomen *Aser* Hebraicè significat: Et quis alius panis beatitudinis quam panis Christi, in quo accipimus pignus vitæ æternæ, ut ait *Christus Ioan. cap. 6.* *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*, vel ut ait: *D. Thomas*: Futuræ gloriæ nobis pignus datur. Ideoque singulis dicit Sacerdos, quando Communionem distribuit: *corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam tuam in vitam æternam.* Quid mirum? *Christus* enim hoc nobis reliquit in testamentum, & per illud nobis legavit hæreditatem æternam. Ergo panis Christi, vere ac propriè est panis beatitudinis. Nullum alium panem mihi assignabis de quo hoc dici possit, loquitur ergo *Jacob* de solo

pane *Christi* quem prævidebat in spiritu nobis dandum.

4 Dicit quod panis *Aser præbebit delicias regibus*: Quænam sunt deliciae regibus si comedant nudum panem? ergo aliud intelligit *Iacob*, nempe illum panem de quo ait *D. Hieronymus* quod illi qui comedunt corpus Domini vertuntur in Ecclesiae principes: Cum autem panis *Christi*, omnium exsuperet dulcedinum voluptates ut *Cyprianus* ait: Et nullus illius suavitatem digne possit exprimere, ut ait *S. Thomas*, & quidquid in hoc Sacramento est, dulcedine plenum fit, ut ait *Albertus Magnus*, denique fit dulcedo dulcedinum, ut ait *Bernardus*, quas non præbebit delicias illis qui per sumptionem fiunt reges & principes Ecclesiae?

Tales delicias præbebat regi *Davidi*, ut sola illius memoria cogeret illum exclamare *Psal. 30. Quam magna multitudo dulcedinis tua Domine, quam abscondisti timentibus te!* in quæ verba *S. Bernardus* ait: Prægustata dulcedine ejus, stupens propheta exclamat: Quanta multitudo dulcedinis, quam abscondisti in sacramento sub specie panis! Si huic regi tantas præbebat delicias sola memoria, quid faciet res ipsa? hoc patuit in illo *Iaponie* principe, nomine *Anger*, qui primus omnium in illa regione à *S. Xaverio* conversus est: Solebat enim ille dicere: Se nihil deliciosius in tota Catholica religione invenisse quam sumptionem corporis *Christi*.

Sequitur benedictio *Nephtali*. *Nephtali*, inquit *Iacob*, *cervus emissus, & dans eloquia pulchritudinis.*

Totum mysterium hujus benedictionis est, quod sicut cervus emissus & liber, in herbosa & fertili terrâ ludit ac salit, sic in sua sorte exultabit præ copia rerum tribus *Nephtali*. 2. *Dabit eloquia pulchritudinis*, hoc est, illa tribus erit præ cæteris comis, blanda, & humana, suaque urbanitate & eloquentiâ omnium animos sibi conciliabit. Hoc est quod etiam *Moyse Deuteron. cap. 33* prædixit: *Nephtali*, inquit, *abundantia perfruetur, & erit in benedictione Domini*, tunc addit: *Mare & meridiem possidebit.*

In hisce ultimis verbis singulare quoddam mysterium reperit doctissimus quidam Scriptor. Meridies, inquit, felicitatem humanam significat: Sicut enim in meridie sol altissimo cæli loco est, & maximam lucem emittit, sic homo in felicitate sublimi loco positus est, & radios felicitatis supra cæteros ejaculatur. Sed ista meridies in scripturis suspecta est. 1. Enim *David* Deum perdidit in meridie regis felicitatis: Audi Scripturam 2 *Reg. cap. 11. Accidit*, inquit,

Felicitas  
8914.

inquit, ut surgeret David de strato suo post meridiem, & deambularet in solario domus regie, vidique mulierem se lavantem &c. Aspectus causa amoris fuit, amor impuri desiderii, desiderium adulterii, sic David cecidit in meridie: Unde edoctus periculo suo, & postea cautior factus, ad Dominum exclamare coepit *Psalm. 55*: *Ab altitudine diei timebo*. Quasi diceret: Expertus sum Deum amitti in meridie, ideo timeo mihi ab altitudine diei: Ideo deinceps, nocte exquiram Deum, inquit *Psalm. 55*: *Media nocte surgebam*, inquit *Psalm. 8*, *ad conspuendum tibi: Rigabam lacrymis per singulos noctes lectum meum*, inquit *Psalm. 6*: *Memor fui nocte nominis tui*: Jam omnia nocte, quia Deū amiserat in meridie, ut nos doceret quam periculosa sit meridies felicitatis humanæ, & quam segura nox adversitatis ut Deum inveniamus.

Nec miram si *Davidi* tantus inconcussus timor de meridie, quando humanum genus universum in meridie periit. Perjimus in meridie sextæ diei, ut intelligeremus nobis ab altitudine felicitatis, quæ summa tunc erat in primis nostris parentibus, esse timendum; veniebat enim Deus ad illos, inquit Scriptura *Gen. cap. 3*, *deambulans in paradiso post meridiem*, post meridiem aderat ludeæ, quia peccatum commissum fuerat sub meridie, tunc enim diabolus facile triumphat de nobis, quando in meridie fortunarum & opum insolescimus. In tali meridie vix tuti sumus: Ibi *David* ambulat, & corrui, ibi *Adam* comedit & moritur, ibi Deus spatatur, & judicat. Semper suspecta felicitas quæ instar meridiei refulget.

Hoc ipsum conjicio ex eo quod *Moyse*, prædixit de *Nephtali*, nempe: *Plenus erit benedictionibus Domini: Mare & meridiem possidebit*. Hinc video, ubertatem & abundantiam rerum, plenam esse periculis. Quo enim fortior hostis eo fortioribus opus est armis: Ideo præcæteris à Deo instrui debuit tot benedictionibus *Nephtali*, ut tanto fortius dimicaret contra pericula felicitatis ac prosperitatis suæ: *Nephtali*, inquit *Moyse*, *Mare & meridiem possidebit*. Relinquo tibi meridianam istam possessionem, sed quæ sine amaritudine & fluctibus maris haberi non potest: Felicitas enim sine miseriis esse non potest, idem est felicitatis locus & tempestatum. Imo, teste Scriptura, sicuti hostes *Israelis*, vix alibi reperiebantur nisi in meridie, sic enim dicitur *Iosue cap. 12*: *In meridie fuit Hethæus, & Amoræus, Chananaus, & Pherezæus, & Hevæus, & Jebusæus*, omnes jurati hostes



hostes populi Dei, sic nullibi majores hostes animæ tuæ reperies quam in meridie felicitates Inter alios videntur dæmones esse particulariter ad hoc destinati ut homines in prosperitate oppugnent, dicit enim *David*, dæmonia esse meridiana. Hinc paucos reperies qui non aliquando in prosperitate insolescant. Qui si in obscuro latuissent poterant in magnos sanctos evadere.

Venimus modo ad benedictionem *Iosephi*, quæ valde ampla est, & longe præ cæteris omnibus eminet: Incipit autem hoc modo: *Filius accrescens Ioseph, filius accrescens, & decorus aspectu, filia discurre-runt super murum.* Bis vocatur filius accrescens 1. quia creverat in virtute 2 in dignitate sæculi; tunc laudatur à tanta pulchritudine, ut filia *Aegypti* ascenderent super muros domorum & urbium, ut viderent juvenem tam formosum, cultu regio tam insignem, & quasi patriæ mundique salvatorem, & ab illo vicissim viderentur: & quamvis *Rupertus* Abbas hoc tantum velit intelligi de hera *Iosephi*, quæ illum ad adulterium sollicitabat, tamen non est dubium quin multæ aliæ filia *Iosephi*, pulchritudinem videre voluerint, & admiratæ sint.

2 Dicit *Iacob*: *Sed exasperaverunt eum, & jurgati sunt, inviderunt-que ei habentes jacula. Sedit in forti arcus ejus, & dissoluta sunt vincula brachiorum & manuum illius per manus potentis Iacob. Inde pastor egressus est lapis Israel.*

Hic *Iacob* obscuris terminis nihil aliud describit quam ea quæ *Iosephus*, fuerat passus à fratribus; & quomodo manus eorum evaserit: *Exasperaverunt eum*, inquit, quamvis enim esset tam graciosus, inquit *Tyrannus*, alienis gentibus, tamen fratres ejus dure illum tractaverunt, & jurgati sunt, dicentes: *Numquid rex noster eris, aut ditioni tuæ subjiciemur?* & quasi jacula habentes, verberarunt, spoliarunt veste, projecerunt in cisternam veterem, denique in *Aegyptum* vendiderunt, tot jacula quæ animum adolescentis perforabant, quot verba, & verbera, & injuriæ.

*Sedit in forti arcus ejus*, hoc est: In tantis fratrum odiis & persecutionibus, in servitute, in carcere *Aegyptio*, *Ioseph* non cecidit animo, non elanguit, sed stetit constans & fortis, tanta spe defixus in Deum, qui liberavit illum è carcere, & vincula brachiorum ac manuum dirupit, & cum esset pastor, effectus est totius princeps *Aegypti*, & lapis, hoc est, firmamentum populi sui *Israel*.

Unde

Unde hæc tanta in *Iosepho*, fortitudo & constantia? Unde tam admirabilis mutatio ut è captivo ac pastore fieret prærex *Aegypti*? ex fiducia in Deum: Qui enim, inquit Propheta, confidit in Domino, non confundetur. Et in Scripturis vix ullum invenitur caput, in quo Deus opem & gratiam, & providentiam non promittat illis omnibus qui in illo confidunt. *Psalmi Davidis* pleni sunt: *Solomonis* libri vix aliud clamant quam fiduciam in Deum. Et quid *Christus* magis inculcat & urget? Quoties objurgavit discipulos quod non confiderent? Quoties adhortatus est miseros ut confiderent? Quoties tentavit Apostolos ut videret an confiderent? objurgavit *Petrum* cum ambulans super mare, inciperet mergi, ac timere: *O modicæ fidei*, inquit *Christus*, *quare dubitasti?* Ubi est fiducia tua? objurgavit omnes simul cum navigantes pœne submergerentur, & ipse dormiret, timebant, vociferabantur, *Perimus*: *Quid*, inquit, *timidi estis modicæ fidei?* Reprehendebat illos cum viderent illum ambulans supra mare inter tenebras, putabant spiritum esse, & conturbati sunt, & exclamaverunt, inquit *Marcus*, pœa timore: At ille dicebat: *Quid timetis? Confidite, ego sum.* Ferebatur ad illum homo qui multis annis jacuerat paralyticus, ut sanaretur, primum quod illi dicebat, erat: *Confide fili*, & bene tibi erit: Tetigerat mulier quædam fimbriam vestimenti ejus ut sanaretur à morbo: mox illi dixit: *Confide filia, & salva facta est*, inquit *Matthæus*, *mulier ex illa hora.* Cum in solitudine vellet pascere quinque millia hominum, *philippum* interrogat: *Vnde ememus panes?* hoc autem dicebat, inquit *Buangelista*, *tentans eum*, an haberet fiduciam. Hinc ego concludo quod voluerit homines in omnibus omnino rebus, & maximis, & minimis, & omnibus vitæ momentis, in Deo confidere, adeoque tota pœne Christiana vita in ista fiducia sita est: Tamen maximè necessaria est cum aut præces fundendæ sunt, aut tolerandæ adversitates.

De precibus quidem differens *Bernardus*, dicit *Serm. 4. de orat. & jeju.* multorum orationem aut esse timidam, aut tepidam, aut temerariam. Timida, inquit, oratio cælum non penetrat, quia refringit animum timor immoderatus, ut oratio, non dico non ascendere, sed ne quidem procedere possit. Tepida vero in ascensu languescit & deficit, eo quod non habeat vigorem. Temeraria ascendit, sed refilit, quia illi resistitur, nec tantum non obtinet

C c

gratiam,

Fiducia in Deum

gratiam, sed & meretur offensam.

Quæ vero fidelis & humilis, & fervens oratio fuerit, cælum sine dubio penetrabit, unde certum est quod vacua redire non poterit. Ita Bernardus.

Ante omnia vero necesse est ut oratio fidelis sit, sive fiducia. Multi antequam incipiant orare, incipiunt desperare; & dicunt, Deus non audiet me, non impetrabo quod petam, frustra orabo. Miseri homines! vix domo prodeunt, & defectu fiduciæ corruunt.

*Christus* volens nos docere, quomodo fiduciam in oratione excitare debeamus, hanc nobis parabolam proponit *Luc. cap. 18. In diebus illis, inquit, erat in quadam civitate, qui Deum non timebat, & hominem non reverebatur. Vidua autem quadam erat in illa civitate, & veniebat ad eum dicens: vindica me de adversario meo, & volebat per multum tempus. Post hæc autem dixit intra se: molestus est mihi hæc vidua, non dicabo illam: Sic, inquit *Christus*, oportet semper orare, & non deficere, sicut illa vidua, quæ non amittebat fiduciam quamvis longo tempore nihil impetraret, dicebat enim: Hodie mihi jus dicitur, si frustrata, cogitabat, cras fiet aut perindie; hæc hebdomada, hoc mense, saltem hoc anno sententia feretur: Denique fiducia tanta illius mulieris quæ perseverabat orando iudicem evicit: Si tam potens fuerit oratio apud iniquissimum iudicem, quid non poterit apud ipsam misericordiam? Revela, inquit *David Psalm. 36, Domino misericordiam tuam, & spera in eo, & ipse faciet; quid times? Si aliquis te maledicentia aut injuriis persequitur. Deo id querere, & ipse faciet. Molestus tibi caro tua, supplica Deo, & ipse faciet. Variis modis te diabolus tentat, Deum in auxilium voca, & ipse faciet, sed, ut *Christus* ait, oportet perseverare in oratione, & non deficere, nec fiduciam amittere: Si enim Deus diutius differat, ipse novit tempus quo cuique succurrere debeat: Si diutius differat, debes cogitare quod non sit è re tua tam cito concedere, quia ita te constitutum videt, ut sis abusus dono quod petis, vel insolens futurus, vel languidus serviturus Deo quam antea, noli tamen propterea amittere confidentiam, si non det hodie, post mensem dabit, vel post annum, quando nempe viderit te capacem ut bene utaris, sin verumquam det, cogita absolute esse contra salutem tuam quod petis.**

Videamus jam quomodo confidere debeamus Deo in rebus ad-

verfis. Pro fundamento pono doctrinam Philosophi *Seneca Lib. de Iruid. cap. 4.* Nemo, inquit, sciet quid possis, ne tu quidem ipse, nisi variis ærumnis exercearis: Opus est ad notitiam sui, experimento. Quid quisque posset nisi tentando non didicit. Itaque quidam ultro se, cessantibus malis obtulerunt, & occasionem per quam enitescerent, quaesierunt. Gaudent magni viri aliquando rebus adversis non aliter quam fortes milites bellis. Avida est periculi virtus, & quo tendat, non quid passura sit, cogitat, quoniam & quod passura est, gloriæ pars est. His Deus consulit quos esse quam honestissimos cupit, quoties illis materiam præbet aliquid animose fortiterque faciendi, ad quam rem opus est aliqua rerum difficultate?

Nihil aliud vult dicere *Seneca*, quam: Unde possumus scire quantum in fiducia erga Deum profecerimus, si omnia succedunt ex voto? unde possum scire, quantum adversus paupertatem tibi animi sit, si divitiis affluis? unde possum scire quantum adversus ignominiam & infamiam, odiumque constantiæ habeas, si interpretus senescis, si vitam sine adversario transis? ut hoc sciam, inquit *Seneca*, & de te, imo & de meipso, opus est experimento. Non est artis inter prospera dicere: *Dominus firmamentum meum*, hoc recte dicebat *David* cum esset in summa adversitate.

Ergo tunc maxime elucet fiducia quando adversis cingimur; hic locus, hic tempus fiduciæ.

In quos turbines, in quas ruinas, ac calamitates devenerat *Iob*? Hostes omne pecus abegerant, quidquid hostis intactum reliquerat, ignis de cælo delapsus absumpserat, omnes liberos unius domus ruina oppresserat. Ipse *Iobus* foedis ulceribus plenus, cognatorum & conjugis etiam lingua misere laceratus, omnia perdidit, præterquam generosissimam in Deum fiduciam: Nam cum iam sederet in sterquilinio, velut triumphabundus athleta, exclamavit: *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo, & ipse erit salvator meus.* Hoc est vere & mere in Deum confidere, etiam post omnes calamitates stare erectum, & non desperare. Nec *Iob* deceptus fuit in sua fiducia, Deus enim postea omnia duplicia reddidit.

Vis modo discere quibus mediis ad talem fiduciam pervenire possis? attende, docebo. Cum tibi mali aliquid accidit, eo ipso momento te ad Deum converte, & apud illū querere quidquid doler.

Hic omnes pœne erramus: Cum enim nos urgent adversa,

multorum aures querelis opplemus, omnium postremus est Deus. Quam primum ergo commotum te sentis, recurre ad Deum, & dic: *Domine quid me vis facere?* respondebit ille, quod ait *David* Psal. 26. *Exspecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum.*

2 Tace, & linguam contine, si minus potes, contine animum: Fac ut *David*: *Posui, inquit, Psal. 38, ori meo custodiam, cum confisteret peccator adversum me, obmutui & humiliatus sum, & filui.* Tu quoque inter miseras vel persecutiones, pone ori tuo custodiam, & fide Deo.

Si de adversariis tuis non possis loqui bene, saltem ne loquaris male. Optimum est filere, & silentio tuo ostendere quod fidas Deo, fore ut ipse aliquando loquatur pro te.

Silebat *Susanna* cum falso accusaretur, hoc unum egit ut fens suspiceret ad cælum, *erat enim, inquit Scriptura, Daniel. cap. 13, ei ejus fiduciam habens in Domino, nec frustra, quia dum illa silet, locutus est pro illa Deus, aperuit enim os Danielis qui illam contra improbas linguas defendit, & liberavit à morte.*

3 Totum te voluntati divinæ committe, faciat de te quod tibi placuerit, & noli dubitare quin sit futurum ad salutem tuam quicquid fecerit.

Sed quam pauci, inquit *Bernardus, de Convers. S. Pauli, inveniuntur* qui suam ita abjecerint voluntatem, ut dicant: *Domine quid me vis facere?* Plures habemus Evangelici illius cæci, quam Apostoli *Pauli* imitatores: *Quid vis, ait Dominus ad cæcum illum, ut faciam tibi?* Quanta miseratio tua, Domine? Siccine Dominus quarit, ut servi faciat voluntatem? Vere cæcus ille, quia non consideravit, non expavit, non clamavit; Absit hoc, Domine, tu magis dic quid me facere velis: Sic enim decet, sic omnino dignum est, non meam à te, sed à me tuam quæri & fieri voluntatem. Sic tamen, sic multorum usque hodie pusillanimitas & perversitas exigit, ut ab eis quæri oporteat: *Quid vis ut faciam tibi?* non ipsi quærunt: *Domine, quid me vis facere?*

Media suggesti per quæ ad veram in Deum fiduciam pervenire possimus, exempla rem adhuc clariorem facient.

Quæ prodigia non patravit *Moyse* in solo Deo confidens? non aliis armis usus contra hostes, quam virga quam manu gerebat: Hac solâ totum *Egyptiorum* exercitum submersit in mari: Hac numerosissimos *Amalecitarum* delevit exercitus.

*Ezechias* rex æger decumbens ad mortem, tantâ fiduciâ oravit ut Deus illi quindecim vitæ annos concesserit.

*Tonas* in ventre Ceti, jam proximus morti, & quasi extra mundum positus, ita confidebat in Deo, ut quamvis, mari undequaque circumdatus, ac nullibi pateret exitus, tamen summâ cum fiduciâ, quasi certus de auxilio Dei, diceret: *Rursus, Domine, videbo templum sanctum tuum.*

Ita denique nec *Daniel* medios inter leones, nec tres principes *Babylonii* medias inter flammâs desperavêre. Nemo enim, si tantum Dei providentiam, ejusque nos juvandi bonam voluntatem noverit, poterit vel latum unguem, inter adversitates, à fiduciâ discedere. Si enim res angustæ domi sint, habemus divitem Dominum, qui non tantum aves pascit, sed & de quo dicit *David* se numquam vidisse justum, quem in necessitate dereliquerit, aut cujus filios permiserit quærere panem. Inimica insurgunt agmina, sive ex hominibus, sive ex inferno? ducem habemus potentissimum, cujus robori omnia cedunt: Maledicæ premunt linguæ? habemus vindicem qui pro nobis ultionem capiat, neque enim se vinci ab homine patietur Deus: Audet aliquis sperare magna? majora dabit Deus, quo enim spes & fiducia major est, eo majora sunt dona cælestia: Certant inter se hominis in Deum fiducia, & immensa Dei liberalitas, utra sit victura; quidquid sit, fiducia hominis vincet Deum ut illi concedat quod petit, sed liberalitas Dei vincet hominem ut illi det plura quam petit.

Prosequamur verba *Iacobi* loquentis ad *Ioseph*: *Deus patris tui, inquit, adjutor tuus, & omnipotens benedicet tibi benedictionibus cæli de super, benedictionibus abyssi jacentis deorsum, benedictionibus uberum & vulvæ, benedictione patris tui confortata sunt benedictionibus patrum ejus, donec veniret desiderium collium aternorum: Fiant in capite Ioseph, & in vertice Nazaræi inter fratres suos.*

Precatur hic *Jacob* *Iosepho* omnes benedictiones cæli, & terræ, & filiorum, & quas ipse, & omnes majores ejus aliquando habuêre, & pro conclusione addit: *Fiat, fiat, & tandem aliquando benedicat filio suo Beniamino natu minimo, dicens: Beniamin lupus rapax: Mane comedet prædam, & vespere dividet spolia.*

Hæc *Jacob*, ut ajunt interpretes, non tam prophetat de *Beniamini* persona, quam de illis qui ex ejus tribu postea orirentur, quatuor autem reperio personas valde notabiles qui ex ejus tribu prodiêre.

diere. 1. *Saul* primus rex *Israëlis*, qui multas insignes victorias & prædas ex hostibus retulit. 2. *Esther* regina, & *Mardocheus* ejus avunculus, qui triumpharunt de *Amano* crudelissimo illorum persecutore. 3. *D. Paulus* Apostolus, de quo *Augustinus Serm. 14 de Sanct.* discurret hoc modo: Erat *Paulus* de tribu *Beniamin*: Cum autem *Jacob* benedicens filios suos, venisset ad benedicendum *Beniamin*, ait de illo:

*Beniamin lupus rapax.* Quid ergone semper erit lupus rapax? Absit, sed qui mane rapit prædam, vespere dividet spolia. Hoc in *Apostolo Paulo* impletum est, quia de illo dictum erat.

Videte ergo *i. Paulum* ut lupum rapacem. *Saulus*, inquit Scriptura, acceptis Epistolis à principibus Sacerdotum, ibat, ut ubicumque inveniret Christianos, ad Sacerdotes attraheret & adduceret, utique puniendos. Ibat spirans minarum & cædis in discipulos Domini, & aderat quando *Stephanus* lapidatus est, & magis sæviebat omnes adjuvando, quam suis manibus lapidando. En primo lupum rapacem. Sed voce *Christi* prostratus de cælo cecidit in faciem suam, & factus ex lupo Apostolus, quantas tunc prædas animarum eripuit diabolo, quam acriter contra illum, omnesque ejus ministros depugnavit, & spolia sua inter gentes divisit prædicando illis doctrinam cælestem, & spargendo in illorum animis Christianas virtutes. Hic tandem finis benedictionum *Jacob*.

## DISCURSUS XXXI.

### *Jacob* moritur.

**F**initis mandatis, inquit Scriptura, quibus *Jacob* filios suos instruebat, collegit pedes suos super lectulum, & obiit.

Exerarat se ut benediceret filiis, sedebatque in lecto pedibus dependentibus, nunc finito sermone, illis extremum valedicens, retraxit pedes suos supra lectum, & suaviter tradidit spiritum, quod cernens *Ioseph* ruit super faciem patris flens, & deosculans eum, in signum doloris flevit, in signum vehementis affectus, deosculatus est.

Mortuus est *Jacob* anno mundi bis millefimo ducentissimo quinquagesimo.

quagesimo sexto, ætatis suæ centesimo quadagesimo septimo: Tot patriarchæ illum præcesserant, de singulis dicit Scriptura, *mortuus est*. Ita *Genes. cap. 5* dicit: *Vixit Adam nongentis triginta annis*, ingens tempus! sed tandem *mortuus est*: Vixit *Seth* filius ejus nongentis duodecim annis, finis tot annorum mors fuit, mortuus est. Vixit *Enos* nongentis quinque annis, & mortuus est; Vixit *Methusalem* nongentis sexaginta novem annis, clausula tot annorum mors fuit, & mortuus est. Ita de reliquis loquitur Scriptura: Denique nil facit tempus tam longum, nihil tot anni, tandem mors omnia finit, sive ut loquitur Poëta: *Mors ultima linea rerum*.

In hoc ergo tota hominis vita consistit, *vixit, & mortuus est*, utrumque momentum est: In ictu enim oculi, ut quidam ait, clauduntur omnia. Vita stadium est, in hoc alii currunt per plateas voluptuosæ *Babylonis*, medias per voluptates, delicias, & sensualitates, & vanitates, & concupiscentias oculorum, quid tandem erit? mors cursum illum aliquando sistet, dicetque non plus ultra, finemque imponet omnibus voluptatibus ac vanitatibus.

1 Vita locus certaminis est, hic alii currunt post victorias & gloriam mundi, mors currentes subito occupat, & simul tot trophæa, tot signa ac vexilla relata ex hostibus, partaque ex illis gloria in nihilum recidunt.

2 Vita forum est, in quo alii negotiantur, luçantur, congregant divitias atque thesauros, donec tandem veniat mors, & finem imponit divitiis ita ut nihil possit auferri. Mors omnia finit.

3 Vita schola est in qua homines miris cogitationibus ac speculationibus se exercent, disputant, altercantur, scribunt de atomis, de lana caprina: quid tandem? moriendum est, tunc cogitationes omnes illæ ac subtilitates in ictu oculi evanescent.

4 Vita circulus est qui redit ad idem punctum, incipit à pulvere, & in pulverem revertitur, juxta illud quod dixit Deus *Adamo*: *Pulvis es, & in pulverem revertèris*.

Denique vita ludus scaccorum est, ubi alii partes regum agunt, alii equitum, alii peditum, sed sicuti absoluto lædo, omnia instrumenta sus deque miscentur, & in unum saccum conjiciuntur, sic finiente morte vitam, simul in unum dives & pauper: Finis omnium, clausula omnium est mors. Impares nascimur,  
pares



pares morimur : Hic nascitur dives, hic nobilis, ille rex, iste in cubili deaurato, alii è contrario nascuntur pauperes, in paupere casa, in stramine, nihil refert, quamvis enim impares sumus in vita, omnes tamen pares futuri sumus in morte.

Hoc unum in vita spectandum nobis est ut moriamur sicut *Iacob*, hoc est, ut moriamur in Domino: Clamat enim *Ioannes Apoc. Cap. 14. Beati mortui qui in Domino moriuntur*: Et *David Psal. 115. Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius*.

Huc tandem conatus nostri omnes, omnesque vires ac cogitationes collimare debent. Frustra succedunt reliqua, nisi pretioso exitu coronentur. Reliqui vitæ nostræ dies quasi membra sunt pulcherrimæ statuæ, quorum caput & princeps est dies supremus, Hoc destituta capite, quamvis formosissima statua, monstrum est: *Iudas* formosissimos habebat pedes quando instar Apostoli discurrebat cum cæteris per pagos & urbes, ut Euangelium prædicaret; dicit enim Scriptura: *Quam speciosi pedes Evangelizantium pacem & bona!* Habebat pectus argenteum, quando meruit Servatoris nostri imbui doctrinâ atque præceptis: Habebat brachia & manus aureas quando laborabat pro *Christo* in salutem animarum, sanabat ægros, & dæmones eiciebat, sed quia isti statuæ caput belluinum imposuit, supremumque vitæ diem se suspendendo foedavit, frustra fuere reliqua membra tam speciosa. E contrario: Quia *Petri & Pauli* pretiosa mors extitit, ideo inter statuas domus Domini principem locum meruere.

Ergo hoc unum præ cæteris nobis agendum est, ut nostra mors pretiosa sit, ex qua toti vitæ tantum accedit dignitatis & gloriæ. *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius*. Quo pacto hoc fiet si vita pretiosa fuerit in conspectu Domini: Vita enim mortis præludium est: Vitæ dies non postremi, depingunt diem supremum: Ut vixeris, sic occumbes: Non erit sine pretio mors, si vita fuerit pretiosa. Quapropter illo colore vitam depingas quo vis mortem tuam depingi. Tu fac ut totam vitam transigas in conspectu Domini, & in conspectu Domini, sive in Domino morieris: mori autem in Domino, idem est quod mori servum Domini; sic dicitur de *Moyse Iosue cap. 1. Moyse servus Domini mortuus est*. Hoc est, inquit *Cajetanus*, licet quandoque peccaverit, & peccando non fuerit servus meus, tamen mortuus est servus meus: Sic enim mortuus est, ut, quidquid erat, quidquid agebat, divinum esset.

Illi etiam servi Dei moriuntur in Domino, qui morientes quasi in sinu Domini conquiescunt, & sic quiescendo suaviter in morte obdormiscunt: Ita *Stephanus* inter saxa, lapidantiumque tumultum & fremitum, *obdormiuit*, inquit Scriptura *Actor. cap. 7, in Domino*. Ita & *Lazarum* amicum suum, cum esset mortuus, dixit *Christus* dormire.

O beati, qui sic in Domino moriuntur, & quare potissimum beati? quia *opera illorum*, inquit *Ioannes*, *sequuntur illos*: Sequuntur tanquam famuli Dominum suum, tanquam filii suum patrem, discipuli suum magistrum, milites suum ducem, nobiles suum regem, sequuntur usque ad tribunal Dei, deducunt & comitantur usque ad supremam curiam Dei. Sicuti ergo quam nobilis sit aliquis ex famulorum numero & ornatu cognoscitur: Ita qui ante regem gloriæ digne vult comparere, debet sibi providere de tot famulis bonorum operum ut quam ornatissimus compareat. Eo enim excipietur splendidius quo plures tales famulos habuerit in comitatu.

Pretiosa vita, pretiosam mortem facit, pretiosam autem vitam faciunt opera, & illa pretiosam mortem faciunt, quia simul cum moriente abeunt ex hac vita ad alteram. Ideo pretiosissima fuit mors Patriarchæ *Iacobi*, quia mortuus est plenus bonis operibus, eoque pretiosior quod vitam duxisset plenam miseriis quas summa cum patientia tolerarat. Quis enim describat omnia quæ bonus ille Patriarcha tota vita fuerit passus? 1. Ob iram & minas fratris sui *Esau* coactus fuerat relicta domo paterna fugere in *Mesopotamiam*. 2. Apud *Labanum* avunculum viginti annis durissimam servitutem perpeffus est. 3. Redux in patriam *Esau* fratrem sibi cum quingentis armatis occurrentem in via metu magno percussus extimuit. 4. Valde afflictus fuit stupro *Dinæ* filiæ suæ, & crudelitate barbara quam ejus filii exercuerant in principem *Sichem*, ejusque subditos omnes. 5. Mors *Rachelis* conjugis, quam summopere diligebat, in ipso partu morientis, maximo illum luctu affecit. 6. Peccatum primogeniti *Ruben* quod commiserat cum noverca sua illius animum potenter turbaverat. 7. *Iosephum* viginti tribus annis tanquam à fera discerptum, assidue deploraverat. 8. Fames & annonæ caritas quæ erat in *Chanaan*, ubi habitabat, magnas illi molestias faceffiverat quod deberet mittere filios suos ad quærendum panem in *Ægypto*. 9. Quis dolor illi fuerat quod *Simeon*

D d

ejus

ejus filius à *Iosepho* detineretur in vinculis, quod *Beniamin* deberet abduci in *Aegyptum* ? tantus hic dolor fuit ut diceret se moriturum. 10. Tot itinera, & profectiones quas vel jubente Deo, vel ex necessitate, confecerat.

Has aliasque plures anxietates, dolores, & cruces, quas à filiis filiis passus fuerat, expressit in morte cum illis futura prædiceret.

Tu *Ruben*, inquebat, primogenitus meus, caput familiae, qui cæteris consilio & exemplo esse debebas, *fusti principium dolorum mei*, quia maculasti stratum patris tui.

Vos vero *Simeon* & *Levi* induxistis patrem vestrum in periculum mortis, quando occidistis in *Sichem* tot viros innocentes.

Tu vero *Iuda*, quem omnes adorant, peccasti cum nuru tua, & quanta tædia inde sum passus.

Et tu *Zabulon* quem prævidebam magnum aliquando fore negotiatorem, naveque mercibus onustas missurum in omnes mundi plagas, in quas curas me coniecisti & timores, ne merces & naves tuæ perirent, & tu ad pauperiem devenires ?

Sciebam *Issachar* habitaturum ruri, ac tributis misere opprimendum: Misericordiae tuæ erant meæ. Tu cogita quis mihi tunc fuerit sensus.

At tu unica filia mea *Dina*, ubies? tu in juventute tua, inuiffi maculam familiae tuæ numquam eluendam, quia dum curiosa vagaris per urbem gentilium, deflorata es. O quantus ille cruciatus erat animo meo!

Hic vides quam miseram, & tædiosam, & plenam doloribus *Jacob* duxerit vitam: Ergo jam cogita quam pretiosa fuerit eius mors in conspectu Domini, cum nihil pretiosorem faciat mortem quam multa patienter ferre in vita pro Domino. Tot enim coronis à Domino honoramur in morte, quot miseras pro illo passi sumus in vita.

## DISCURSUS XXXII.

Planctus ob mortem Iacobi, ejusque sepultura. Mors Iosephi.

Mortuo Iacob, praecepit Ioseph, inquit Scriptura, servis suis medicis, ut aromatibus condirent patrem.

Antiquissimus inter Iudeos mos semper fuit corpora mortuorum aromatibus pretiosis condire. Hoc potissimum patuit in sepultura Christi. 1. Enim dicit S. Ioannes cap. 19, quod, cum Christi corpus depositum esset de cruce, venerit Nicodemus ferens mixturam myrrae & aloes, quasi libras centum, ipseque cum Iosepho Arimathaeo, acciperint corpus, & ligaverint illud in linteis cum aromatibus, & addit Ioannes: Sicut mos est Iudeis sepelire. 2. Dicit Marcus: Maria Magdalena, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata ut venientes ungerent Iesum.

Hunc ritum sepeliendi, teste Tacito Lib. 21 accepere Iudei ab Aegyptiis, & primi Christiani à Iudeis, nam ut scribit Tertullianus in Apolog. suo tempore faciebant Christiani magnas impensas in sepeliendis mortuis, & aromatibus condiendis.

Hunc ritum videtur Christus approbasse. Cum enim, ut narrat D. Mathaeus cap. 26 pranderet in domo Simonis leprosi, & accessisset ad eum Magdalena, ac pretiosum unguentum effunderet in caput Christi, murmurabant discipuli, dicentes: Ut quid perditio haec potuit enim unguentum istud venumdari, & dari pauperibus. At Christus ait illis: Quid molesti estis huic mulieri? opus enim bonum operata est in me, mittens enim haec unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit.

Corpore Iacobi jam condito, flevit eum, inquit Scriptura, Aegyptus septuaginta diebus & expleto planctus tempore, locutus est Ioseph ad familiam Pharaonis: Si inveni gratiam in conspectu vestro, loquimini in auribus Pharaonis, quod pater meus adiuraverit me, dicens: En morior, in sepulchro quod fodi mihi in terra Chanaan, sepelies me: Ascendam igitur & sepeliam patrem meum, ac revertar. Dixitque ei Pharaon: Ascende, & sepeli patrem tuum sicut adiuratus es.

Itaque profectus est Ioseph, & cum eo omnes senes domus Pharaonis, cunctique majores natu terra Aegypti; domus Ioseph cum fratribus suis,

suis, absque parvulis & gregibus atque armentis quæ dereliquerant in terra Gessen: Habuit quoque in comitatu currus & equites, & facta est turba non modica. Sive ut habent Septuaginta: Facta sunt castra magna valdè ad celebrandum funus Jacob.

Pergit Scriptura, & ait: Pecerunt ergo filii Jacob sicut praeceperat eis, & portantes eum in terram Chanaan, sepelierunt eum in spelunca duplici, quam emerat Abraham cum agro in possessionem sepulchri. Reversusque est Ioseph in Aegyptum cum fratribus suis, & omni comitatu, sepulto patre. Et habitavit in Aegypto cum omni domo patris sui, vixitque centum decem annis, quibus transactis, locutus est fratribus suis: Post mortem meam Deus visitabit vos, & ascendere vos faciet de terra ista, ad terram quam iuravit Abraham, Isaac, & Iacob. Cumque adjurasset eos, atque dixisset: Deus visitabit vos; asportate ossa mea de loco isto, mortuus est, & conditus aromatibus sepultus est in loculo in Aegypto.

Hic finis vitæ Iosephi, & simul finis huius historiae, atque ita, ut ait David: omnis consummationis vidi finem. Pergamus ergo ad ea quæ post mortem Iosephi accidere filiis Israël quæ fuse narrat Moyses in libro Exodi.

## P A R S II.

### DISCURSUS IN LIBRUM EXODI.

De iis quæ contigerunt ante missionem Moysis in Aegyptum.

#### P R Æ F A T I O.

**U**bi finitur liber Genesis, ibi incipit liber Exodus, nempe ab eadem materia: In hoc tamen differentia est, quod liber Genesis narret quomodo Israël intraverit in Aegyptum, liber vero Exodi, quomodo inde exiverit, vel potius quomodo eductus fuerit. Peccatum quod fratres Ioseph contra illum commiserant, in causa erat quod in Aegyptum divino iudicio proficisci cogerebatur, misericordia autem Dei causa fuit ut inde liberarentur.

Utriusque libri compendium pulchrè & breviter comprehendit David Psal. 104. Summa historiae Ioseph hæc est: Vocavit Deus Ioseph

super terram, & omne firmamentum panis contrivit: Misit ante eos virum, in servum venundatus est Ioseph: Humiliaverunt in compedibus pedes ejus, ferrum pertransiit animam ejus, donec veniret verbum ejus: Eloquium Domini inflammavit eum: misit rex, & solvit eum, princeps populorum, & dimisit eum: Constituit eum Dominum Domus sue, & principem omnis possessionis sua, ut erudiret principes ejus sicut semetipsum, & senes ejus prudentiam doceret: Et intravit Israël in Ægyptum, & Iacob accola fuit in terra Cham, & auxit populum suum vehementer, & firmavit eum super inimicos ejus.

Summam autem libri Exodi sic conficit David eodem Psalmo: Convertit Deus cor eorum ut odirent populum ejus, & dolum facerent in servos ejus: Misit Moysen servum suum, Aaron quem elegit ipsum: Posuit in eis verba signorum suorum, & prodigiorum in terra Cham: Misit tenebras & obscuravit, convertit aquas eorum in sanguinem, & occidit pisces eorum. Edidit terra eorum ranas in penetralibus regum ipsorum: Dixit, & venit canomyia, & cinifes in omnibus finibus eorum: Posuit pluvias eorum grandinem, ignem comburentem in terra ipsorum: Et percussit vineas eorum, & ficulneas eorum, & contrivit lignum finium eorum: Dixit, & venit locusta, & bruchus cujus non erat numerus: Et percussit omne primogenitum in terra eorum, primitias omnis laboris eorum. Et eduxit eos cum argento & auro, & non erat in tribubus eorum infirmus: Latata est Ægyptus in profectione eorum, quia incubuit timor eorum super eos: Expandit nubem in protectionem eorum, & ignem ut luceret eis per noctem: Ptererunt, & venit coturnix, & pane cali saturavit eos: Dirupit petram, & fluxerunt aqua, abierunt in sicco flumina: Et eduxit populum suum in exultatione, & electos suos in latitia.

Deinde prosequitur David Psal. 105. Increpuit, inquit, mare rubrum, & exsiccatum est, & deduxit eos in abyssis sicut in deserto: Et salvavit eos de manu odientium, & redemit eos de manu inimici, & operavit aqua tribulantes eos, unus ex eis non remansit &c.

Hic habes summam eorum quæ narrantur in libro Exodi. Præterea, omnia pœne, inquit Rabanus Abbas, præsentis Ecclesiæ Christianæ Sacramenta, in Exodo figuraliter exprimuntur. Summa salutis nostræ est quod per Christum è diaboli tyrannide liberati sumus, sicuti filii Israël à tyrannide Pharaonis liberati fuere per Moysen. 2. Baptismus noster, inquit Paulus 2 Corinth. cap. 10 figuratus fuit in mari rubro. 3. Mors Christi præostensa fuit in agno paschali, ut idem Paulus testatur 1 Cor. cap. 5. Manna figura fuit corporis

poris *Christi*, & aqua fluens de petra, sanguinis *Christi* in Eucharistia. Sacerdotium Leviticum figura fuit Sacerdotii *Christi*, ut *Paulus* docet *Hebr. cap. 9: Christus* Ecclesiam ædificavit, cujus pars adhuc in terra versatur, pars jam in cælo est, hoc significabat Tabernaculum, de cujus constructione agit liber *Exodi*.

Denique ex hoc libro discere possumus quid sit mundus, quid peccatum, quam miserum sit esse sub servitute diaboli, & quibus mediis inde eripiamur. Veniamus ad textum.

## DISCVRSUS I.

### Quinam intra verint Ægyptum.

**H**oc fusius narraverat *Moyfes* in libro *Genesis*, ut supra audivimus, hoc paulo brevius hic repetit: Sic enim incipit librum *Exodi*: *Hæc sunt nomina filiorum Israel qui ingressi sunt Ægyptum cum Iacob: Singuli cum domibus suis introierunt: Ruben, Simeon, Levi, Iudas, Issachar, Zabulon, & Benjamin, Dan, & Nephthali, Gad, & Aser: Erant igitur omnes anime eorum, qui egressi sunt de femore Iacob, septuaginta: Ioseph autem erat in Ægypto: Quo mortuo, & universis fratribus ejus, & omni cognatione illa, filii Israel creverunt, & quasi germinantes multiplicati sunt, ac roborati nimis impleverunt terram.*

Duæ mihi potissimum videntur rationes fuisse cur *Moyfes* ingressum *Israëliitarum* in *Ægyptum*, recensitis illorum nominibus singillatim, denuo narret, quamvis hoc prius fecisset.

*Exempla  
majorum.*

Prima ratio: Quia volebat nobis non tantum simpliciter proponere, uti fecerat in libro *Genesis*, sed etiam altius animis nostris imprimere memoriam virorum magnorum atque justorum: Sciebat enim, quantum ad vitam humanam recte instituendam, ponderis haberent majorum exempla, insigniumque virorum præclara gesta: Illa enim proposita oculis hominum, eorum corda inflammant, & excitant ad sui imitationem, rectumque virtutis callem demonstrant quo progredi debeamus, ut ad æternæ beatitudinis patriam tandem perveniamus, nam, ut ait *Ambrosius*, Sanctorum vita cæteris norma vivendi est.

Hinc variis Scripturæ locis invenimus in hunc finem majorum exempla virtutesque propositas.

I. Tam

1. Tamarctè erat obsessa *Bethulia*, ut cives de ejus liberatione desperarent, inciperentque agere de illius deditioe. Sed prodiit ex solitudine sua in publicum *Judith*, & orationem habuit ad Sacerdotes ac Seniores in qua illis ob oculos posuit exemplum *Abrahami* per multas tribulationes probati, exemplum etiam *Isaac*, *Jacob*, & *Moyfis* qui per multas tribulationes transierunt fideles. Qua oratione *Judith* suorum auditorum animos ita confirmavit, ut deinceps de auxilio Dei optime sperarent.

2. Cum magnus ille divinæ legis defensor *Matathias Machabeorum* Pater, quinque suos filios, ad animosam pietatem in Deum, & religionis defensionem excitare vellet, sic eos affatus est. *Nunc ergo, o filii! mementote operum Patrum quæ fecerunt in generationibus suis, & accipietis gloriam magnam, & nomen æternum: Abraham, nonne in tentatione inventus est fidelis? Ioseph in tempore angustie suæ custodivit mandatum, & factus est Dominus Egypti. Iosue, dum implevit verbum, factus est dux in Israel: David in misericordia sua consecutus est sedem regni in sæcula: Elias dum zelat zelum legis, receptus est in calum: Daniel in sua simplicitate liberatus est de ore leonum: Et ita cogitate per generationem & generationem.*

Quantam vim exempla ista habuerint ad animos filiorum inflammandos, ac corroborandos patuit ex illorum fortitudine qua tot bella contra hostes gessere, & multas de illis præclarissimas victorias retulere.

Denique *Paulus* Apostolus, ut nos excitaret ad vivam fidem in Deum, profert exempla quindecim virorum ex veteri Testamento, qui præ cæteris excellere in fide. Fuerunt enim sancti illi patres, quasi lucida quædam sidera in nocte veteris Testamenti, quæ præveniebant exortum solis *Justitiæ Christi* Domini, qui suo adventu totum mundum tenebris oblitum nova sua luce illustravit. Præcesserant illum *Abel* ad nobis repræsentandam innocentiam, *Enoch* ad docendam religionem, *Noë* ad demonstrandam longanimitatem, *Abraham* ad manifestandam obedientiam, *Jacob*, ad figurandam laboris tolerantiam, *Ioseph* ad docendum rependendum esse bonum pro malo, *Iob* ad docendam patientiam inter adversa, *Moyfes* ad docendam mansuetudinem &c. donec depulsis tenebris ævinus sol oriretur, qui plenum diem invehret mundo.

Ad hæc exempla nos provocat Scriptura ut habeamus quod imitemur, & ad quorum exemplar vitam nostram instituamus, & hæc



hæc est ratio cur *Moyſes* non contentus ſemel enumeraffe filios *Iacob*, denuo illos nobis proponit in principio libri *Exodi*.

Altera ratio cur *Moyſes* ingreſſum illorum tam ſingillatim deſcripſerit, fuit, ut nobis per ingreſſum illum depingeret genus humanum, & futuram Eccleſiam *Chriſti*.

1. Enim, ſicut *Iſraelitæ* erant prius in terra promiſſa, coacti fuerunt inde diſcedere propter peccatum in fratrem, & in *Ægyptum* abire, ubi longo tempore ſub ſæviſſimo tyranno oppreſſi ſunt, & plane pereundum illis erat niſi Deus ex gratia ſubveniſſet: Sic primus homo, cum in Paradifo collocaretur, erat in terra promiſſionis, at ubi peccavit, ſtatim ſecuta eſt fames, tunc enim illi dictum eſt à Deo: *Maledicta terra in opere tuo*, pro frugibus enim non germinabit niſi ſpinas & tribulos. Hæc fames & hæc maledictio eiecit eum è terra promiſſa, & coëgit illum abire in *Ægyptum*, hoc eſt, in tenebras, ubi enim Deus non eſt, ibi tenebræ ſunt, illic incidit in tyrannidem diaboli, à qua numquam liberari potuiſſet niſi *Chriſtus* ex mera miſericordia ei ſubveniſſet.

2. Per filios *Iſrael* in *Ægypto* depingere nobis voluit Eccleſiam fidelium in hoc mundo: Sicuti enim illi pauci erant in principio, imo tantum duodecim filii *Iacob*, & ſeptuaginta animæ in totum, ſic Eccleſia in principio parva fuit: Conſtabat enim tantum ex duodecim Apoſtolis, poſtea etiam ex ſeptuaginta duobus diſcipulis per quos deinde per totum mundum diſfuſa eſt, verum non niſi poſt mortem *Ioſeph* ſcilicet *Chriſti*: Quantumcumque autem creſceret Eccleſia, tamen adhuc in *Ægypto* erat, & adhue eſt, donec tandem transferatur in cæleſtem terram promiſſionis, quod non fiet niſi poſt ſupremum iudicii diem.

## DISCURSUS II

### *Opprimuntur filii Iſrael in Ægypto.*

**I**Am fixum domicilium habebant in *Ægypto Iſraelitæ*, ac poſt mortem *Ioſeph* ita multiplicati erant ut totam terram imple-  
rent, cum ecce, inquit Scriptura, *Surrexit rex novus in Ægypto qui igno-  
rabat Ioſeph, & ait ad populum ſuum: Ecce populus filiorum Iſrael multus,  
& fortior nobis eſt, venite, ſapienter opprimamus eum.*

Quod

Quod nomen Regi illi fuerit Scriptura non exprimit, sufficiebat enim dicere quod esset *Rex novus*, hoc est, plane dissimilis illi regi sub quo *Israel* intraverat in *Aegyptum*: Hic enim *Iosephum* eductum è carcere promoverat ad summum principatum totius *Aegypti*. Hic advenientem cum tota familia sua *Iacobum*, benigne exceperat, dederat illi partem *Aegypti* in possessionem, ubi in summa quiete *Israelita* vivebant. Hic denique approbavit quidquid *Ioseph* statuebat. Rex vero ille novus, non curabat decreta *Ioseph*, inquit textus *Chaldaicus*, vel ut habet noster textus *Latinus*, ignorabat *Ioseph*: Non est credibile quod prorsus illum ignoraret, cum beneficiis ab illo *Aegypti* regibus praestitis etiam cum frueretur; nam *Ioseph* instituerat ut quinta pars frugum ac bonorum illis regibus solveretur: Beneficium noverat Rex ille novus, sed benefactorem nolebat agnoscere: satis illi erat frui bonis quae *Ioseph* regno praestiterat, de caetero non curabat quis praestitisset.

Ingratitudo.

Huic non absimile est quod Scriptura narrat *lib. 1. Reg. cap. 16* de *Saule*. Notiora sunt *Davidis* in *Saulem* beneficia quam ut fusius explicari debeant. Inter alia multa, liberaverat illum non semel à spiritu malo, pulsando coram illo *Iyam*: Liberaverat illum à terribili illo Gigante *Goliath*, quem funda prostraverat. Videamus primo psallentem. Dicebat *Saul* Patri *Davidis*, mitte filium tuum ut stet in conspectu meo: invenit enim gratiam in oculis meis, igitur quodcumque spiritus Domini malus, arripiebat *Saul*, *David* tollebat *cytharam*, & refocillabatur *Saul*.

Interea *Saul* profectus ad castra remisit *David* ad patrem. Pater autem illum misit ad fratres qui erant in castris *Saule* ut illis provideret de victu. Quo cum venisset, & intellexisset blasphemias & convicia quae *Goliath* evomebat contra Deum, Regem, & arcam Domini, postulavit ut singulare certamen iniret cum isto impio Gigante. Annuit *Saul*, qui cum vidisset illum inermem ex tentorio suo procedentem in campum contra *Goliath*, ait ad *Abner* ducem suum, de qua stirpe descendit hic adolescens?

Hoc est mirabile: Non nosti illum adolescentem? non es ergo memor quod pater ejus, à te rogatus, illum tibi submiserat? eumque prius amaveras & laudaveras? non meministi quod dixeris: Stet *David* in conspectu meo, invenit enim gratiam in oculis meis? & jam petis: Quis est hic adolescens? tam cito tibi excidit quod sua *lyra* non semel à te spiritum malum depulerit? perierat imperium, perierat

Ec

perierat

perierat religio, perierat *Hebræorum* nomen & stirps nisi unus *David Goliatho* occurrisset, eumque trucidasset: & post tot beneficia tibi præstita, non noscis *David*? quis crederet tantum benefactorem tibi posse excidere, nisi sciret te esse *Saulem*, hoc est, hominem ingratum, ut aliunde patuit ex aliis tuis actis?

Quando hæc ita se habent, & inter homines valde commune fit, non miror Philosophum *Senecam* septem præstantissimos libros conscripsisse de beneficiis, ubi acriter invehitur in ingratos, & ingratitude criminis exaggerat: Opere pretium erit illum audire loquentem.

Non mirum est, inquit i. inter plurima maximaque vitia, nullum esse frequentius quam ingrati animi. Id evenire ex pluribus causis video. Prima, quod non eligimus dignos quibus tribuamus, atque ita beneficia magis projicimus quam damus, hinc semina spargimus in solum effatum ac sterile, unde nullus expectandus est fructus. Deinde multos experimur ingratos, plures facimus, quia beneficia quæ in amicos contulimus, vel levitate, quod pœnitent nos contulisse, vel querimonia, quod non statim reddantur destruimus. Nihil magis præstandum est quam ut memoria meritorum nobis hæreat quæ subinde reficienda est: Quia referre non potest gratiam nisi qui meminit, & qui meminit, jam refert. Non referre gratiam pro beneficiis turpe est, & apud omnes habetur.

De ingratis etiam ingrati queruntur, cum interim hoc omnibus hæreat quod omnibus displicet: Adeoque in contrarium itur, ut quosdam habeamus infestissimos non post beneficia tantum, sed propter beneficia. Hoc pravitate naturæ accidere quibusdam, non negaverim: pluribus, quia memoriam interpositum tempus subduxit: Nam quæ recentia apud illos viguerunt, ea interjecto spatio obsolescunt. Sunt quidem qui tales non ingratos vocent, sed oblitos, tanquam ea res ingratum excuset, quæ facit. An quia hoc accidit alicui, non sit ingratus, cum hoc non accidat nisi ingrato? multa sunt genera ingratorum: Ingratus est, qui beneficium accepisse se negat, quod accepit: Ingratus est qui dissimulat: Ingratus qui non reddit: Ingratissimus omnium, qui oblitus est: Illi enim si non solvunt, tamen debent, & extat apud illas vestigium meritorum intra malam conscientiam conclusorum, & aliquando ad referendam gratiam converti possunt, si illos pudor admonuerit, si invitaverit facilis occasio: Sed hic numquam fieri gratus potest.

test cui totum beneficium elapsum est: Numquam ille voluit gratus esse qui beneficium tam longe projecit, ut extra conspectum suum poneret. Quemadmodum enim quæ in usu sunt, & manum quotidie tactumque patiuntur, numquam periculum situs adeunt, illa vero quæ ad oculos non revocantur, sed extra conversationem, ut supervacua jacuerunt, sordes ipsa colligunt vetustate. Ita quidquid frequens cogitatio exercet ac renovat, memoriae numquam subducitur, quæ nihil pendit nisi quod non sæpe respexit.

Præter hanc causam, aliæ quoque sunt, quæ nobis merita nonnumquam maxima velant; prima omnium ac potissima, quod novis semper cupiditatibus occupati, non quid habeamus, sed quid petamus, inspicimus: Sequitur autem, ut ubi quod acceperis, leve novorum cupiditas fecit, auctor quoque eorum non sit in pretio: Amavimus aliquem & suspeximus, & fundatum ab illo statum nostrum professi sumus, quamdiu nobis placebant ea quæ consecuti sumus: Deinde irrupit animum aliorum admiratio, & ad ea impetus factus est ex magnis majora cupiendi, protinus excidit quidquid antea apud nos beneficium vocabatur, nec ea intuemur quæ nos aliis præposuere. Hinc *Epicurus* assidue queritur quod adversus præterita simus ingrati, quia quæcumque percepimus bona in memoriam non reducimus; nec libenter quid cuique debeamus, recognoscimus.

Jam quaeritur an crimen ingratitudeis plecti debeat: Nusquam punitur, ubique tamen improbat: Non absolvimus illud, sed tantum odio condemnamus, & relinquimus inter ea, quæ ad Deos vindices mittimus. Rationes autem multæ mihi occurrunt, propter quas crimen hoc in legem cadere non debeat. Prima, quia huic uni legi omnia fora non sufficient: quod *Seneca* fuisse, & multis argumentis egregiè probat, quæ nimis longum esset recensere.

Tunc prosequitur: Quid ergo, inquit, impunitus erit ingratus? impunita tu credis esse, quæ invisa sunt? aut ullum supplicium gravius existimas publico odio? poena est quod omnes illum detestentur. Denique, intolerabile, inquit, vitium est ingratitude, quod dissociat homines, quod concordiam, qua imbecillitas nostra fulcitur, scindit ac dissipat.

Hactenus audivimus *Senecam* discurrentem ut Philosophum de ingratitude inter homines, modo audiamus illum sermocinantem ut Christianum de ingratitude erga Deum. Quis est, inquit,

tam miser, tam neglectus, quis tam duro fato, & in miseras natus qui Deorum munificentiam non senserit? Ipsos illos complorantes sortem suam, & querulos circumspice, invenies non ex toto beneficiorum caelestium expertes: Neminem esse ad quem non aliquid ex illo benignissimo fonte manaverit: Unde enim hæc innumerabilia, oculos, aures, animum mulcentia? neque enim necessitatibus tantummodo nostris provisum est, usque in delicias amamur. Tot arbuta non uno modo frugifera, tot herbæ salutare, tot varietates ciborum per totum annum digestæ, ut inerti quoque fortuita terræ alimenta præberent. Jam animalia omnis generis, alia in sicco solidoque, alia in humido innascentia, alia per sublime dimissa, ut omnis rerum naturæ pars tributum aliquod nobis conferret. Flumina hæc amænissimis flexibus circumcingentia, illa præbitura commerciis viam, vasto & navigabili cursu vadentia: Ex quibus quædam statis diebus mirabile incrementum trahunt, ut anhela & ferventi subjecta cælo loca vis altivi torrentis irriget. Quid medicatorum torrentium venæ? Si pauca quis tibi donasset jugera, accepisse te diceres beneficium; quantum ergo beneficium sunt immensa terrarum latè patentium spatia? si pecuniam tibi aliquis donaverit, & arcam tuam impleverit, beneficium vocabis, & Deus tot metalla defodit, tot flumina decurrunt aurum vehentia, argenti, æris, ferri immane pondus omnibus locis obrutum, cujus investigandi tibi facultatem dedit, ac latentium divitiarum in summa terra signa disposuit. Si domus tibi donetur in qua marmoris aliquid splendat, & tectum nitidius auro aut coloribus sparsum, non mediocre munus vocabis: Quantum ergo munus quod totum mundum tibi dederit pro domicilio sine metu ruinæ, in quo vides tectum fulgens de nocte lumine Lunæ, interdiu lumine solis? Unde tibi illum quem trahis spiritum? unde istam per quam actus vitæ tuæ disponis atque ordinas lucem? unde sanguinem cujus cursu vitalis continetur calor? unde ista palatum tuum saporibus exquisitis ultra satietatem lacessentia? nonne si gratus es, dices: Deus nobis hæc otia fecit?

Ille Deus est, non qui paucas boves, sed qui per totum orbem armenta dimisit, qui gregibus ubique passim vagantibus pabulum præstat, qui pascua hibernis æstiva substituit, qui tot artes, tot vocum varietates, tot sonos, alios spiritu nostro, alios externo, cantus edituros commentus est: Neque enim nostra, quæ invenimus,

dixeris

dixeris, non magis quam quod crescimus: Infita sunt nobis omnium ætatum, omniumque artium semina, magisterque ex occulto Deus producit ingenia.

Et erit aliquis tam ingratus Deo qui hæc non videat, non recognoscat, non gratias referat? ô stupiditatem & stuporem illorum qui dicunt: Natura hæc omnia nobis præstat! non intelligis te inquit *Seneca*, cum hæc dicis, mutare nomen Deo? quid enim aliud est natura quam Deus, & divina ratio toti mundo & partibus ejus inserta? ille est prima omnium causa ex qua cætera pendent. Tot appellationes Dei esse possunt quot munera. Quocumque te flexeris, ibi Deum videbis tibi occurrentem, nihil ab illo vacat, opus suum ipse implet: Ergo ingratus mortaliū est qui negat se Deo debere, sed naturæ, quia nec natura sine Deo est, nec Deus sine natura. Idem est utrumque, nec distat. Hæcenus aureus *Seneca* discursus.

Redeamus ad historiam. Diximus quod novus *Aegypti* rex non nosset *Iosephum* quia oblitus erat, ingratus homo, vel non curabat beneficia quæ *Ioseph*, & Deus per illum præstiterat regno. Ergo ait, inquit Scriptura, ad populum suum: *Ecce populus filiorum Israël multus, & fortior nobis est: Venite, sapienter opprimamus eum ne forte multiplicetur, & si ingruerit contra nos bellum, addatur inimicis nostris, expugnatique nobis egrediatur de terra.*

Tres potissimum hic invenio causas cur *Aegyptii* opprimere velent filios *Israël*. Prima erat metus. 2. Invidia. 3. Odium.

Quod timerent, indicant illa verba Scripturæ: *Populus filiorum Israël multus, & fortior nobis est.* Hinc timebant ne ingruente bello se jungerent hostibus *Aegyptiorum*, iisque victis ac spoliatis exirent *Aegypto* ad terram sibi à Deo promissam: Jactabant enim passim *Israëlitæ* majoribus suis hoc à Deo promissum.

1. Invidebant *Aegyptii* *Israëlitis*, quia cum illi esset, inquit *Iosephus* *Lib. 2. Antiq.* gens delicata, & ad labores segnis, voluptatibus tantum, & captandis unde quaque lucris dedita, non poterant ferre quod *Israëlitæ* essent gens tam laboriosa & industria, aliisque animi & corporis dotibus instructa, quibus illi carebant.

3. Oderant illos, ut inquit Scriptura, quia diversi erant indole, moribus, ac religione. *Aegyptii* enim boves, aliaque animalia, *Israëlitæ* vero unum & verum Deum colebant: Sacrificabant & comedebant oves & boves, quod abominabantur *Aegyptii*.

Sed quomodo oppressio ista in opus redacta est? audiamus Scripturam. *Præposuit, inquit, eis rex magistros operum, ut affligerent eos oneribus.* Alii legunt. *Præposuit illis præfectos tributorum, unde patet quod non tantum laboribus, sed etiam tributis eos opprimeret ne vel numero vel pecunia crescerent.*

Opera autem illorum erant ædificare duas civitates, scilicet *Pithom & Ramesses.* Erant hæc urbes in regni limitibus. *Iosephus* autem historicus addit, impenitos fuisse ad construendas pyramides, & ad fluvium *Nilum* in varias fossas deducendum, & aggeres objiciendos, quibus inundationes fluminis arcerentur, etiam ad agros colendos adhibitos fuisse alii dicunt. Denique uno verbo omnia complectitur textus *Hebraicus* dum ait: *Servire fecerunt filios Israel in sævitia, & magnâ tyrannide.*

Persecu-  
siones Ec-  
clesiæ.

Sed mox addit Scriptura: *Quanto opprimebant eos tanto magis multiplicabantur, & crescebant.*

Habes hic verum typum Ecclesiæ Christi quæ inter innumeras persecutiones, afflictiones, tyrannides, & inaudita tormenta, non tantum ita multiplicata est ut totum terrarum orbem impleverit, verum etiam quo majora patiebatur, eo magis crescebat.

Placet hoc audire à primi temporibus? loquatur. *I. S. Iustinus* martyr qui vixit 200 annis post Christum: Sic ille ait in *Dialogo cum Tryphone.* Quod nos, inquit, in Christum credentes nemo terrore aut domare valeat, apparet quotidie. Cum enim obruncemur, crucifigamur, objiciamur bestiis, ignibus aliisque tormentis tradamur, tamen à confessione non discedimus, sed quanto magis in nos sævitur, tanto plures pietatem & fidem per nomen *Jesu* profitentur, haud secus quam si quis vitem putatione provocet ad ubertatem fructuum.

Loquatur 2 *Tertullianus* ejusdem pœne temporis auctor scribens ad *Scapulam*: Cum omni sævitia vestra, inquit ad ethnicos, concersamus, etiam ultro erumpentes, magisque damnati quam abfoluti gaudemus, non deficit hæc secta, quam tunc magis ædificari scias cum cædi videtur; Exquisitior quæque crudelitas vestra, illecebra est magis sectæ: Plures efficimur quoties metimur à vobis: Semen enim Christianorum sanguis est martyrum.

Hic sanguis seminatus in agro Ecclesiæ fructum protulit innumerabilem, fecitque ut tot myriades hominum, relicta majorum religione, relictis voluptatibus ac vitiis quibus ab incunabulis af-

sueve.

fuereant, novam ac peregrinam doctrinam admitterent, & pro Christo suas cervices secandas præberent. Direptio bonorum, exilia, carceres, cruciatus, mortes, nihil aliud erant quam propagatio Evangelii, & multiplicatio fidelium: Mirabile dictu, & mirabilis auditu; contra teneram adhuc & nascentem primam Ecclesiam pugnabant *Judei* prætextu religionis, Philosophi omni scientiarum genere excellentes, Sophistæ disputandi gratia pæne invincibiles, Rhetores eloquentia admirabiles, tyranni omni crudelitatis genere armati, Reges, Præsides, Magistratus, Magi, falsi fratres, hæretici; hos omnes tumultus, & violentiam Ecclesia sustinuit, perripuit, devicit, imo crevit inter confiscationes, equuleos, virgas, secures, cruces, ignes, craticulas, bestias, denique per varias illecebras quibus etiam fortissima pectora frangi poterant.

Dicebant tyranni: Abnega Christum, & eris inter proceres meos primus, ni facis, confiscabuntur omnes facultates tuæ, sæviam in uxorem ac liberos, & tu objicieris bestiis delacerandus: Nec promissa speciosa quidquam poterant, nec minæ: Spectabant uxores ac liberos duci ad mortem, & agebant gratias Deo: Ipsi se ultro, cum effugere possent, tradebant excarnificandos: Et quamvis innumeri pæne raperentur ad mortem, crescebat Ecclesia magis ac magis: Hoc est quod dixit *D. Leo* de suo tempore ante annos 1300. Non minuitur, inquit, *Serm. 1 de SS. Petro & Paulo*, persecutionibus Ecclesia, sed augetur, & semper Dominicus ager segete ditiore vestitur, dum grana, quæ singula cadunt, multiplicata nascuntur. Hoc idem scripsit *Moyſes* de *Israelitis*, cum dicit: *Quanto magis opprimebant eos Aegyptii, tanto magis multiplicabantur, & crescebant.*

Quod Ecclesie contigit, idem contingere videmus multis hominibus in particulari. Superiorum consule exempla ætatum & videbis, quod quos Deus optimos esse, quos clarissimos vult, arumnis objicit, in omnes occasiones intentus ut sui in virtutibus crescant: Dum enim virtutes illorum probat, in lucem protrahit, dum illas exercet, perficit, & dum vexari agitarique permittit, claras toto orbe atque illustres facit quæ sine adversario marcescerent, & sine luce perirent in tenebris. Hoc est quod *Seneca* ait *Lib. de Provid. cap. 4.* Non est arbor solida, nec fortis nisi in quam frequens ventus incurſat, ipsa enim vexatione constringitur, & radices certas figit. Hinc nullæ arbores altius excrescunt, nullæ solidiores quam *Cedri* in *Libano* monte, utpote magis ventis expositæ; debiliores sunt,

Tribulationem  
tionem  
stiffas.



inquit *Seneca*, quæ crescunt in Vallibus quia magis tuta à tempe-  
statibus aëris: Sic liliū magis eminet inter spinas, *Adamas* in  
tenebris, aurum in igne, homo in tribulationibus: Quis enim  
qui verus aestimator virtutum est, non dicat pulchrius spectaculo  
esse *Paulum* Apostolum cernere catena constrictum carceres  
illustrantem, quam *Cæsarem* trabeatum ascendere Capitolium  
*Romanum*? *Stephanum* ceter saxorum grandinem stantem immo-  
bilem quam *Sardanapalum* inter optima fercula, aureosque calices  
temulentum? *Laurentium* in candenti craticula exultantem, &  
insultantem tyranno, quam *Heliogabalum* stertentem in molli lo-  
cto.

Quid dicam de *Iob* sedente in sterquilinio, ex tanto principe fi-  
ctus miserimus hominum? hoc sterquilinium, inquit *Chryso-  
stomus* ad tantam illum dignitatem, sublimitatemque exivit ut eum et-  
iam maximi reges venerentur ac colant. *Iob* electus fuit à Deo,  
ut cum *Satanas* omnes suas vires in eo oppugnando exereret, il-  
lustri documento sæculis omnibus innotesceret quid possit erectus  
in Deum animus, & quanta in adversis gloriæ seges ac materia sit  
reposita. Numquam majori Triumpho vicit *Iob*, quam cum tot  
ærumnis obseptus vinci non potuit; tanto enim magis crescebat  
ejus gloria, & multiplicabatur virtus, quanto magis opprimeba-  
tur. Cum enim nihil illi reliquum esset, cum dæmon nihil intea-  
tatum reliquisset, omnibus evasit superior. Tunc omnium in se  
oculos convertit, cum prostratus videri posset. Tunc insultabat  
dæmonibus quos vicerat, tunc invicti animi robore homines in  
stuporem rapiebat, tunc angelos tot victoriarum præcones habebat,  
tunc Dei oculos sua constantia ac patientia oblectabat. Num-  
quam ad tantam sublimitatem *Iob* pervenisset in throno, quantum  
asssecutus est in sterquilinio: Quanto enim magis opprimebatur,  
tanto magis crescebat.

Quanta ergo mortalium illorum cæcitas qui animum despo-  
dent inter miseras, quando vel iram, vel odium Dei, vel detrac-  
tionem existimant, quod inter maxima Dei beneficia reponi  
deberet: Milites sumus, juxta illud *Iobi*: Militia est vita hominis  
per terram, sub vexillo *Christi* Imperatoris nostri militamus: Quis  
faciunt in profana militia Imperatores? Eligunt illi ex toto numero  
si quos habent strenuos milites ad hostem aggrediendum, si  
quos fortes ad sustinendum impetum belli, si quos industrios ad  
struendas

audendas insidias, si quos intrepidus ad pericula subeunda, illis  
 ardua quæque committunt, hi autem beneficium interpretantur  
 se posse pro omnibus periclitari, magnoque sibi honori ducunt ac  
 gloriæ, se dignos habitos qui possint in media morte per sclopeta,  
 enses, & hastas discurrere. Sic hæc in profana militia ita se ha-  
 bent, quid mirum si *Christus* imperator noster generosos maxime  
 animos, ideoque sibi chariores eligit ut illos asperis rebus exer-  
 ceat?

Hiergo præ cæteris in laude ponere debent stare intrepide in  
 prima acie, contumelias verbaque probrosa, ut tela & saxa circa  
 galeas crepitanter despicere, contemnere stulta mundi judicia, de-  
 nique omnibus incedere lætitiis cum in medios hostes immittun-  
 tur à duce. Hæc enim sunt quæ illos præ cæteris chariores *Christo*  
 esse ostendunt.

Tales in exemplum ponit, ut doceant eos qui abjecto pusillo-  
 que sunt animo, in istis quas tantopere horrent, injuriis, contu-  
 meliis, egestate, ærumnis, nihil esse terribile præter timorem,  
 & hoc unicum esse solatium omnis miseriæ acerbiteratem vel non  
 esse gravem, vel brevem: Si enim ferri potest, levis est, si non  
 potest, brevis est. Denique si opprimi durum est, quid glorio-  
 sius vel oprabilius quam per ipsam oppressionem magis crescere  
 & elevari?

### DISCURSUS III.

*libet Rex Ægypti occidi omnes masculos Israëlitarum.*

**R**ex *Ægyptus* non contentus filios *Israel* tam duris operibus  
 opprimere, videns quod in dies magis crescerent ac multi-  
 plicarentur, dirum crudelitatis genus excogitavit ut hoc impedi-  
 ret. Audiamus quid hac de re dicat Scriptura.

*Dixit autem, inquit, Rex Ægypti obstetricibus Hebræorum, quorum  
 una vocabatur Sephora, altera Phua, præcipiens eis: Quando obstetricabi-  
 tis Hebræas, & partus tempus advenerit, si masculus fuerit, interficite, si  
 femina, reservate.*

Plures erant in *Ægypto* obstetrices, duas tantum vocavit præ-  
 cipuas, quæ cæteris mentem ejus significarent. Masculos tantum  
 vole-

Ff

vole-

volebat occidi, quia ab illis sibi metuebat, ut prius indicarat, & majores facti, sumerent arma, sese hostibus jungerent, & pugnarent contra *Aegyptios*; puellas vero servari volebat, quia ab illis nihil metuebat, volebatque illis postea abuti ad suas delicias, & rant enim longe formosiores & gratiosiores quam *Aegyptia*.

Præcipuam hujus crudelitatis causam describit *Iosephus* historicus *Judeus Lib. 2. Antiquit. cap. 5.* Quidam, inquit, ariolus prædixerat regi nasciturum per id tempus apud *Israelitas* quendam puerum, scilicet *Moysem*, qui *Aegyptios* graviter erat afficturus, & *Israelitas* è contra evecturus, si modo ad ætatem adultam perveniret, nam & virtute & gloria præstantissimum fore ac celeberrimum. Quo terrore percitus rex, juxta illam prædictionem, jussit interfici quidquid masculini inter *Israelitas* nasceretur.

Plane sicut *Herodes*, qui cum audisset ex tribus regibus, natum esse puerum in *Bethlehem* qui esset rex *Judeorum*, omnes infantes in *Bethlehem* jussit occidi, ut inter cæteros natus ille puer interfectus retur.

Sed quid *Aegyptiaca* obstetrices accepto regis mandato, egerunt? *Timmerunt Deum*, inquit Scriptura, & non fecerunt juxta præceptum regis *Aegypti*, sed conservabant mares.

*Timuerunt Deum?* ergo non est mirum quod tantum scelus perpetrare noluerint, quia, ut ait *Ecclesiasticus cap. 1.* *Timor Domini expellit peccatum.* In quæ verba sic ait *Bernardus de Divers. Affect. serm. 1.* *Timor Domini*; inquit, expellit peccatum, sive quod jam admissum est, sive quod tentat intrare, admissum expellit peccatum, alterum resistendo.

Primum patuit in bono latrone qui tam obduratus erat in suis peccatis, ut prius cum socio suo *Christum* blasphemaret pendens in cruce; dicit enim *D. Mattheus cap. 27.* quod cum cæteri *Judei* clamaret: *Si filius Dei es descende de cruce.* Nihilominus tamen subito ita conversus est, ut meruerit audire à *Christo*: *Hodie mecum eris in paradiso.* Ergo jam ab anima omne peccatum expulsum. Sed unde tam subita puritas ab omni peccato in tanto peccatore? patet ex ipsius met verbis quæ ad alium latronem peccatorem verantem in suis blasphemis, dicebat: *Neque tu times Deum?* quod diceret: *Adhuc, jam proximus morti, non times Deum, sicut ego prius non timui? perditus es, sed tantus timor Dei me jam*

corripuit, ut hunc hominem nobiscum pendentem in cruce, credam & confitear Deum, ideo desleo peccata mea, & rogo illum ut meminerit mei cum venerit in regnum suum: Ecce quod ait Bernardus: *Timor Domini expellit peccatum admissum.*

Idecirco cum *S. Ioannes Baptista* suos auditores excitare vellet ad poenitentiam: *Facite*, inquit, *fructus dignos poenitentiae*: Accurrebant ad illum magno numero peccatores tam obdurati in malo, ut vocaret illos *genimina viperarum*. Sed quo medio, aut argumento utebatur ut illos ad detestationem peccatorum induceret? *Iam*, inquit, *securis ad radicem arboris posita est*. Non videtur prima fronte hæc similitudo convenire cum eo quod prius intendebat: *Volebat enim prius habere fructus dignos poenitentiae*, & jam dicit arborem excindendam. Quando ab arbore aliqua fructus expectamus, apponimus fimum radici, irrigatur, putantur rami inutilis, radix semper manet intacta, & numquam excinditur: Quomodo ergo *Ioannes* dicit securim ad radicem positam esse ut arbor excindatur, cum tamen velit habere fructus? Vult, inquit *Chrysostomus* timorem illis incutere fore ut excindantur & in ignem mittantur, ut per illum timorem expellant peccata, & faciant fructus dignos poenitentiae.

Per excisionem intelligit mortem, per ignem, infernum, non enim video quid efficacius excogitari possit ut peccator sese convertat, quam timor mortis & inferni.

Quid possit timor mortis docet *idiotus Lib. de Contemplat. Mort. cap. 3* dum ait: *Nihil tam revocat à peccato quam cogitatio mortis.*

1. Incerta est hora mortis, potes enim singulis momentis mori, itaque si hoc momento graviter peccas, potes hoc momento in peccato mori, & quis peccabit qui sic timet mori? aut si non timet, atheus est, quia non credit post hanc vitam poenas statutas esse peccatis: Si credat, plusquam insanus est, si non timet mori in suis peccatis, & poenas non curat.

2. Quis Christianus est qui nescit statim post mortem, eo momento quo egreditur anima, sistendum se coram tribunali supremi Judicis, ibique reddendam strictissimam peccatorum omnium rationem? numquid si timeas mortem ut certissimam viam ad illud examen, sollicitus eris ut res tuas componas, ut iudex nihil in te inveniat quod possit condemnare?

3. Quid est mors nisi finis omnium mundi voluptatum ac vanitatum.

nitatum? si mortem times, facile omnes voluptates ac vanitates contemnes quas mors omni momento tibi potest eripere.

Hoc est quod *Ioannes Baptista* suis auditoribus prædicabat: Time ne arbor vitæ vestræ excindatur (quia omni momento securis mortis ad radicem posita est) & facietis fructus dignos penitentia.

Non minus efficax remedium ad expellenda peccata est timor inferni quem etiam *Ioannes* suis ponebat ob oculos dicens: *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum in ignem mittetur.* Eo ipso quo quis peccat, fit hostis Dei, & reus supplicii infernalis: Quantum distat infernus à tali homine? non amplius quam uno halitu, & hic halitus in manu Dei consistit, subtrahat manum, certo certius ruis in ignes æternos: Quis non horreat si serio secum hæc cogitet?

Time ergo, & si ex illo timore peccatorum tuorum te non poniteat, homo non es, sed rupes, quæ inter medias tempestates, & mille navigantium angores, manet immota.

Denique, *Initium sapientiæ timor Domini*, inquit *Ecclesiasticus cap. 1*, adeoque non tantum expellit peccatum, sed etiam plantat omne genus virtutum in anima. Hinc quia obstetrices *Ægypti* timebant Deum, tam animosæ fuerunt, ut non curarent regis mandatum, & tam misericordes ut quos ille iubebat occidi infantes, servarent in vita.

Ubi rex hoc intellexit, accersitis ad se, ait: *Quidnam est quod sperere voluistis ut pueros servaretis? Quæ responderunt: Nont sumi Hebræi, sicut Ægyptia mulieres, ipsæ enim obstetricandi habent scientiam, & priusquam veniamus, pariunt.*

Mendacium erat, adeoque peccatum: Putat tamen *Abbas Isoperius* hoc mendacium non fuisse peccatum, quia ex charitate, inquit, procedebat, sed errat, quia ut alias fuisse probavi, numquam nullam ob causam, nullam ob rem, licet mentiri.

Difficultas tamen est quomodo obstetrices illæ peccaverint, cum Scriptura dicat expresse quod mercedem à Deo acceperint. Dicit enim: *Benefecit Deus obstetricibus, & adificavit illis domos.*

Respondeo, scripturam addere rationem hujus mercedis, scilicet, quia timebant Deum & ex illo timore, tot actus misericordiæ fecerant quot infantes servaverant.

Ex hoc loco Scripturæ sic arguo: Quando homo ex parte sua facit quod in se est, Deus ex parte sua faciet quod in se est, hoc est non carebit homo ille mercede sua sive spiritali, seu temporali: Patet clare in istis obstetricibus: Erant illæ, ut communis omnium pæne opinio est, paganæ, & tamen Deus benedixit illis, eisque domos ædificavit.

Per benedictionem intelligunt multi gratias spirituales sive divinas, per quas, inquit *Dionysius Carthusianus* ad cultum veri Dei conversæ sunt, & meruerunt vitam æternam, ut ait *Abulensis*.

Per ædificationem vero domorum intelligunt interpretes bona temporalia, amplam familiam, dignitates, honores, divitias.

Quid fecerant ut tantum mercedem acciperent? non occidebant masculos *Israelitas* in partu: Hoc autem faciebant solo ductu naturæ ac rationis quo compassione commotæ, videbant nimis crudele esse, & inhumanum, & irrationabile tot innocentes pueros interficere, ergo faciebant ex sua parte quod in se erat, homines enim erant, & nihil homini quatenus homo est magis convenit quam compassio, hanc enim nulla bestia habet, consequenter illæ obstetrices pueris compatiendo, fecerunt quod in se erat: Ideo etiam Deus fecit ex sua parte quod in se erat quando illud opus bonum earum remuneravit non tantum temporalibus bonis, sed etiam spiritalibus, adjuvando illas gratia sua ut ad veri Dei notitiam, & ad vitam æternam pervenirent.

Hinc etiam patet quod non omnes actus infidelium, sint peccata. Quamvis enim Apostolus *Paulus Rom. cap. 14* dicat: *Omne quod non est ex fide peccatum est*, non sic intelligi debet quod infidelis in quolibet actu peccet, sed quidquid facit vel ad finem, vel ex motivo, vel ad protestationem infidelitatis, illud omne peccatum est. V. G. aliquis *Turca* dat eleemosynam, jejunat, vel orat ad hunc finem ut ejus secta fervetur, istius eleemosyna, jejunium, & oratio, peccatum mortale est. Vel dat eleemosynam ex illo motivo quod *Alcoranum* ipsius hoc imperet, & illud peccatum est. Vel denique gerit vestem ex qua dignoscitur esse *Mahometanus*, vel peregrinatur ad sepulchrum *Mahometis*, ut illud honoret & hoc peccatum est.

Si vero instigante natura eleemosynam det ex compassione, ut pauperis vitam sustentet, talis non peccat, sed facit opus bonum naturale, & facit quod in se est, facit enim quod proprium est & innatum naturæ humanæ.

Hinc etiam sequitur quod natus in sylvis, ubi nulla *Christi* notitia, salvabitur, si faciat quod in se est, salvabitur tamen si Deus ad illum mittere deberet Angelum vel prædicatorem qui illi viam salutis ostenderet: Exemplum habemus in *Cornelio* Centurione *Act. cap. 10*: Hic ethnicus existens faciebat quod in se erat, cum eleemosynas daret, & oraret: Naturâ illum ad hoc instigante; missus fuit ad eum *Petrus* Apostolus per revelationem divinam ut illum plenius in fide instrueret. Exemplum etiam habes in *Nabuchodonosore*: Hic erat idololatra, & tamen dicebat illi Propheta *Daniel*: *Peccata tua eleemosynis redime: fac eleemosynas, & peccata tua delebuntur, hoc est, disponent te ad Contritionem peccatorum tuorum, quia Deus non deerit tibi ex parte sua ut cor tuum moveat, non ex merito tuo, sed ex misericordia sua.*

Nec mirum: Dicit enim Deus: Tu fecisti quod naturalis ratio tibi suggestit, ego volo facere quod natura mea mihi suggerit: Natura autem mea est, misereri semper & parcere: vult enim Deus benefaciendo hominem superare: Si ergo homo bene facit, etiam solo ductu naturæ instinctus, Deus illi benefacit ultra quam homo mereatur.

Sic ait de ethnicis obstetricibus *Aegypti* *D. Hieronymus*, quod Deus illis contulerit virtutes spirituales, hoc est, illas converterit ad fidem & cultum veri Dei propter compassionem naturalem quam habuerant cum infantibus *Israëliitarum*.

Hinc tamen non sequitur quod vita æterna acquiri possit viribus naturalibus, nec quod vitæ naturalis finis sit vita æterna, nec quod aliquis salvari possit sine gratia Dei præveniente, sed quod opera bona facta ductu naturæ aliquo modo disponere possint hominem ut Deus illi misereatur, sicuti misertus est mulieribus istis *Aegyptiis*.

Falsum est ergo omnes infidelium actiones esse peccata, remuneravit enim Deus obstetrices *Aegypti* propter compassionem illarum, ergo illa compassio non erat peccatum, sed opus bonum, scilicet naturale, per quod illæ mulieres se disposuerant ut Deus ex misericordia sua illis conferret gratiam ut se converterent.

*Præcepit ergo Pharaon*, inquit ulterius Scriptura, *omni populo suo, dicens: Quidquid masculini sexus natum fuerit, projicite in flumen, quidquid feminini, reservate.*

Sed illud mandatum non videtur diu durasse, ut summum, ut putant

putant interpretes, ad quatuor annos quibus Rex ille novus postea vixit, quo mortuo, qui illi successit, revocatum est, & ita mansit revocatum quamdiu *Israélite* fuerunt in *Egypto*, cum enim inde exirent, inventa fuere multa millia puerorum, & juvenum.

## DISCURSVS IV.

*Nascitur Moyses, & exponitur in fiscella juxta fluvium Nilum.*

Inter hæc crudelitates nascitur *Moses*, & singulari providentia Dei, servatur à morte. Pater ejus erat de stirpe *Levi* nomine *Amram*, Mater vero vocabatur *Jochebed*, quæ cum *Moyse* peperisset, vidissetque puerum esse admodum elegantem, abscondit tribus mensibus, sed cum *ultra*, inquit Scriptura, celare non posset, sumpsit fiscellam scirpeam, & linivit eam bitumine ac pice, posuitque intus infantulum, & exposuit illum in carecta ripæ fluminis, stante procul sorore ejus, & considerante eventum rei.

Erat hæc fiscella quasi arcula parva, ut habet textus *Hebraicus*, contexta ex juncis, sive viminibus, & ne aqua posset intrare, oblita bitumine ac pice, posueruntque illam cum puero in ripa fluminis inter arundines, ita ut ab impetu fluminis abripi non posset. Deinde submissa fuit à Matre soror *Moyse*, *Maria*, decem aut duodecim annorum puella quæ curam illius haberet, & observaret de longe rei eventum. Hanc mater instruxerat quid agere deberet aut dicere, nimirum si quem *Egyptium* transeuntem videret qui pueri misericordia moveretur, & ejus servandi modum quæreret, illi propriam matrem nutricem offerret.

Contigit ergo, inquit Scriptura, ut descenderet filia *Pharaonis*, ut lavaretur in flumine, & puella ejus gradiebantur per crepidinem abvei. Inter vagandum & deambulandum offendunt istam fiscellam, & nuntiant Reginæ suæ. Hæc fiscellam conspicata, uni ex pedissequis mandavit ut eam afferret ad se. Cum vero ea aperta in ea invenisset infantem pulcherrimum, *Hebraum* esse cognovit, propter Regis edictum projectum in flumen, misericordiaeque permota, statuit illi vitam donare: Ubi hoc audiit soror *Moyse*, *Maria*, quæ non procul inde stabat, statim accurrit, rogavitque num vellet vocari *Hebraam* mulierem, cui traderetur puer nutriendus: Annuit filia

filia



filia Pharaonis, & statim Maria cucurrit ad Matrem suam, illamque adduxit: Atque ita Matri suæ nutriendus traditur Moyses iussu filiarum Regis. *Mulier, inquit Scriptura, suscepit & nutritiuit puerum, adultumque tradidit filia Pharaonis, quem illa adoptavit in locum filii, vocavitque nomen ejus Moysen, quod Hebraicè significat extractum ex aquis, educavitque illum in aula.*

Non existimo aliquem esse, qui hæc legens vel audiens, præ stupore non exclamet cum Davide: *Quam mirabilia sunt opera tua Domine! omnia in Sapientia fecisti.*

1. Res Israëliticæ in tali statu jam erant ut profus desperatæ viderentur, & nullus esset qui illis subveniret: Opprimebant illos Ægyptii durissima servitute, & labore intolerabili, & nullus erat qui illos sublevaret: Occidebantur illorum infantes cum summo dolore ac ejulatu parentum, præsertim Matrum, quæ inter summos cruciatus partûs, videbant ante oculos suos innocentes interfici & nullus erat qui illas consolaretur; & ecce inter hæc nascitur Moyses, & inter alios pueros servatur à morte, quando Deus apparuit in somnis Amramo Patri Moysis, & teste Iosepho lib. 2. *Antiq. cap. 5.* dixit ad eum: Scito mihi cordi esse publicam vestram incolumitatem. Puer enim iste suo tempore Hebræos ex Ægyptiaca servitute liberabit, memoriamque sempiternam hoc præclaro facinore consequetur non tantum apud suos, sed etiam apud externos.

Dei auxiliium ubi nulla spes superest.

Mirare hic, inquit Philo Iudæus lib. *Biblic. antiq.* summam Dei erga suos misericordiam & clementiam, quoniam eo tempore vindex & assertor nascitur, quo vix aliqua spes libertatis supererat. Ita solet Deus præter spem omnem suis adesse, ut cum desperata sunt omnia, videant homines auxilium sibi datum à nullo alio posse procedere, quam à solo Deo: Ubi enim cessat auxilium humanum, ibi incipit divinum. Idem contigit in Christi Nativitate, cum enim mundus esset in pessimo statu, nec essent amplius visiones, nec Prophetiæ, tunc natus est Christus ut mundum salvaret.

Hoc est quod David ait *Psal. 9: Deus adjutor est in opportunitatibus in tribulatione.* Innumera sunt in Scriptura hujus rei exempla. Conjectus erat Daniel in locum Leonum, Deus illum inde eripuit salvum & incolumem: Numquid hoc statim fecit? Non: Reliquit illum ibi ut quidam existimant ad septem dies. Quare hoc? Numquid poterat hoc citius facere? quis dubitat? quare ergo tam diu expectavit? ut Leones tanto magis famerent, omnesque viderent

rent non superesse hominem qui *Danielem* posset juvare. Ergo, inquit *Chrysoſtomus* *Hom. 6. ad Popul.* hoc erat tempus divini auxilii, cum nulla humanarum rerum jam spes eſſet relicta. Tunc ſuum ostendit auxilium.

Conjecti erant tres pueri *Babylonia* in fornacem ardentem. *Nabuchodonosor*, inquit *Chrysoſtomus*, voluit illos comprehendere, & Deus permittit, voluit ligare, & Deus non impedit, voluit in fornacem conjicere, & Deus non restitit, voluit flammam ultra modum succedere, & hoc permittit. Quando jam nihil reliquum supererat, sed omnem vim suam tyrannus exhauserat, tunc apparuit in medio flammæ Angelus Domini, & Deus suam demonstravit virtutem; quando omnia humana deerant, tunc Deus succurrit.

Conjectus erat in carcerem *D. Petrus* Apostolus, omnes de vita ejus desperabant, quia jam lata erat sententia ut produceretur in theatrum capite plectendus, tunc misit Deus Angelum qui illum eduxit è carcere, & liberavit à morte. Hoc erat, inquit idem *Chrysoſtomus*, tempus divini auxilii, tunc enim Deus maximè suam ostendit potentiam, non à primordio, sed quando res fuerint plane desperatæ ab hominibus.

Denique hoc centies ostendit in bellis quæ externi Principes gerebant contra *Judaos*: Nulla prorsus ultra spes erat pro *Ierosolyma* quando obsidebatur à Rege *Sennacherib*, jam venerat ad summam extremitatem, quando Deus misit Angelum suum, qui una nocte in castris *Sennacherib* occidit centum octoginta quinque millia, & *Ierosolymam* liberavit. Quis hominum tale quid expectasset?

Quid spei humanæ poterat superesse urbi *Samarie* obsessæ quando tanta fames jam invaluerat ut caput asini venderetur octoginta argenteis & Matres devorarent proprios filios? tunc erat tempus divini auxilii, & tunc venit Deus, immisit ingentem terrorem de nocte in castra hostium, fecit audiri sonitum curruum, & equorum, & exercitûs relinquentis omnia impedimenta sua, fugerunt in tenebris, & postero die tanta victus abundantia in urbem inventa est ut omnia vilissimo pretio venderentur.

Plane desperatum erat de urbe *Bethulia* quam obsidebat *Holophernes*, jam pœne conclusum erat de urbe reddenda. Sed tunc adfuit Deus, excitavit animum *Judith* quæ amputato *Holophernis* capite, urbem liberavit. Hoc ergo est quod ait *David*: *Deus adjutor est in opportunitatibus*: Ipse solus novit tempora apta, nos in illa re

G g planè

planè cæci sumus, nec enim aliud optamus, nec quarimus, nec petimus, quam ut statim & quamprimum liberemur, quasi vero Deus non melius sciat quid debeat facere quam nos. Nos juxta nostram cæcitatem procedimus, & putamus nobis futurum bonum quod Deus videt futurum malum. Si semper statim adesset, vix ullus potentem illius manum agnosceret, & homines privarentur tot meritis quæ colligere possunt inter afflictiones.

Itaque, inquit *Chrysostronus Hom. 62 in Genes.* In afflictionibus numquam despondeamus animum, sed magis patientia clari, spe bona foveamur scientes quod Dominus sciens nos experiri aspectum non relinquat, sed vult ut certantes clariori corona cingamur. Quæ ergo diutius expectat ut veniat dum in aliqua afflictione sumus, tanto magis cedit in bonum nostrum, & ipsius: Nostrum, quæ diuturnitas afflictionum est majoris sanctitatis origo, & augmentum virtutum. Ipsius, quia tunc omnes homines hoc videntes, agnoscunt ipsius manum, dabunt gloriam Deo, & dicent: Dominus est qui hoc fecit. Sicuti etiam numquam magis se effundit amor in amicos vel liberos, quam cum diu illos expectavimus redentes ex regione longinqua, & diu anhelavimus ad ipsorum adventum (ipsa enim desideria quo magis multiplicantur, eo magis amorem accendunt) sic amoris nostri erga Deum fomentum est dilatio auxilii in tribulatione, ubi autem advenerit, tanto magis sese amor noster effundet, quanto longior dilatio fuerit.

Hoc ergo primum mirabile providentiæ divinæ. Dum omnia in *Ægypto* desperata erant cum *Israëlitis*, nascitur *Moses* qui illos erit liberaturus.

Alterum mirabile est in filia *Pharaonis* quæ inventum *Mosè* in fiscella, voluit educari. Valde probabile est quod filia edictum Patris sui de occidendis masculis *Hebræorum*, quamvis crudele, placeret, quia Patris erat, adeoque magis sollicita fuerit de illis intercedendis quam servandis in vita, ne Patris voluntati contraveniret. 2. minus videtur debuisse fuisse sollicita de *Mosè* servando, quem videbat esse puerum *Hebræum*, quando Sacerdos quidam *Ægyptius*, ut supra narravimus, prædixerat *Pharaoni*, illo ipso tempore natorum masculinum ex *Hebræis*, qui & *Judæorum* liberator, & *Pharaonis* Regni destructor futurus esset.

Et ecce, egreditur, inquit Scriptura, filia ista *Pharaonis*, & videns puerum in fiscella jacentem, miserta est ejus: Mirabilis mutatio

prius approbarat crudele edictum Patris, & jam subito vertitur illa crudelitas in pietatem, & pueros quos prius volebat occidi, jam vult servari in vita. *A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris*, ut inquit Propheta, cor enim Regis, inquit *Salomon Prov. cap. 21*, seu reginæ *in manu Dei est, & quocumque voluerit, vertet illud.*

2. Hæc Regina dixit ad *Mariam* sororem *Moyſis*, ut iret ad vocandum aliquam mulierem *Hebraeam* quæ puerum nutriret sibi: Quare sibi? quia volebat illum adoptare in filium? Non erat ergo ei satis ut puerum servaret nisi etiam adoptaret in filium. Non potest hæc tanta mutatio aliud esse quam *dextera excelsi*: Mirabilia opera Dei!

Sed quare potius mittit advocandum mulierem *Hebraeam*, quam *Aegyptiam*? quia timebat puero ne interficeretur à Patre suo. poterat enim merito timere fore ut *Aegyptia* mulier promulgaret se in manibus habere aliquem puerum *Hebraeum*, quam suspicionem habere non poterat de muliere *Hebraea*. Ecce quam prudens sollicitudo!

3. Volebat puerum non tantum nutriri, sed etiam quam optime. Melius autem quis nutritur quando majori cum amore hoc fit, & sciebat mulierem *Hebraeam*, quia puer *Hebraeus* erat, hoc majori cum affectu facturam, quam *Aegyptiam*, ideo *Hebraeam* jussit vocari, non *Aegyptiam*.

4. Huic tanto affectui hujus Reginæ succurrit Deus, effecit enim ut illic adesset soror *Moyſis*, illa mittitur ad aliquam vocandam, & vocat, adducitque ad Reginam Matrem pueri quæ illum educaret. Mirabilis Dei Providentia! omnia prius minabantur mortem, nunc vero ab ipsamet filia Regis tyranni tanto affectu ac sollicitudine peraguntur ut puer non tantum vivat, sed extra omne periculum vivat.

5. Adhuc amplius dicit Scriptura, nempe quod hæc filia Regis dixerit Matri *Moyſis* sibi incognitæ: Nutri mihi puerum istum, & ego dabo tibi mercedem tuam. Debat potius dicere juxta Patris sui edictum, occide illum, & dabo tibi mercedem. Sed Deus suâ providentiâ omnia in contrarium vertit. Ideo mirabilia opera Dei; quis hæc audiens providentiæ divinæ diffidat? Hic enim clare videmus Deum suis providere ea via quam nulla sapientia humana potest attingere.

## DISCURSUS V.

*Moses inuisit Israëlitas, & occidit Ægyptium, deinde fugit ex Ægypto.*

**A**Udivimus *Mosese* adoptatum in filium à filia Regis: Itaq; nutritus à propria Matre, & jam major effectus, traditus filia Regis, habitabat in aula, & erat unus de principibus Regis. Qualis illi fuerit, & quomodo vixerit, paucis describunt *S. Stephanus Actor cap. 7* & *Philo Indeus lib. 1, de vita Moysis*. *Stephanus* dicit: *Eruditus erat in omni sapientia Ægyptiorum, & potens in verbis, & operibus suis. Philo* dicit: *Frugalitatem colebat ut nemo alius, in universoni abhorrens à deliciis, animo enim vivere malebat quam corpore: Philosophiæ præcepta quotidie factis repræsentabat, mentem verbis exprimens, & facta verbis accommodans, ut cum sermone vita congrueret.*

Inter hæc solebat interdum invisere fratres suos *Israëlitas*, ut videret quomodo ab *Ægyptiis* tractarentur, illosq; inter miserias consolaretur. Sed quodam die, inquit Scriptura, cum jam quadraginta esset annorum, particulari quodam modo egressus est ad fratres suos ut magis particulariter inspiceret afflictionem eorum, non amplius rediturus ad aulam.

Hunc egressum sic describit *D. Apostolus Paulus Hebr. cap. 11. de Moyses grandis factus, negavit se esse filium filia Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei quam temporalis peccati habere jucunditatem, majores divitias aestimans thesauro Ægyptiorum, improprium Christi.*

Sicigitur egressus est. 1. Nolens amplius dici filius filia Pharaonis. 2. Nolens habere temporalem peccati jucunditatem. 3. Contemnens omnes thesauros Ægypti. 4. Volens pati cum populo Dei, & aestimans improprium Christi summum thesaurum. Denique addit *Apostolus* quod in hisce omnibus aspiceret in remunerationem.

Itaque contemnebat omnia quæ homines maxime appetunt, scilicet voluptates, honores, divitias, gloriam, & amplectebatur quæ maximè horrent, nempe dolores, afflictiones, persecutiones, ignominiam, paupertatem, idque ex amore æternæ beatitudinis: Adeoque sic operans contra omnem inclinationem naturæ humanæ vincit seipsum, & talis, inquit *Salomon Prov. cap. 16: Fortior est expugnator urbis.*

Sed hic notandum præ cæteris, quod Apostolus dicat *Moysen* elegisse afflictiones præ voluptatibus, & paupertatem præ divitiis *Aegypti*, dicit quod illa *elegerit Moyses*. Sunt autem quædam eligibilia secundum se, alia vero cum ordine tantum ad finem: Secundum se, eligibile est quidquid in se bonum, & honestum est, ut sunt omnes virtutes; quæ vero in se tristia sunt, & mala, ut adversitates, tribulationes, & pœnæ, eligibilia tantum sunt in ordine ad finem: Sic ergo infirmus eligit potionem amaram tantum in ordine ad sanitatem: Sic aliquis tristia potius eligit quam delectabilia, propter aliquod bonum tantum, quod per tristia consequi potest, & non per delectabilia. Sic voluit *Christus Math. 5* nos gaudere & exultare in maledictionibus & persecutionibus: Quare *quoniam merces vestra*, inquit, *copiosa est in celis*: Quasi dicat: Gaudeat, quia dabitur vobis id propter quod elegistis maledictiones & persecutiones.

Hinc patet quomodo intelligendæ sint istæ Scripturæ quæ nos hortantur ad gaudendum in adversis. Inprimis illud *Iacobi cap. 1*. *Omne gaudium existimate fratres, cum in varias tentationes incideritis*: Et illud *Pauli 2 Cor. cap. 12*. *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis*. Intelliguntur enim, aliæque Scripturæ hujuscemodi, quod non debeamus gaudere propter tribulationes & adversitates in se consideratas, sed propter ordinem ad finem, hoc est propterea quod nos facilius conducunt ad *Christum*, nos illi configurando, sive propter æternam beatitudinem, sive propter amorem virtutum, sive propter hoc quod Deus per adversa, in nobis glorificetur &c.

Hinc simul intelliges, quare Sancti eligant tribulationes: Eligunt enim illas non propter seipsas, sed propter finem ad quem destinantur. Eligunt etiam sæpe illas præ delectationibus quæ tamen licitæ sunt: Nempe licitis cibis abstinunt, licitos honores fugiunt, licitas laudes declinant. Quare hoc? quia per hujuscemodi res non delectabiles vident se posse consequi quod desiderant, scilicet contritionem peccatorum suorum, cognitionem sui, cognitionem Dei, uno verbo, ut vitam æternam adipiscantur.

Hinc patet; quare mundus Sanctos haberet pro fatuis, quia putabat illos appetere adversa propter se, & non propter aliud. Sic ait Apostolus, *1 Cor. cap. 4*. *vocant nos mundani homines stultos*, quia

quia gaudemus in tribulationibus & cruciatibus, *stulti*, inquit, *sumus, sed propter Christum*, si enim tribulationes eligeremus tantum propter se, verè stulti essemus, sed quia illas eligimus ex amore *Christi* ut perveniamus ad ipsum, ideo non sumus stulti absolute, sed propter *Christum*, pati enim pro *Christo* est via regia ad cælum: Certum est enim quod ait Apostolus, quod illi qui volunt regnare cum illo, debeant simul pati cum illo.

Et hæc erat unica ratio cur *Moyſes* eligeret potius afflictiones quam voluptates, & paupertatem potius quam divitias quia respiciebat ad remunerationem, ut inquit Apostolus, æternæ beatitudinis

Egressus ergo ex aula regis ut videret fratres, vidit quendam *Ægyptium*, inquit Scriptura, *percutientem quendam de Hebræis fratrem suum*. Erat hic *Ægyptius*, inquit *Philo*, aliquis ex præfectis qui cogebant *Isrælitas* laborare, & propter minima quæque illos verbis excipiebant. Cum videret hoc *Moyſes*, zelo Dei inflammatus hominem occidit, & cadaver abscondit sub arena: Nihilominus cum res, nescio quo modo venisset ad aures *Pharaonis*, quaesivit illum ad supplicium, sed *Moyſes* fugit in terram *Madian*, cumque illic fatigatus ex itinere confedisset ad puteum, ubi oves adaquabantur, *venerunt*, inquit Scriptura, *septem filie Sacerdotis cujusdam Madianitæ*, nomine *Raguel*, vel *Iethro*, quæ veniebant ad hauriendam aquam, & impletis canalibus adaquare cupiebant greges patris sui. Sed supervenerunt alii pastores & ejecerunt eas, surrexitque *Moyſes*, & defensis puellis, adaquavit oves earum.

Cum domum essent reversæ, petiit pater ab illis: *Cur velocius venistis solito? responderunt: Vir Ægyptius liberavit nos de manu pastorum, insuper & hausit aquam nobiscum, potumque dedit ovibus: At ille, ubi est? inquit: Quare dimisistis hominem? vocate eum ut comedat panem.*

Observandum hic est quales fuerint mores apud Ethnicos illius temporis. 1. Quod filias etiam divitum educarent non ad luxum vel otium, sed ad labores: Sic filia hujus Sacerdotis cogebantur pascere oves. 2. Quod virgines illæ, cum essent numero septem, tam verecundæ fuerint, ut non auderent virum alienigenam invitare ut secum iret in domum patris sui. 3. Quantam liberorum gererent curam parentes; statim enim ubi istæ filia domum intrabant, petiit pater, quare citius solito venistis? cumque au-

disset quid factum fuisset, remisit illas ad fontem ut quærent  
*Moysem*, illumque invitarent ad prandium: Secutus est illas *Moyse*,  
 & intrans in domum benigne à patre exceptus est ac salutatus, &  
 post multos discursus cum magna utriusque voluptate, ac satisfa-  
 ctione, iuravit *Moyse*, inquit Scriptura, quod habitaret cum eo acce-  
 pitque *Sephoram* filiam eius uxorem, quæ illi peperit duos filios *Ger-  
 san*, & *Eliezer*.

## DISCURSUS VI:

*Apparet Deus Moyfi in rubo ardenti.*

Interea moritur rex *Egypti*: Tunc ingemiscentes filii *Israël* propter ope-  
*ra*, vociferati sunt, ascenditque clamor eorum ad Deum ab operibus, &  
 audivit gemitum eorum, ac recordatus est fæderis quod pepigit cum *Abra-  
 ham*, *Isaac* & *Iacob*, & respexit Dominus filios *Israel*.

Quando tyrannus moritur, tunc miseri captivi ingemiscunt,  
 cur non prius ingemiscebant cum viveret? quia tam enormi cru-  
 delitate ac tyrannide opprimebantur ut vix auderent mutire, jam  
 vero libero pectore clamabant ad Deum, quasi jam major esset  
 spes libertatis: Vociferantur ad Deum, qui solus illos poterat li-  
 berare: Et ascendit, inquit Scriptura, eorum clamor ad Deum. Hoc  
 est quod omnes Theologi docent, nempe, oppressionem paupe-  
 rum esse peccatum clamans in cælum, quod sui enormitate Deum  
 provocat ad sumendam vindictam de iis qui opprimunt, & libe-  
 randos illos qui opprimuntur. Ideo mox subiungit Scriptura: Au-  
 divit Deus gemitus eorum, & respexit filios *Israel*. Patebit hoc ex se-  
 quentibus.

Agebat *Moyse* in terrâ *Madian* profugus, octoginta annos na-  
 tus, jamque quadraginta annis curam gesserat ovium Soceri sui  
*Levy*. Contigit ut oves deduceret ad interiora deserti usque ad  
 montem *Sinai* ubi meliora pascua erant: Et ecce non procul inde  
 videt rubum ardentem, qui tamen non comburebatur: Obstupe-  
 factus dixit: *Vadam & videbo visionem hanc magnam, quare non com-  
 buratur rubus*: Cernens autem Dominus quod pergeret ad videndum,  
 vocavit eum de medio rubi, & ait: *Moyse, Moyse*: Qui respondit: *Ad-  
 sum*: At ille ne appropies, inquit huc: *Solve calceamentum de pedibus tuis,*  
 locus



locus enim in quo stas, terra sancta est, & ait: Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, &c.

Hic tam multa latent mysteria ut vix sciam unde incipiam. Singula expendemus per quæstiones.

Prima ergo quæstio est, cur Deus hic apparuerit in forma rubi ardentis, & à flammis intacti. Certum est enim illum numquam aliquid agere nisi cum particulari quadam ratione, præsertim in certa forma assumenda quando apparet hominibus, ut clare patebit ex scriptura, ubi legitur variis se ostendisse in ea forma quæ conveniebat circumstantiis rei quam intendebat.

Ac primum quidem *Exodi cap. 13* dicitur Deus apparuisse filiis *Israël* proficiscentibus ex *Agypto*, de die in columna nubis, de nocte in columna ignis, ut ostenderet se nocte ac die illis futurum ducem itineris.

<sup>2</sup> *Ezechielis cap. 1*, dicitur apparuisse isti prophetæ sedens in curru horribili ac splendenti, inter nubes, & ignes, & turbines, ut ostenderet majestatem, veniebat enim ut terrorem incuteret *Judeis* in peccatis obduratis.

<sup>3</sup> *Apoc. cap. 19* apparuit *Christus Ioanni*, sedens in equo albo, oculi ejus sicut flamma ignis, & in capite ejus diademata multa, & de ore ejus procedebat gladius utraque parte acutus. ut ostenderet potestatem suam quam habet in universum orbem terrarum.

<sup>4</sup> Spiritus sanctus in Baptismo *Christi* apparuit in forma columbæ, ut ostenderet innocentiam & mansuetudinem *Christi*.

Hoc posito, quæritur quid causæ fuerit cur Deus hic apparuerit *Moyse* in rubo ardenti qui non comburebatur?

Respondeo quod ad sensum litteralem spectat. Per rubum significabat Deus afflictiones populi *Israëlitici* in *Agypto*. Sicut enim spinæ pungunt vel perforant manum, sic afflictiones perforant animum. Per flammam significabatur vehementia tribulationis, sæpius enim in Scripturâ tribulatio ignis vocatur. Sed quid hoc significabat quod inter flammam rubus non combureretur? quod *Israëlitæ* inter tot tantasque afflictiones, non essent penitus opprimendi, eo quod Deus venerat, ut postea dicit, illos per manum *Moyse* liberaturus, & erepturus ex omnibus illorum miseriis.

Igitur rubus hic, inquit *Philo Judæus*, videbatur ad afflictos *Israëlitæ*, & *Agyptios* illos affligentes, clamare: Nolite succumbere,  
ô Hebræi,

6 Hebrai, hæc vestra infirmitas, potentia est quæ lædat & purget *Egyptios*, totmalai læsi eua letis, & cum maxime vastari videbimini, tunc maxime enitescet gloria vestra. Vos quoque crudeles & igni voraci similes, *Egyptii*, ne nimium confidite viribus vestris, frustra enim ardet ignis vestræ crudelitatis contra *Israelitas*, quia numquam illos comburet.

2 Rubus ille quantum spectat ad sensum spiritualem, juxta omnes interpretes, significabat *Christum* incarnatum: Sicut enim Deus apparebat in rubo illo tempore quo erat liberaturus *Israel*, à servitute *Pharaonis*, sic Deus apparuit in carne humana, quando totum mundum liberaturus erat à servitute diaboli. Sicuti etiam flamma ignis ardebat inter spinas, sic flamma excellentissimæ charitatis ardebat in *Christo*, inter spinas quas per modum coronæ gerebat in capite. Denique sicut rubus inter medias flammæ non comburebatur, sic *Christus* inter tot tribulationes, ac persecutiones, & calumnias, semper mansit illæsus.

Altera quæstio est, quare Deus, cum videret *Moysem* propius accedentem, illum juberet solvere calceamenta, & *Moyse*, inquit Scriptura, *abscondit faciem suam, non enim audebat aspicere contra Deum*, vel, ut habet textus *Chaldaicus*: *Inclinavit moyses vultum suum, quoniam timuit intueri versus gloriam Dei*. Hæc omnia signa erant respectus & reverentiæ. Miror, quia hic nulla usquam spectabantur signa divinitatis: Nullæ nubes, nulla tonitrua, nulla fulgura; numquid hoc mirum quod tunc voluerit reverentiam sibi exhiberi ut Deo, cum nihil retinisset majestatis divinæ? quid enim vilius rubo? quid communius igne? & tamen tantum illic dignitatis habebat Deus, ut *Moyse* præ reverentia solveret calceamenta sua, & præ timore absconderet vultum suum. Unde hoc? quia audiebat vocem de rubo dicentem: *Vide afflictionem populi mei in Egypto, & scis dolorem ejus, descendi, ut liberem eum de manibus Egyptiorum*. Hæc erant certiora signa divinitatis quam fulgura, tonitrua, aliaque similia, quæ potius exprimunt Dei justitiam, quam misericordiam, misereri autem ac parcere, ut canit Ecclesia, magis proprium Deo est quam ulcisci aut castigare: Majores ergo spectabat hic *Moyse* Dei proprietates, cum sciret illum descendisse ut miseretur ac parceret miseris *Israelitis*, eosque ex servitute *Egyptiaca* liberaret.

Magnificentio rem Dei gloriam spectavit Propheta *Ezechiel* juxta *Eleemosyna*.

H h

flu-na.

fluvium *Chobar*, quam *Moyſes* hic in deserto, *Ezechiel* tamen non expavit, ſed omnia libere aſpiciebat, & *Moyſes* timebat, & abſcondebat vultum ſuum, non audens aſpicere gloriam Dei. Tamen in viſione *Ezechielis* omnia erant ad terrorem compoſita, in viſione *Moyſis*, non erant niſi blanditiæ. Ibi ſedebat Deus in curru inter flammas & ignes, inter nubes & fulgetra, inter leones & aquilas.

Hic vero non videbatur aliud niſi rubus in medio ignis ardentis. Tamen ſic *Moyſes* hic reveretur Deum ut vultum ſuum abſcondat, in quem *Ezechiel* ſumma cum libertate oculos ſuos coniecit. Hinc patet quod Dei majeſtas & dignitas non augeatur magnificentiæ throni, ſed patrociniſ calamitoſorum. Apud *Ezechielem* rhexem inſcenderat inter turbines & tonitrua & leones ut peccatores terret. Apud *Moyſen* in rubum deſcenderat ut ſuccurreret miſeris: Ergo non leonibus, nec turbineſ, Deo ita conciliatur auctoritas dum terret, quam in rubo dum venit miſeraturus, ut preſoſ *Agyptiorum* ſervitute *Iudaos* eximeret, & contra *Pharaonem* pugnaret: Et neſcio an propterea ſe dixerat Deum, clamans de rubo ad *Moyſen*: *Ego ſum Deus patris tui*, quia venerat tam præſtans miſericordiæ opus facturus reſpectu miſerorum.

Hinc patet proximum illum eſſe divinitati eum qui miſeris ſuccurrit, illos conſolatur, & miſeriis eximit.

Hanc veritatem me docent plerique ex Patribus. I. D. *Hilarius* in *Pſal.* 144. Hoc, inquit, in Deo proprium eſt, hoc in potente laudandum: Non cælum feciſſe quia potens eſt, non terram fundaviſſe, quia virtus eſt, non annum aſtris temperaviſſe, quia ſapientia eſt, non hominem animaviſſe, quia vita eſt, non mare in accellus ac reſſus moviſſe, quia ſpiritus eſt, ſed miſericordem eſſe, qui juſtus eſt, & miſerantem eſſe qui Deus eſt. Quis ergo proxime accedit ad Deum? ille cui proprium eſt, ſicut Deo eſt, miſericordem eſſe erga calamitoſos.

Audiamus *Chryſoſtomum*: Sic ille *Hom.* 53 in *Matth.* Ars quardam, inquit, liberalis eſt miſericordia, officinam habet in cælo, & magiſtrum habet non hominem, ſed Deum: Si miſericordia ad ſublevandas alienas calamitates, ars liberalis eſt quæ in cælo officinam habet, & Deum pro magiſtro: Quiſquis hanc artem didicerit, fit quodammodo Deus, ſicut contingit reliquis artiſtibus, qui enim aurificem magiſtrum aptè imitatur, efficitur aurifex, qui  
picto-

pictorem, pictor, qui phonaſcum, muſicus &c. Sic ille qui Deum imitatur in miſericordia, fit Deus, hæc enim ars, inquit *Chryſoſtomus*, docet quo pacto poſſis Deo ſimilis eſſe. Hinc nihil tam præcellens, nihil tam ſublime, nihil tam ſupra conditionem humanam, nihil denique tam divinum quam opem ferre calamitofis. Divinum eſt orare, divinum eſt corpus jejuniis macerare, divinum eſt moleſtas peregrinationes ſuſcipere, ſed nihil tam divinum, inquit *Gregorius Nazianzenus Orat. ad pauperum amore*, quam ſuccurrere miſeris. Tu ergo, inquit ulterius, Dei miſericordiam imitare. & eris miſeris quibus ſuccurris, ut Deus.

Audiamus etiam *D. Gregorium Nyſſenum Tract. de Beatitud.* Ubi diſcurrit ſuper illa *Chriſti* verba: *Eſtote miſericordes, ſicut pater veſter miſericors eſt.* Si miſericordiæ nomen, inquit, Deum decet, ad quid aliud te ſermo *Chriſti* hortatur, niſi ut Deus ſias, tanquam inſignitus propria nota divinitatis?

Quid quod iſtis Ethnicis etiam hæc veritas nota fuerit: *Plinius* enim dicit *Lib. 2 cap. 7.* Homo qui hominem, præſertim in miſeris conſtitutum, juvat, Deus eſt. *Seneca* dicit *Lib. 4 de Benef.* Bene aliis facere, hoc ſolum habent homines cum Deo commune.

Sequitur ergo hanc eſſe regiam viam qua rectâ pervenitur ad Deum: Huic enim virtuti, inquit *Chryſoſtomus, Hom. 7 de Pœnit.* cæli portæ aperiuntur, & veluti reginâ intrante, nullus janitorum, nullus cuſtodum qui portis aſſiſtunt audet petere: Quæ es tu, vel unde? Sed omnes eum promptè, continuoque ſuſcipiunt.

Si quis in caſtra, aut in urbibus limitaneis præſidio militari inſtructis, portas intrare cupit, ab excubitoribus rogatur, unde veniat, quo vadat, quis fit? Hoc, inquit *Chryſoſtomus*, cæli janitores non petent ab iis qui miſeris ſuccurrerint, ſtatim enim illos agnoſcent ex nota divinitatis *D. Bernardus Serm. 1 in Pſal. qui habitat ſpeculatur ſcalam iſtam quam vidit Jacob in ſomnis*, angelosque per eam ſcendentes & aſcendentes, & ait: Beati illi ſpiritus aſcendunt per contemplationem Dei, deſcendunt per compaſſionem tui, ut doceamur compaſſionis ſerga miſeros deſcenſum, evehere nos ad folium Deitatis, ut ejus conſpectu perfruamur.

Redeamus ad *Moyſen*. Viderat ille de longe rubum ardentem ſine combustione, & ait: *Vadam & videbo viſionem hanc magnam, quare rubus non comburatur: Moyſes* horrebat ad viſionem nihilominus

dicbat *Vadam*, accedam propius, & *videbo*. Magni animi est audere quod horret, & non curare magnitudinem rei, *videbo*, inquit *Moyſes*, *Viſionem hanc magnam*, ſed quantumvis magnam & horribilem, aggrediar viam ut inſpiciam propius. Naturale eſt, etiam fortibus viris horrere res arduas ac difficiles, non ideo tamen deſiſunt res arduas aggredi, generoſitas enim vincit horrorem, præfertim ſi quid aggredi debent pro Deo.

Putasne quod *David* fuerit abſque ullo naturali timore cum ipſe inermis & adoleſcens ſe pararet ut pugnaret contra immanem illum gigantem? ego non puto, obviam tamen illi proceſſit quia de honore Dei agebatur, & vicit, generoſitas enim animi depulſerat timorem naturæ, tantoque major eſt generoſitas illa, quo fortius timori aliisve paſſionibus reſiſtit. Ipſa etiam rei quam aggredimur magnitudo vel difficultas, majorem animoſitatem oſtendit; non enim magnis animis opus eſt ut aliquid faciamus quod nobis jucundum & gratum eſt. Hinc nullius animi eſt ſequi voluptates ſuas & ſenſualitates, ſed ille vir fortis eſt qui, ut loquitur *Paulus*, carnem ſuam crucifixit cum concupiſcentiis ſuis, hoc enim arduum eſt, & hoc caro horret, ſed perſurpuit omnes difficultates, & vincit horrorem, qui Deo ſtatuit ſervire. Nec ullis animis opus eſt ut quis ferat proſperitatem, adverſitatem autem aut tribulationes nemo ferre poteſt niſi qui magna fortitudine præditus eſt.

Nefcio an aliquid unquam magis arduum ac difficilius fuerit quam ut pater filium ſuum unigenitum, quem maxime diligebat, propria manu occideret, & offerret in ſacrificium Deo, nec dubito quin *Abraham* in hac re magnum ſenſum habuerit, ſed ipſius generoſus animus perſurpuit omnia pro Deo, quæ ſenſus naturæ poterat impedire.

Sic etiam *Moyſes* horrebat cum de longe videret rubum inter flammas intactum, nec ideo tamen deſiſtebat accedere, ſed animoſe dicebat: *Vadam*, & *videbo viſionem hanc magnam*; quo major viſio erat, eo ardentius ferebatur ad illam. Infirmi vero animi homo, etiam minima timet, & ideo nihil unquam magni aggreditur. Generoſi vero animi eſt, inquit *Cæſiodorus*, ſemper optare quod ſummum eſt.

Non poſſum hic prætereire ſpeculationem quam aliquis noſtri ſæculi doctus interpres habet in illa verba: *Apparuit Dominus Moyſi*

in flamma ignis de medio rubi : Et videns Moyses quod rubus arderet , & non combureretur , dicebat : Vadam & videbo visionem hanc magnam. Vult ostendere , multos temere iudicare , quia non inspiciunt res ipsas , sed exteriora tantum considerant ; atque ita discurrit. Numquid , inquit , uri tibi videtur femina quam incedere vides cirratis capillis , gemmis unionibusque ornatam , & veste pretiosa , & ad omnem pompam compositâ ? fortasse tecum ipse sic cogitas , si *Bethsabea* nudata flammam corripuit in aquis cum se lavaret , & *Davidem* fecit ardere , quales erunt istæ mulieres quæ in tanto fulgore gemmarum ignem gestant in vultu , & corpore toto exterius ? Turpissimè erras , & temere hoc de omnibus iudicas : Sunt enim multæ honestæ matronæ , quæ prodeunt in publicum comptiores , ut placeant maritis suis , ne illi amorem suum divertant ad alias : Pugnans suo ornatu pro pudore mariti & suis monilibus impudicitiam fugant : Vir enim mæcharetur , nisi uxor gratiorem se faceret illi suo ornatu : Matrimonium tuetur quod gerit typum *Christi* & *Ecclesie* : Ecclesiam autem , quam uxor repræsentat , sic describit *David Psal. 44. Astiit regina à dextris tuis in vestitu deaurato , circumdata varietate* , ut scilicet *Christo* suo sponso placeret , quod *David* statim significat , cum addit : *Et concupiscet rex decorem iuum* : Non excitat talis uxor gemmis libidinem , sed demergit , nec se ornat ut peccetur , sed ne peccetur. Dic ergo cum *Moyse* : Vadam & videbo visionem hanc magnam. Vade , & antequam iudices , rem penitus inspicere , & videbis quod rubus ardeat , & non comburatur , vanitas est in veste , sed castitas est in corde. Quid ergo dicis de matronâ pretiosè compta & ornata ? dico , inquis , quod video , illam ardere , quia ignes in toto vultu , & veste contempler quibus incenditur : Ego vero dico te falli , quamvis enim in tanto igne rubus uri videatur , non tamen comburitur. Cur enim pudica esse non possit matrona in gemmis & unionibus , cum rubus illæsus steterit inter flammam ? Hactenus ille interpres.

Jam penitus consideremus verba illa Dei *Moyse* de rubo dicentis : *Salve calcamenta de pedibus tuis , locus enim in quo stas , terra sancta est.*

Templo-  
rum reve-  
rentia.

Hic textus nos docet qua reverentia , devotione , humilitate ac timore nos oporteat accedere ad Deum , præsertim quando oraturi , vel sacrificio interfuturi domum Dei intramus.

Jubetur *Moyse* exuere calceos , & nudis pedibus stare in loco qui sancti.

sanctificatus erat propter præsentiam Dei: Hoc ipsum videtur Salomon omnibus imperare cum dicit *Ecclesiastis cap. 4: Custodi pedem tuum ingrediens domum Dei.* Si hæc intelligantur juxta litteram, Salomon juxta opinionem *Cornelii à Lapide*, loquitur hic de ceremonia *Judeorum*. Scribit enim *R. Moyses Gerondensis in cap. 5 Iosue*, Sacerdotes *Judeorum*, juxta exempla *Moyssis & Iosue*, nudis pedibus in Templo sacris operatos fuisse: Propterea ad majorem munditiam lavabant pedes suos antequam Templum ingrederentur.

Quin & hæc consuetudo fuit *Ethnicorum*, hodieque est *Mohometanorum*. *Plato* enim testatur, quod illi qui triumphabundi ingrediebantur in urbem, nudis pedibus sacrificabant, & *Plinius* ait: Sacrifica, & nudis pedibus Deos adora. De *Persis* etiam lego quod nefas ducant, pavimenta Templorum suorum calcato pede calcare.

Et hic quidem sensus ad litteram: *Custodi pedem tuum: Gregorius* vero, *Augustinus*, & *Basilius*, spiritualiter per pedem animæ affectiones intelligunt, sicuti enim corpus nostrum movetur pedibus, sic anima movetur affectibus; quando ergo, juxta hos Patres, Salomon dicit: *Custodi pedem tuum ingrediens domum Dei*, vult dicere, custodi affectiones animæ tuæ, cave ne habeas cogitationes quæ Deo repugnant, aut displicent, nec concupiscentias inordinatas & illicitas, ut Deum puro corde invocare possis & adorare. Propterea verba *Salomonis: Custodi pedem tuum*, sic vertit textus *Chaldaicus: Fili hominis, custodi pedes tuos illo tempore quo ingredieris sanctam domum Dei ad orandum, ne illuc venias ante Dominum, plenus peccatis.*

*David* vero per custodiam pedum, intelligit etiam innocentiam manuum, & puritatem cordis; sic enim ait *Psal. 14: Domine, qui habitabit in Tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte Sancto tuo?* Respondet: *Innocens manibus, & mundo corde, qui non accepit in vano animam suam, hic accipiet Benedictionem à Domino, & misericordiam à Deo salutari suo.*

*Salomius* verba *Salomonis* sic explicat: Quando Templum ingredieris, custodi gressum animæ tuæ, ut non cadas, neque offendas in cogitationibus, & oratio tua, pura possit in cælum ascendere.

Denique *Titelmannus*: Quando, inquit, ingredieris domum Domini, sis memor reverentiæ quam debes sancto illi loco qui dedicatus est cultui divino, & sanctificatus per præsentiam Dei.

Videamus ergo primum quis locus sit domus Dei. Hac proprie

vocatur domus alicujus quæ spectat ad illum, quam inhabitat ut Dominus ac Magister. Totus quidem mundus spectat ad Deum, & ubique præsens est Majestate, potestate, & essentia, & ideo vocatur mundus, domus Dei, sed quibusdam locis particulari quodam modo præsens est, ubi quasi fixam posuit sedem, quia magis illic manifestat suam essentiam per mirabilia opera, quam aliis locis.

Primus qui nobis ejusmodi locum indicavit, fuit Patriarcha *Jacob*: Cum enim proficisceretur in *Mesopotamiam*, in via nocte præventus, coactus fuit dormire sub dio, & ecce in somnis vidit scalam à terra pertingentem ad cælum, Angelosque per eam ascendentes ac descendentes, & Deum quiescentem in summitate: Mane evigilans exclamavit: *Vere Deus est in loco isto, & nesciebam, terribilis est locus iste, non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cali.* Ideo locum istum appellavit *Bethel* quod *Hebraicè* significat domum Dei, quia Deus ibi particulariter apparuerat, & locum istum sua præsentia honorarat. Hoc erat in lege naturæ.

In lege vero scripta, imperavit *Moyse* Deus ut faceret Tabernaculum in deserto, in eoque poneret arcam Domini, ex qua Deus certis temporibus responsa dabat *Moyse* se consulenti, vel apparebat supra Tabernaculum in nube, hoc Tabernaculum vocabat Deus domum suam, dicens: *Habitabo in medio Israël.*

Postea loco Tabernaculi, ædificatum fuit à *Salomone* Templum *Ierosolymitanum*, quod passim in Scriptura domus Dei vocatur, quia sæpe per visiones, aliaque mirabilia, ostendebat se illic esse præsentem, &, ut loquitur Scriptura, habitare.

Sed hæ futurorum tantum umbræ ac figuræ fuerunt. hisce ergo succedere debebat veritas ipsa, adveniente enim *Christo* in mundum omnes istæ figuræ evanescere: Tunc ergo locis illis antiquis, alia debebant succedere, ubi non aliquando tantum se Deus ostenderet, sed semper, verè, essentialiter, & corporaliter præsens foret Deus & homo.

Hæc sunt Tempia nostra, de quibus majori jure, quam Patriarcha *Jacob* possumus dicere: *Terribilis est locus iste, non est hic aliud nisi domus Dei, & hoc est quod Bernardus ait: Revera terribilis locus, & omni reverentia dignus, ubi fideles simul conveniunt, sancti Angeli conversantur, & Dominus ipse præsens esse dignatur, vel, ut Rupertus ait: Ubi terribilia & mirabilia opera fiunt.*

Expen-



Expendamus hæc circumstantias paulo minutius, inquit *Bernardus*, hic fideles simul conveniunt; ad quid? ad orandum, ad audiendum verbum Dei, & recipienda Sacramenta. Nihil non mirabile,

Quid enim orare est aliud quam loqui cum Deo? Igitur Temppla nostra sunt quasi intima atria Majestatis divinæ, ubi nobis audientiam præbet: Quam terribilia quibusdam hominibus intrantibus audientiæ atria Regum? adeo ut interdum tanto timore corripiantur, ut ne verbum quidem possint efferre. Quid clarius exemplo *Estheris*: Non erat vilis conditionis, sed Regina & uxor Regis *Assueri*, carissima erat suo marito, nihilominus tamen, cum pedem posuisset in atrium audientiæ mariti sui ut aliquid postularet ab eo, præ timore incidit in deliquium animi: Sic obmutuit magnus ille Orator *Demasthenes* coram *Macedonia* Rege *Philippo*, coram *Severo* Imperatore *Heractius*, coram *Carolo V* *Bruxellis* quidam Legatus, qui cum tantum hæc tria verba, *Alexander ille magnus*, protulisset, ita stetit attonitus ut progredi non posset. Itaque si tantum horrorem atria Regum incutiunt: quid ego erit quando loquendum est cum Rege Regum in Templo, ubi, ut ait *Chrysofomus*, etiam Angeli contremiscunt?

Quid plura? dignitatem horum locorum Deo dicorum, *Christus* duobus hæc verbis expressit, *domus orationis*. Hoc sufficit. Verum quidem est quod nullus sit locus, in quo non possimus orare: Oravit enim *Jacob* in campo aperto, *Moses* in montibus, *Iosue* in vallibus, *Iob* in sineto, tres pueri *Babylonia* in fornace, *Daniel* in lacu Leonum, *David* in solitudine, *Ieremias* in carcere, *Ionas* in Ceto, *Paulus* in litore &c. Ubique possumus orare, quia Deus ubique est, sed Temppla proprie sunt domus orationis, quia domus Dei sunt. Propterea dicit *Chrysofomus Hom. 2. in 2. ad Cor.* potentiores esse orationes quæ fiunt in Templis, quam alibi: Et *D. Thomas P. 3. q. 13* docet, venientes ad Templum mereri aliquam venialium peccatorum remissionem, quanto magis dum illic oramus. Hoc primum quod dignitatem Templi valde extollit.

Alterum est quod ibi prædicetur verbum Dei. Concionatores in Cathedralis sunt Dei legati, hoc expresse dicit *D. Paulus*: Legatione, inquit, pro *Christo* fungimur, & Deus loquitur per nos.

Quid dignius quam verbum Dei audire vel loqui? Hoc verbum annun-

annuntiabatur *Moyfi* inter horribiles strepitus tonitruorum, inter fulgures fulminum, inter sonitus tubarum. *D. Ioannes* dicit se omnem spiritum amisisse cum audiret Angelum ex ore Dei loquentem. Quoties tremuere *Iudæi*, quando Prophetæ illis annuntiabant verbum Dei, clamantes: *Hæc dicit Dominus*, vel, *audite verbum Domini*. Hoc idem verbum vobis annuntiant Concionatores, illi decreta & leges Dei publicant, illi vobis omnes ejus voluntates significant, illi ex parte Dei denuntiant belluū contra peccata, illi vos terrent minis divinis. Dicendum ergo est, *terribilis est locus iste* ubi tam gravia tractantur negotia à Dei legatis.

Denique, tot vides in Templo iudices qui litem tuam de aeternitate decidant, quot Confessarios vides, ut pacem concludant inter Deum & vos.

Vides Sacerdotem stantem ad altare & ibi cæli aperiuntur, ibi Deus descendit super altare, ibi offertur sacrificium illud tremendum quod *Christus* olim fecit in Cruce, illud sacrificium quo portas & vectes inferni confregit, diabolum vicit, triumphavit de morte, Cælum conciliavit terræ, Deum hominibus. *Terribilis ergo est locus iste*, ut ait *Bernardus*.

Præterea ait: Ibi Angeli conversantur. Quod *D. Cyrillus Alexandrinus* confirmat, dicens: Ubi Rex est, ibi & aula est; ubi ergo Deus ibi Angeli sunt. Et *D. Chrysostomus lib. 3 de Sacerdotio*. Hostia, inquit, est in manibus Sacerdotis, filius Dei ibi præsens est, juxta illum stant cum magno horrore Angeli atque Archangeli. Ergo Templum, ut agebat Patriarcha *Jacob*, non est aliud nisi cælum & porta cæli in terrâ.

Hic habitat ipsemet Deus, & sedet in altari tanquam in throno Majestatis suæ, sicut sedet in cælo cum eadem gloria, potestate, sapientia, & aliis omnibus perfectionibus divinitatis. Hic effundit omnes thesauros divitiarum & gratiarum suarum in Sacramentis: Hic corroborat nostram spem, accendit amorem, exaudit orationes, hic liberat nos omni tædio ac mæstitia, hic cibat nos cælesti pabulo sanctissimi Corporis, ac pretiosissimi sanguinis filii sui. Ergo *terribilis est locus iste, & non est hic aliud nisi domus Dei, & Porta cæli*. Quid tandem ex omnibus his sequitur? quod *Salomon* ait: *Custodi pedem tuum ingrediens domum Dei*, quia *domum Dei*, inquit *David Psal. 92 decet sanctitudo*. Propterea Diaconus olim solebat clamare ad populum, *Sancta Sanctis*.

Sed quantum decidimus ab illis temporibus? omnia sancta sunt quæ videmus in Templis, sed non omnes Sancti sunt qui in Templis versantur, imo quidam sanctiores sunt in plateis ac foris quam in Templo, sæpe enim non auderent ita se gerere in plateis, sicut se gerunt in Templo.

Unde merito possumus exclamare cum *David Psal. 73*: *Quomodo malignatus est inimicus in Sancto? in medio solemnitatum?* in illo loco ubi Deus ipsemet habitat, adeoque in domo Dei? maxima injuria est civem honestum in propria domo injuriis afficere, hinc cum Rex *Assuerus* olim putaret *Amanum* in ipsa aulâ velle peccare cum Regina *Esthere*, in tantas iras exarsit ut primum diceret: *Quid hoc me præsentem? hoc in domo mea audeat, & mox juberet illum agere in Crucem.*

Idem dixit Deus per *Ieremiam Iudeis*: *Quid hoc est, inquit, quod populus meus in domo mea fecit scelera multa?* Quasi diceret: Ergo tutus non ero à vestris injuriis in domo mea? numquid habetis sufficientia loca ubi peccetis, etiam domum meam foribus vestris contaminatis?

Similiter *D. Paulus 1 Cor. cap. 11*, cum videret aliquos ebrios intrantes in Templum: *Numquid, inquit, domos non habetis ut manducandum & bibendum, aut ecclesiam Dei contemnitis?*

Mirabile est quod lego apud Prophetas unum aut alterum, ubi Deus *Iudeis* gravissima minatur supplicia: Quare? quia gravissima peccata commiserant in montibus *Masphat* & *Thabor*: Quales ergo erant hi montes? Sancti erant, quia particulariter Deo dicati.

*Masphat* non longe aberat à *Silo*, ubi arca & Tabernaculum Domini multis annis steterat, ubi *Samuel* longo tempore habitaverat, ubi congregaverat populum ad novum fœdus secum & cum Deo ineundum.

*Thabor* semper habitus erat pro Monte sancto: Ibi occurrerat *Abrahamo* magnus ille Sacerdos *Melchisedech*, & obtulerat Sacrificium panis & vini, ut figuram sacrificii Corporis & sanguinis *Christi*. Illuc convenerant *Israëlita* ut pro Deo pugnarent contra impium ducem *Sisaram*.

Quid in hisce montibus *Iudæi* commiserant? statuerant illic idola sua, & obtulerant impia sacrificia dæmoni, quasi non essent alii plurimi montes in tota *Palestina* & *Syria*, ubi illas abominabiles perpetrare poterant. Quamvis enim idololatria omnibus locis

abominabilis sit, tamen tanto abominabilior erat, quod fieret in Montibus sanctis, ac Deo dicatis.

Quænam jam comparatio est inter Tempa Christianorum, & Montes istos sanctos? mons *Masphat* sanctificatus erat quia tot annis ibi steterat Arca: In nostris Templis habemus *Christum* arcam vivam, cum promissione se illic mansurum usque ad finem mundi: Sanctus erat mons *Masphat*, quia Propheta *Samuel* illic habitaverat: In nostris Templis habitat filius Dei, summus omnium Prophetarum. Sanctus erat mons *Thabor*, quia illic semel obtulerat Sacrificium panis & vini *Melchisedech*: in nostris Templis quotidie & singulis horis offertur sacrificium Corporis & sanguinis *Christi*. Sanctus erat mons *Thabor*, quia illic convenerant *Israëlitæ*, pugnatu- ri pro Deo contra *Sisaram*: In nostris Templis quotidie congregantur fideles ut orationibus pugnent contra diabolum, quanto ergo major reverentia debetur nostris Templis quam montibus *Masphat* & *Thabor*: Si ergo Deus tot plagis *Judeos* affecit, quia in illis montibus peccaverant, quid faciet Christianis, qui peccant in Templis? Ego sane existimo propterea nos tot annis inter bella, morbos, aliasq; innumeras misérias versatos fuisse, quod sanctitas Templo- rum tam libere, nullo habito ad Deum respectu, violetur. Audi- vists Deum è rubo *Moyse* dicentem: *Locus in quo stas, Terra sancta est*, & mox abscondit *Moyse* faciem suam præ reverentia: Templum in quo stas, locus sanctus est, & tu non abscondis faciem, sed li- bere vagaris oculis tuis, & conjicis illos in alterum sexum, sæpe non sine peccato, semper sine respectu quem debes Deo, & *Christo* præsentî.

## DISCURSUS VII.

*Mittitur Moyse in Ægyptum à Deo.*

**S**Tante jam *Moyse* antè rubum ardentem, inceperunt inter se colloqui Deus & *Moyse*.

Primo dixit Deus: *Ego sum Deus Patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob: Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, ideo descendi ut liberem eum de manibus Ægyptiorum, & educam de terra illa in terram bonam. Sed veni, & mittam te ad Pharaonem, ut educas populum meum filios Israël de Ægypto.*

Tunc dixit Moyses ad Deum: *Quis ego sum ut vadam ad Pharaonem & educam filios Israël de Aegypto?* Ego ero tecum, inquit Deus, & in signum istius, ego promitto tibi, fore ut, sicut jam tibi appareo in hoc monte Sinai, sic postea, cum eduxeris filios Israël, in hoc eodem monte tibi sim appariturus.

Respondit Moyses: *Ecce ego vadam ad filios Israël, & dicam eis: Deus Patrum vestrorum misit me ad vos: Si dixerint mihi: Quod est nomen eius? quid dicam eis?*

Respondit Deus: *Ego sum qui sum: Sic dices filiis Israël: Qui est, misit me ad vos.*

Plurima erant nomina Dei quibus poterat explicare magnitudinem suam, sed hîc unum hoc nomen elegit, *ego sum qui sum*, quia hoc uno nomine exprimebat omnia simul quæ in tota divinitate continentur, & quo ab omnibus creaturis distinguebatur.

Ac primum quidem, cum dicit, *ego sum qui sum*, significat se esse primum ens, & generale omnium entium: Primum, quia omnia ex illo fonte fluxerunt, & nihil est quod non habeat esse suum ab illo, adeoque, ipse est immensum & interminum essentia: pelagus, juxta illud *D. Bernardi Lib. 5 de consid.* Deus, inquit, est quod est, est enim sui ipsius esse, & omnium aliarum rerum.

Est etiam ens generale, quia, ut ait *Pindarus*: principium, medium, & finem omnium rerum complectitur in sua essentia, si enim omnia in se non contineret, omnia ex illius essentia non profuissent.

2. *Ego sum qui sum*, significat ipsius æternitatem quæ caret præterito & futuro, unde non dicit, ero vel fui, hoc enim proprium temporis est, sed dicit ego sum, quia semper est, & coram ipso nihil est quod præteritum sit aut futurum, sic autem esse, est esse æternum, quod principio caret ac fine, ut olim rectè dixit Philosophus *Thales Milesius*.

3. *Ego sum qui sum* significat Dei immutabilitatem: Ubi enim non est præteritum nec futurum idem semper est, & immutabile, sic enim ait *Augustinus in Psal. 101*: Dei substantia nihil habet mutabile, ubi nihil est præteritum quasi jam non sit, nihil est futurum quasi nondum sit, quia nihil ibi est, nisi quod est. Idcirco tempus mutabile est, quia quod heri fuit aliud est ab eo quod hodie est, & tempus quod futurum est, aliud plane est ab eo quod fuit: De Deo autè ait: *David Psal. 101: Tu idem ipse es, & anni tui non descendent*, si idem semper, ergo immutabilis est, & hoc est quod ait: *Ego sum qui sum*, semper idem, quia

4. *Ego sum qui sum* significat nullum accidens esse in Deo, quia

quid enim in Deo est, non est aliud nisi simplex ejus essentia, bonitas enim ipsius, & potentia, & sapientia, & justitia, & omnipotentia, & reliquæ omnes ejus perfectiones, non sunt distinctæ ab ejus divina essentia quæ diversimode operatur: Audiamus Bernardum Lib. 5 de *Consid.* Deus, inquit, amat ut charitas, novit ut veritas, sedet ut æquitas, dominatur ut majestas, regit ut principium, tuetur ut salus, operatur ut virtus, revelat ut lux, assistit ut pietas, quæ omnia facimus & nos, sed longe inferiori modo, non enim hæc facimus ex bono quod sumus, sed quod participamus, omnia vero illa facit, una eademque Dei essentia, non distincta in se, sed in suis operibus.

5 *Ego sum qui sum* significat Deum habere essentiam infinitam, immensam, & illimitatam, nam cum habeat esse à se, nemo potuit illud Esse determinare, ergo immensum est, & illimitatum.

Ex dictis patet propriissimum nomen Dei esse, *ego sum qui sum*, quia in illo, ut vidimus, exprimentur præcipuæ perfectiones divinitatis.

Præterea per illud nomen distinguitur Deus ab omnibus creaturis. Sicuti enim nomen, ipsius est esse, sic è contrario omnium creaturarum nomen est, non esse: Si enim rogetur homo vel angelus, imo lapis & arbor &c. Quis es? qui vocaris? debet respondere, meum nomen est, non esse, ego vocor, non sum. 1. Quia omnis res creata, priusquam crearetur, tota æternitate non fuit. 2. Si corruptibilis est, æternum non erit, si vero incorruptibilis, uti est angelus, & anima hominis, potest tamen aliquando non esse, quia ipsius esse, est in potestate Dei libere illam conservantis & potentis illam singulis momentis annihilare. 3. Creatura dum est, mutabilis est, ac proinde in se continet non esse, in omni enim mutatione fit ut non sit quod fuit prius. 4. Quælibet res creata, ut ait *Plato in Theætero*, plus habet non entis quam entis v. g. homo tantum habet esse hominis, sed non habet esse cæli, terræ, lapidis, angeli, aliarumque rerum omnium. Sequitur ergo proprium nomen creaturarum esse, non esse.

Interea jactant se homines, & volunt esse quod non sunt, dicuntque: Ego sum dives, ego sum nobilis, ego sum sapiens vel doctus, sed qui veram habent notitiam Dei, dicunt: Solus Deus est bonus, solus sapiens, solus dives, quia quidquid nos habemus ab illo participamus, ergo quidquid habemus nostrum non est,

est, sed Dei, qui est unicus & primus fons ex quo omnia fluunt.

Denique Theologi distinctionem faciunt inter æternitatem, ævum, & tempus, hoc modo. Tempus, inquit, est mensura durationis hominum, & rerum corruptibilium, ævum est mensura durationis angelorum, æternitas est duratio propria Deo. 1. Tempus principium habet & finem, ævum principium habet, nec finem. 3. Tempus mensura est rerum omnium quæ de factis corruptuntur & intereunt: Ævum mensura est rerum incorruptibilium absolutè tamen per potentiam Dei corrumpi possunt, & interire, æternitas autem Dei, nec desinere potest, nec variari. 4. Tempus habet successione, æternitas permanentiam, ævum partim successione, partim permanentiam: licet enim Angelus naturaliter in suo ævo semper sit stabilis, sibiq: similis, tamen continuo pendet à Deo, & ab illo sustentatur influxu continuo, quem Deus illi subtrahere potest singulis momentis, & si hoc fieret, angelus æque ac creatura quævis alia, statim evanesceret. Deus ergo solus est Dominus æternitatis, ævorum omnium, ac temporum, & hoc est quod significavit isto nomine: *Ego sum qui sum.*

Vade ergo, inquit *Moyse*, in *Ægyptum*, & si quis petierit quis te miserit, dic: *Qui est misit me*, si quis petierit nomen meum, dic quod appeller: *Ego sum qui sum.*

Tunc iterum dixit Deus ad *Moysem*, inquit Scriptura: *Hec dices filiis Israel: Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob, misit me ad vos. Hoc nomen mihi est in æternum.*

Hinc clare patet animam hominis esse immortalem. Hoc breviter ostendo. *Abraham, Isaac, & Jacob* secundum corpus mortui erant, hoc certum, consequenter nullum sensum secundum corpus habebant: Ergo non dicit hic Deus, se esse Deum *Abraham, Isaac, & Jacob*, quantum spectat ad corpora illorum. Ratio est, quia Deum esse importat aliquid plus quam Dominum esse: Nam Dominum esse, est dominari in aliquem, & hunc illi subditum esse: sive ergo quis vivus sit, sive mortuus, habet super se Dominum in cælo, & ipse est illi Domino subditus. Sic Deus vere est Dominus *Abraham, Isaac, & Jacob*, etiam quoad corpora mortua: Non tamen quoad illa corpora dici potest illorum Deus: Deus enim plus aliquid significat quam Dominus: Quid hoc est? Quod ille, cujus dici-

dicitur Deus, eum colat ac revereatur. Patet ex *Genes. cap. 28*, ubi *Jacob* dicit: *Si Dominus custodierit me in via in qua ambulo, erit mihi Dominus in Deum*, hoc est, tunc ego illum specialiter colam, honorabo, & particularem ei reverentiam exhibebo.

Hic vides differentiam inter Dominum & Deum: Cum ergo nemo possit colere Deum nisi qui vivit, illumque per intelligentiam novit, soli vivi habent Deum pro Deo & non tantum pro Domino, cætera omnia, etiam anima & intellectu carentia habent illum pro Domino tantum, est enim Dominus solis, Lunæ, astrorum, montium, arborum, maris, fluminum &c. Sed illa quæ vivunt, & intellectu prædita sunt, habent etiam illum pro Deo, quia cultus erga Deum in intellectu consistit. Ergo clarum est, quod, ut Deus alicujus Deus dicatur, ille debeat esse vivus, & præditus intellectu. Atqui Deus dicitur Deus *Abraham*, *Isaac*, & *Jacob*, ergo illi patres, tanto tempore post mortem, adhuc vivebant, non secundum corpus, ergo secundum animam: Ergo post corpus mortuum remanet anima, ac suas proprias operationes exercet, quia Deum intelligit, colit, ac reveretur: Et hoc faciet in æternum, quia Deus expresse dicit *Moyssi*, quod in æternum sit futurus Deus *Abraham*, *Isaac*, & *Jacob*, igitur illorum animæ vivunt in æternum, consequenter anima hominis est immortalis.

Hanc veritatem confirmat disertè *Christus Matth. cap. 22*, ubi adfert hæc verba: *Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob*, & statim subjungit: *Non est Deus mortuorum, sed viventium*. Hinc necessario efficitur hæc consequentia: *Deus est Deus Abraham, Isaac, & Jacob*; atqui non est Deus nisi viventium, ergo *Abraham, Isaac, & Jacob* adhuc vivunt, non secundum corpus, ergo secundum animam, sequitur ergo animam hominis esse immortalem.

Tunc prosequitur Deus suum sermonem ad *Moysem*, & ait: *Vade in Ægyptum, & congrega Seniores Israel, & dices ad eos: Vidi omnia quæ acciderunt vobis in Ægypto, & dixi, ut educam de afflictione Ægypti in terram fluentem lacte & melle: Ingrederisque tu, & Seniores Israel ad regem Ægypti, & dices ad eum: Dominus Deus Hebræorum vocavit nos, vidimus viam trium dierum in solitudinem, ut immolemus Domino Deo nostro. Sed ego scio quod non dimittet vos rex Ægypti ut eatis, nisi per manum validam; Extendam enim manum meam, & percutiam Ægyptum in cunctis mirabilibus meis quæ facturus sum in medio eorum. Post hæc dimit-*



ter vos, daboque gratiam populo huic, coram Aegyptiis, & cum egrediamini, non exhibitis vacui, sed postulabit mulier à vicina sua, & ab hospita sua, vasa argentea, & aurea, ac vestes, & spoliabitis Aegyptum.

Hiscæ speciosis promissis non obstantibus, faciebat Moyses difficultatem ut iret in Aegyptum, dicebat enim: Non credent mihi, neque audient vocem meam; sed dicent: Non apparuit tibi Dominus.

Tunc petiit Deus ab illo: Quid est quod tenes in manu tua? respondit Moyses; Virga: Dixitque Dominus: Projice eum in terram, projecit, & versa est in colubrum, ita ut fugeret Moyses: Iam, inquit Deus, extende manum tuam, & apprehende caudam ejus; extendit & tenuit, versaque est in virgam.

Hæc virga, ejusque mutatio duo significabat, unum ad litteram, alterum figurativè. Ad litteram significabat, tres status Hebræorum in Aegypto. 1. Vivente ac regente Iosepho, virgam, sive sceptrum ac principatum habebant Israëlitiæ in manu. 2. Ista virga versa est in colubrum, quando mortuo Iosepho, à rege Aegypti, toti oppressi, & quasi projecti in terram, exosi facti sunt Aegyptiis quasi colubri, qui necem machinarentur Aegyptiis. 3. Hic coluber rursus fuit mutatus in virgam quando Moyses populo suo sceptrum ac dominationem attulit, inque pristinam libertatem restituit.

Figurative vero hæc virga crucem Christi significabat quam ipse manibus suis tulit cum procederet ad montem Calvarie; cum jam esset imposita terræ, eique Christus affixus, versa est in colubrum pro Iudæis & impiis, qui crucem tanquam supplicium malefactorum exhorrescunt: Denique rursus vertetur in virgam quando in die iudicii statuatur medias inter nubes, tunc enim videbunt Iudæi & impii, non colubrum fuisse, sed sceptrum Christi, quo toti mundo dominatus est.

Videamus jam quid ista virga versa in colubrum significet in sensu morali. Dico per virgam, ejusque mutationem in colubrum, significari ejusmodi homines qui cum prius essent admodum virtuosus ac pii, fiunt gravissimi peccatores: Cum essent pii, & quasi in statu perfectionis, erant ut virga & baculus cui Deus poterat inniti tanquam fortibus viris qui religionem ejus defenderent, aliosque suo exemplo ac virtute ad salutem adducerent. At ubi se projecerunt in terram, ac terrenas cupiditates, ac simul abjecti fuere à Deo, versi sunt incolubros, quia juxta Salomonem, omne peccatum coluber est, sic enim ait: Quasi à facie colubri fuge peccatum. Et

Et bene peccator dicitur serpens: Est enim similis illi serpenti antiquo, venenatoque draconi, ut diabolus vocatur in *Apocalypsi*, qui de cælo cecidit: Angelus erat, & versus est in diabolum: Angeli sunt qui virtutem colunt, colubri fiunt dum in graviora peccata incidunt, de cælo, inquit *Bernardus*, in cœnum, & in eo obstinati persistunt.

Hoc primo miraculo facto, ut scilicet virga converteretur in colubrum, & coluber rursus in virgam, dixit Deus ad *Moysem*, mitte manum tuam in sinum tuum, quam cum misisset in sinum, protulit leprosam instar nivis: Retrahe, ait: Deus manum tuam in sinum tuum, retraxit, & protulit iterum, & erat similis carni relique. Tunc dixit Deus: Si non crediderint tibi, neque audierint sermonem signi prioris, credent verbo signi sequentis.

Ego puto hinc profluxisse quod communiter dicimus illis qui a fide oculos defixos habent in alienos defectus, *Mitte manum in sinum tuum*, Amice, tantum habes quod carpas in aliis, mitte manum tuam in sinum tuum, & extrahas inde leprosam, intra in conscientiam tuam, & plures ac graviores ibi defectus reperies, quam vides in aliis: Quid ergo carpis in aliis in quo tu magis reus es, & medice, qui alios curare vis, cura prius te ipsum. Tu vides festucam in oculo alterius, & non vides trabem in tuo, si medicum agere vis aliorum, sana prius te ipsum. *Samaritanus* cum reperisset hominem illum in via, quem latrones multis vulneribus affecerant, vulnera illa curabat vino & oleo: Vinum mordet, oleum mollit. Tu pro tuis vulneribus oleo tantum uteris, non ut illa sanes, sed ut pejora reddas illis blandiendo: Vino uteris pro vulneribus aliorum, & dum tuis defectibus blandiris, illos in te excusas, aliorum mores carpando. Laudas peccata tua, & contemnis alios in virtutibus suis. Clamat *David* ad Deum *Psal. 140.* O Domine, inquit, *Oleum peccatoris non impinguet caput meum.* Oleum peccatoris, inquit *Augustinus* hoc loco, adulatio est, ergo quando adularis tibi in peccatis tuis, quasi alios virtutibus superes cum multis vitiis sis obnoxius, ungis te oleo peccatoris, adeoque sicut oleum nutritur in flammis, sic tibi ipsi adulando, foves peccata tua, quæ corrigere debebas: Quid ergo respicias aliena? mitte manum in sinum tuum, & vide quid in domo conscientia tua agatur, & deprehendes omnia fœdâ leprâ esse percussa, interea dum domi aliena omnia munda sunt quamvis

fordida tibi videantur, dum proprias sordes tegere conaris.

Denique *Moyſes* hic à Deo accipit duo miracula ut probet *Aegyptiis* se miſſum à Deo. Hinc patet quod Deus homines doceat ſecundum quod congruit ipſorum naturæ, natura autem hominis eſt ut ipſius cognitio ortum habeat ex ſenſibus externis: Ideo enim anima humana unitur corpori ut per ſenſus externos ſcientiam aſſequatur, ut ait: *D. Thomas p. 1. q. 84. Art. 2, 3, 6.* Deus ergo volens docere filios *Iſraël* in *Aegypto* per *Moyſen*, per ſenſibilia voluit illos docere, ſcilicet per virgam verſam in colubrum, & per manum miſſam in ſinum factamque leproſam. Denique, addebat Deus, *ſi hiſce duobus ſignis non crediderint, ſume aquam fluminis, & effunde eam ſuper aridam, & quidquid hauſeris de fluvio, vertetur in ſanguinem.* Quando videbunt te hoc facientem in illorum conſpectu, facile credent duobus aliis quæ non viderunt.

Hinc habes quod Prophetæ miſſi à Deo debeant dare ſigna ſuæ miſſionis, adeoque non ſufficit tantum dicere quod ſint miſſi à Deo, de talibus enim dicit Deus *Ierem. cap. 23. Ego non mittebam eos, & ipſi currebant, & dicebant: Hac dicit Dominus exercituum, cum Dominus non eſſet locutus.*

Debent ergo evidentia ſuæ miſſionis ſigna oſtendere, ut auditores illis credant, & populus tenetur illis credere, ſicuti è contrario non tenetur illis credere quando huiusmodi ſigna non oſtendunt.

Ipſe met *Chriſtus* à Deo miſſus dicebat de ſe: Si opera non feciſſem in eis, quibus me oſtendebam miſſum à Deo, peccatum non haberent ſi non crederent mihi: Nunc autem poſtquam illis per miracula mea clare oſtendi me miſſum à Deo, excuſationem non habent de peccato ſuo quod mihi non credant. Idem eſt de illis qui poſt tot miracula non crediderunt Apoſtolis: Idem de illis omnibus qui non credunt Eccleſiæ *Romane*, in qua ſola hodieque ſunt miracula.

Hinc habes quod illi qui credunt *Luthero*, *Calvino*, aliisque hæreticis, nullam habeant excuſationem de peccato ſuo, quia credunt illis qui numquam miſſionem ſuam à Deo, ne quidem unico miraculo, potuerunt probare. In hoc enim ſenſu dixit Apoſtulus *Rom. cap. 1. Quomodo audient ſine prædicante, & quomodo prædicabunt niſi mittantur?* Hoc eſt clare dicere: Quomodo excuſabuntur auditores qui credunt prædicatori, qui non probat ſe eſſe miſſum à Deo.

Deo. Conantur id quidem hæretici probari ex Scriptura, ut ajunt, sed frustra, quamvis enim credamus Scripturam esse verbum Dei, non credimus tamen librum illorum, quem ipsi Scripturam vocant, esse Verbum divinum, quia scatet interpretationibus ac versionibus falsis, ergo ut credamus illos esse missos à Deo, prius alio motivo opus est ut credamus illorum Biblia esse verè Verbum divinum: Illud motivum non potest esse nisi miracula, quia omnes qui particulariter fuerunt unquam missi à Deo, fecerunt miracula, Ergo quamdiu hæretici nulla faciunt, nullo modo tenemur credere illos esse missos à Deo.

## DISCURSUS VIII.

*Moyse se rursus excusat ne in Ægyptum mittatur.*

MUltis, ut audivimus, egerat Deus cum *Moyse* ut iret in *Ægyptum*, instruxeratque illum non tantum quomodo hac in re se deberet gerere, sed etiam miraculorum donum contulerat. Nilominus tamen pergit *Moyse* se excusare, & ait: *Obsecro Domine, ne hoc onus mihi imponas, quia non sum eloquens ab heri & nudius tertius, & ex quo locutus es ad servum tuum, impeditioris & tardioris lingue sum.*

Disputant hic interpretes an illud vitium linguæ *Moyse* fuerit naturale, sive an *Moyse* talis fuerit à pueritia: Ego cum *Origene* puto quod non, audiamus quid dicat *Hom. 3. in Exod. Moyse*, inquit, donec esset in *Ægypto*, & erudiretur omni sapientia *Ægyptiorum*, non erat gracili voce, nec tardus lingua, nec profitebatur se esse ineloquentem, erat enim, quantum ad *Ægyptios*, & sonoræ vocis, & eloquentiæ incomparabilis. Ubi autem cœpit audire vocem Dei, & eloquia divina suscipere, tunc sensit exilem vocem suam esse, & impeditam linguam, tunc se pronuntiat mutum, cum cœpit agnoscere verum illud Verbum, quod erat in principio apud Deum. Ita *Origenes*.

Huic consentit Abbas *Rupertus Lib. 1. in Exod. cap. 18*, qui sic facit *Moyse* loquentem: Antequam loquereris ad servum tuum, Domine, videbar mihi eloquens, & velocis linguæ, & expeditæ, nunc autem ex quo loqui cœpisti, & occulta sapientiæ tuæ man-

festare mihi, hoc didici & sensi, quod non sum eloquens, neque tam expedita linguæ, ut ea quæ nunc agenda mihi imponis, dignè valeam coram hominibus eloqui. Ita *Rupertus*.

Itaque postquam *Moyfes* audivit Deum loquentem, tunc minus aptus redditus est ad loquendum cum hominibus.

Amor Dei  
& mundi  
contrarii.

Hinc concludo i. quod quo aliquis magis delectatur cælestibus ac divinis, tanto magis separatur ab amore terrenorum, rerumque quas mundus magni facit. Vis ergo cognoscere an in virtute, ac via Dei proficias, nec ne, vide an inter medias curas seculares, omnia quæ agis secundum mundum disponantur, an secundum dispositionem ac beneplacitum Dei, ut in omnibus fiat voluntas ejus: Si hoc habes, multum profecisti: Si vero è contrario hoc unum spectes ut omnia fiant juxta commodum tuum, & voluntatem tuam, procul defecisti à via Dei.

Ratio est quia amores contrarii se invicem destrunt: Amor Dei destruit amorem tui, & amor tui destruit amorem Dei. Propterea quo magis proficis in amore tui, hoc magis destruis amorem Dei, si crescis in te, non crescis in Deo. Ergo quo magis curam geris ut omnia tua fiant juxta commodum & beneplacitum tuum, & non juxta dispositionem ac voluntatem Dei, tanto longius discedis à Deo.

Amor Dei, inquit *Apostolus* 1 *Cor. cap. 13*, non querit quæ sua sunt, hoc est, quo quis magis diligit Deum, eo minus diligit seipsum: Quapropter, inquit *Coloss. cap. 3*, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram: Sapor cælestium, tollit saporem rerum terrenarum: Si fapis tantum ea quæ super terram sunt, hæc transitoria sunt, jam non fapis ea quæ sursum in cælo sunt, & non sunt transitoria, gustus enim unius tollit gustum alterius.

Dubito an aliquis unquam fuerit qui hæc in se magis expertus sit quam *Augustinus*: Audiamus illum loquentem in libris Confessionum. Videte illum primo nihil sapientem nisi terrena: Inhabitabam, inquit, honoribus, lucris, conjugio: Quid erat quod me delectabat nisi amare & amari: Non tenebatur modus ab animo meo & concupiscentia carnis obnubilabat cor meum, & rapiebat me per abrupta, & mersabat in gurgite flagitiorum. Ibam longius à te, Domine, & jactabar, & effundebam, & ebulliebam per fornicationes meas, sequens impetum naturæ, & excedebam omnia legitima tua: Præceps ibam inter coætaneos meos tanta cæcitate,

ut, ne vituperarer, vitiosior fierem, & fingerem me fecisse quæ non feceram, ne viderer abjectior quo eram innocentior, & castior. Sic iter agebam platearum *Babyloniae*, & volutabar in cæno, tanquam in unguentis pretiosis: Miser eram, sicuti miser est omnis animus vinculus amicitia rerum mortalium. Tunc *Augustinus* nihil sapiebat divini, quia totus sapiebat terrena atque carnalia, sapor enim ille excluderat omnem saporem divinum.

Donec tandem per misericordiam Dei, & illuminatus à Deo, incepit paulatim sapere cælestia: audite quid tunc dicat: Tu autem Domine, inquit, bonus & misericors respexisti profunditatem mortis meæ, & à fundo cordis mei exhaustisti abyssum corruptionis, & fecisti ut subderem cervicem leni jugo tuo, & humeros levi sarcinæ tuæ, *Christe Iesu*, adjutor meus, & Redemptor meus. O quam suave tunc mihi subito factum est, carere suavitatibus nugarum; nam quas amittere prius metus erat, jam dimittere gaudium erat: Ejiciebas enim eas à me, vera tu, & summa suavitas, ejiciebas, & intrabas pro eis omni voluptate dulcior. Jam liber erat animus meus à curis mordacibus ambiendi, & acquirendi, & volutandi in libidinibus.

Vides? ubi *Augustinus* incepit sapere Deum, mox illi omnia terrena atque carnalia desipuerunt & nauseam movère, jam enim amara omnia erant, quæ prius dulcia videbantur. Tunc exclamavit: Domine, amo te, percussisti cor meum verbo tuo, & amavi te. Sero te amavi pulchritudo tam antiqua, & tam nova, sero te amavi. Vocasti, & clamasti, & rupisti surditatem meam: Coruscasti, splendisti, & fugasti cæcitatem meam: Gustavi te, & omnes meæ deliciae jam sunt in te.

Quam bene ergo clamat *David Psal. 33*: *Gustate quam suavis sit Dominus*, & nihil amplius tibi sapiet nisi ipse, & sicut *Moyse* omnis ipsius eloquentia videbatur tarditas linguæ postquam locutus erat cum Deo, sic omnia quæ extra Deum sunt nugæ apparebunt, si semel gustaveris Deum.

Concludo 2. ex verbis *Moyse* loquentis ad Deum, ac dicentis, *non sum eloquens, tardioris linguæ sum*, quod Sancti magis infirmitatem suam cognoscant, ac defectus, adeoque indignos se omni bono, existimant. Eo enim magis cognoscunt defectus suos, quo sunt sanctiores, hinc fit quod omnes Sancti humiles sint, & eo humiliores quo sanctiores. Justus se peccatorem æstimat, & hoc signum

num iustitiæ: peccator vero, qui totus ambulat in tenebris, non videt se esse peccatorem, & hoc signum iniquitatis est: Unde inquit Scriptura: *Iustus in principio Sermonis accusator est sui, os autem impiorum ebullit stultitiam.*

Respondit Deus Moysi: *Quis fecit os hominis? nonne ego? noli timere, ego dabo tibi eloquentiam.*

Idem contigit *Ieremie* prophetæ, cum enim Deus illum mittere vellet ad gentes, excusabat se dicens: *Domine Deus, nescio loqui quia puer ego sum,* dicebat illi Deus: *Dabo verba mea in ore tuo:* Similiter dicebat *Christus* Apostolis *Math. cap. 10:* *Quando steteritis ante Reges & præsides, nolite cogitare, quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini, non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.*

Pergit tamen *Moyſes* se excusare, & ait: *Obsecro, Domine, mitte quem missurus es, hoc est, mitte aliquem alium, ego enim plane ineptus sum ad hoc munus.*

Tunc iratus Dominus in *Moyſen*, inquit Scriptura, ait: *Aaron frater tuus Levites, scio quod eloquens sit, ipse pro te loquetur ad populum, & erit os tuum. Ipse egredietur in occursum tuum, vidensque te, letabitur corde. Virgam hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa.*

Hoc dicto, abiit *Moyſes* in *Madian* ad *Iethro* socerum suum, dixitque ei: *Vadam & revertar ad fratres meos in Ægyptum, ut videam si adhuc vivant: Cui ait Iethro: Vade in pace.* Cumque jam esset in itinere, dixit Deus ad *Aaronem*: *Vade in occursum Moysi in desertum, occurritque illi Aaron circa montem Sinai, & osculatus est eum: Et narravit illi Moyses omnia quæ sibi dixerat Deus de rubo ardente, & miracula quæ facta erant. Tunc simul pergentes venerunt in Ægyptum, & congregaverunt cunctos seniores filiorum Israel, narravitque Aaron etiam illis, omnia quæ contigerant Moysi juxta rubum ardentem, & credidit populus, inquit Scriptura, audieruntque quod Dominus vistrasset filios Israel, & quod respexisset afflictionem illorum, & proni adoraverunt.*

## DISCVRSVS IX.

*Moyfes & Aaron accedunt ad Regem Ægypti, sed non vult illos audire.*

**M**Ox ubi *Moyfes & Aaron* egerant cum filiis *Israel*, & hi ipforum adventum sibi gratum esse ostenderant, ingressi sunt, inquit Scriptura, ad *Pharaonem*, & dixerunt: *Hec dicit Dominus Deus Israel: Dimitte populum meum ut sacrificet mihi in deserto.*

*At ille respondit: Quis est Dominus ut audiam vocem ejus, & dimittam Israel? nescio Dominum, & Israel non dimittam.*

Video hic *Moysem & Aaronem*, ingredientes ad *Pharaonem*, hominem crudelissimum, ac Tyrannum, sed non video arma; *Aaron* totus inermis erat, *Moyfes* nihil aliud habebat nisi simplicem virgam in manu, & vadunt soli, ac incomitati: Egerant cum filiis *Israel* qui tam enormiter erant multiplicati, ut pænè innumerabiles viderentur. Quare *Moyfes* illorum animos non excitarat ut arma corripent, & se sequerentur ad aulam, vi excussuri servitutis durissimæ jugum, & Regem terrore coacturi ut illos restitueret libertati? quare? quia non est hic spiritus Dei excitare tumultus ac rebelliones contra Reges, Principes, aut Magistratus, sed spiritus ille hæreticorum est, ut præterito præsertim sæculo patuit, in *Luthero & Calvino*, quorum primus totam pænè *Germaniam* seditionibus rusticorum turbavit, bellique flammis accendit, innocentumque sanguine fædavit; alter magnam *Gallia* partem. *Moyfes & Aaron* missi erant à Deo, non poterant ergo aliter nisi pacificè agere, quia Deus est Deus pacis: Cum autem diabolus sit Pater omnium discordiarum ac factionum, non poterant *Lutherus & Calvinus* aliud quam tumultus excitare, & arma corripere contra Magistratus & Reges, ut pateret toti mundo, illos non à Deo, sed à malo spiritu missos. Spiritus vero Dei est omnes factiones ac tumultus contra legitimos Magistratus sopire. Hoc est quod *Isaias* ait cap. 52: *Quam pulchri sunt pedes annuntiantis & prædicantis pacem.*

Veniunt ergo ad *Pharaonem*, & ajunt: *Hec dicit Dominus Deus Israel: ordiuntur sermonem suum à Deo. & ante omnia nomen illius Regi proponunt, Dominus Deus Israel*, idque cum gravitate ac pondere,



dere, ut impius videat etiam se Dominum habere supra se. Maxima enim causa, quod homines tam temere peccent, est, quia non cognoscunt se habere Dominum in cælis, nec credunt Deum vindicem esse malorum. Hoc est quod ait *Oseas cap. 4*: *Non est, inquit, scientia Dei in terra, ideo maledictum, mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundaverunt. Et Isaias cap. 5*: *Ideo captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam.*

Igitur *Moyfes & Aaron* tria de Deo Regi *Pharaoni* ponunt ob oculos. 1. Quod Dominus sit. 2. Quod Deus sit. 3. Quod curam gerat filiorum *Israel*: Hæc tria sufficere poterant ad Regem movendum, nisi jam animum obfirmasset in malo. Qui enim hæc tria credit, non habet opus multa admonitione. Qui credit se Dominum habere in cælis, semper timebit illum offendere. Qui credit Deum esse, à quo omnia bona accepit, amabit illum, & ei obediens erit. Qui credit Deum gerere curam suorum, cavebit proximum suum offendere aut persequi, ne Deo resistat.

Sed quid ad hæc *Pharao*? *Quis*, inquit, *est Dominus ut audiam vocem ejus? nescio Dominum.* Quid ais, homo impie? nescis Dominum? attolle oculos in altum, & dic mihi, quis est qui immensum illud firmamentum tot millibus stellarum ornatum, expandit, & suspendit supra caput nostrum? Quis solem admirabile illud lumen in medio posuit, & fecit ut quotidie sine ullo errore oriretur ad faciendum diem quo homines operarentur, & occumberet ad faciendam noctem qua homines ab opere quiescerent? quis ille fuit qui Lunam sic fecit, ut singulis mensibus mutaretur, & mutatione sua, jam frigus, jam calorem, modo humiditatem, modo siccitatem, modo ventos, modo pluvias, nives, grandinemque produceret? Quis cursum cælorum ac planetarum sic ordinavit ut esset, inquit *Iob*, sicut, musicalis harmonia? quis aërem interjecit inter firmamentum & terram, ut ex una parte serviret ad defendendas influentias Planetarum quibus terra fecundaretur? ex alia parte serviret hominibus ad respirandum atque vivendum.

Huc respexit *David* cum diceret: *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera ejus annuntiat firmamentum.* Et tu dicis: *Nescio Dominum? quis est iste Dominus? si nescis? respice terram: Quis illam suspendit in medio aëris sine ullo fundamento, & nulli rei innixam? quis posuit mensuras ejus? quis illam tot frugibus, tot arboribus, tot herbis, tot floribus convestivit? quis conclusit ostiis mare, & posuit*

illi terminos suos, dicens: *Huc usque venies, & non procedes amplius, hic constringes tumentes fluctus tuos?* Ex his cognovit Iob Deum, & tu dicis: *Non novi Deum?* si non nosti: Conjice oculos tuos in te ipsum: Ubi eras quando hæc omnia primum prodibant? nullibi. Quis ergo te produxit? quis tibi dedit intelligentiam?

Denique intra tuam ipsius conscientiam, si ullam habes, & inrenies illam clamantem, est Deus, hoc enim ipsa tibi impressit natura, cum hac lege, tu, & singuli homines nati sunt, quid ergo petis: *Quis est Dominus?* quid dicis: *Nescio Dominum?* cum omnia quæcumque vides in mundo te convincant esse Deum qui hæc omnia fecit, & Dominum qui hæc omnia regit? bene habet, jam illum non nosti, quia potius bestia es quam homo, paulo post eum agnosces quando experieris ejus potentiam & flagella,

Sed quid erat quod ab hoc impio Rege postulabant *Moyse* & *Aaron*? ut dimitteret filios *Israël*: *Non dimittam*, inquit, *Israël*. Quid ergo facies? Ego illos durius tractabo, & majori servituti subiciam quam ante.

Vocavit, inquit Scriptura, præfectos operum, & dixit: *Nequaquam ultra dabit is paleas populo ad conficiendos lateres sicut prius, sed ipsi vadant, & colligant stipulas; & mensuram laterum, quam prius faciebant imponetis super eos, nec minuetis quidquam: Opprimantur operibus.*

Crudele præceptum! cum enim, ut supra diximus, *Israëlitæ* congerentur conficere lateres ad ædificandas duas civitates, prius ab aliis stipulæ illis adferbantur quas immiscerent lateribus, sicuti apud nos argilla miscetur. Jam vero coguntur ipsimet undequaque illas magno cum labore, ac defatigatione quærere, & tamen quotidie non minori numero, quam prius, conficere lateres, & post omnia adhuc flagellis excipiebantur.

Quæ ratio cur *Pharao* tam crudeliter ageret cum miseris *Israëlitæ*? dicunt, inquit, *camus, & sacrificemus Deo nostro.*

Quis hoc ferat? cultum divinum, ac pietatem, causam esse persecutionis? quoties hoc tamen videmus? adeo ut *Paulus* dicat *2. Timoth. cap. 3: Omnes qui pie volunt vivere in Christo Iesu, persecutionem patientur.*

*Virtus patitur persecutiones.*

Vultis hoc videre? repetamus rem altius ab antiquis temporibus. Venerat *Anna Samuelis Mater* ad Tabernaculum oratura: Si non orasset, forte temperans haberetur; cum orat, ebria dicitur: Dicit enim illi *Heli Sacerdos: Usquequo ebria eris? Filii hujus Sacer-*

L I dotis

dotis vivebant in adulterio, & vix illos semel carpebat, & hanc matronam piè orantem arguit ebrietatis: Et quod pessimum est, non erat vilis aliquis homo qui hoc faciebat, sed summus Sacerdos, & hoc quidem in Templo. Vides? injuriis exponitur Anna quod oret.

2. Exarsit Cain in Abel, non quod hic in dies ditior fieret, ejusque greges ovium multiplicarentur, sed quod majori cum pietate quam ipse, Deo sacrificium obtulisset: Ergo non fuisset Abel occisus, si non sacrificasset. Quo enim puriorem agnum obtulit Deo, quo faviozem lupo fratrem in se concitavit.

3. Quare Daniel missus fuit in lacum Leonum? audiamus Scripturam Daniel: Cap. 6: Daniel, inquit, tribus temporibus per diem orabat: Tunc Rex precepit, & miserunt eum in lacum Leonum. Prædixit Regi Baltassari illum ab hostibus capiendum, & torque aureo ornatus fuit ac purpurâ. Orat vultu verso ad Jerusalem, ut saltem longe oculis Templum salutet, & Leonibus objicitur. Adeo vel Templum eminus respexisse Danieli fatale erat etiam in Babilone.

4. Ecquando irrisus fuit David à Michol uxore sua? quando cythara, hymnis, ac saltu, arcam Domini honorabat. Saul Davidem expaverat etiam fugientem, Michol illum irridet Deo fervientem. Usque adeo qui Gigantem prostraverat, ludibrio erat vel famina dum se ante arcam prosternit Deum adoraturus. Quam gloriosè inquebat Michol, fuit hodie Rex Israël! nudatus est quasi nudetur unquam scurrus. En, pro scurra habetur dum divino cultui vacat. Linea veste sacra erat David indutus, & tamen Micholi visus est esse nudus.

Sic ministranti Domino, etiam decora vertuntur in probrum. Michol, inquit Scriptura præterea, filia Saul vidit Regem David saltantem atque saltantem coram Domino, & despexit eum. Non quod saltasset, sed quod saltasset coram Domino, & ante Arcam, irrisus est ab uxore. David se absconderat præ metu Saulis, nec tamen Michol eum despexerat; receperat se in speluncas ut fugeret, nec tantum Michol illum irriserat. David se coram Rege Achis simulaverat stultum, & criminationes Principum ei objectas elusit, non ideo tamen illum averfata est Michol: Et ecce cum sacra veste cooperata arcam tripudio cohonestat, illum scurrus exæquat. Tantum est non quid agas, dummodo quod agis, pro Deo non sit, atque de eo nihil probrosius cultu divino, nihil Templo vilius, quando et

iam in regibus ita displicet, ut fannis ac persecutionibus expositus sit.

Nescio an hoc aliunde clarius pateat quam ex eo quod modo in *Aegypto* contigisse narravimus: Opprimuntur labore ac servitute intolerabili *Israëlitæ* à *Pharaone*: Quid ita? numquid arma corripuerant, & rebellarant contra Regem? numquid *Aegyptiorum* domos forsitan spoliarent? numquid urbes cæde repleverant? Sed qui poterant cum armis & libertate exuti, nihil aliud spectabant quam compedes? Quo ergo scelere obnoxii facti sunt jugo tam gravi? quia Deo servire & sacrificare volebant. Ecce dum parant agnos offerre Deo, incidunt in Leones & Lupos qui illos dilacerent. Juggularat *Aegyptium Moyses*, non lego *Pharaonem* iratum fuisse, rogat *Moses* ut sibi liceat sacrificare, & mox *Pharao* in furias agitur: Ergo ubi homicidæ in *Aegypto* tolerantur, volentes Deo servire damnantur ad lateres.

Igitur verissimum est quod ait *Paulus*: *Omnes qui piè volunt vivere in Christo Iesu, persecutionem patientur.* Tot exempla allata rem ipsam demonstrant. Et quis non videt etiam ad usque tempora nostra absurditatem hanc, dicam an impietatem durasse. Fateor sæpe non esse opportunum ut quis inter sermones familiares, misceat aliquid quod divinum est, vel agat de concionibus quas audivit, vel de Historiis sacris quas legit; verum si quis hoc faciat numquid risui aliorum exponitur? vel infania reputatur, in confortiis vel conviviis agere de Deo? Numquid si juvenis aliqua domicella, dum sorores abeunt ad delicias suas, & per plateas rheda discurrunt, se ad Templum recipit, vel verbum Dei auditura, vel oratura, multis oblocutionibus se exponit, etiam aliquando parentum, qui illam ad pietatem excitare deberent? Et quantas difficultates ac persecutiones patiuntur sæpenumero liberi à parentibus dum cogitant se in Sacrificium offerre Deo, & spiritualem vitam amplecti, quos summis laudibus efferrent si vellent se totos immergere mundo, ejusque vanitatibus etiam aliquando non licitis? hoc scio quod Deus corpus nolit præponi animæ, & quod *Paulus*, cum dicit: *Omnes qui piè volunt vivere in Christo, persecutionem patientur*, hoc reputet pro enormi injuria Deo illatâ.

Interea cum *Israëlitæ* intellexissent jugum suum ita gravandum, miseriaque in duplum augendas, murmurarunt contra *Mossem* & *Aaronem*, dixeruntque: *Fatere fecistis fetorem nostrum coram Pharaone*

& servis ejus, praeiustis ei gladium ut occideret nos.

Reversusque est, inquit Scriptura, Moyses ad Dominum, & ait: Domine, cur afflixisti populum istum? quare misisti me? Ex eo enim quo ingressus sum ad Pharaonem ut loquerer in nomine tuo, afflixit populum tuum, & non liberaisti eos.

Hic video quod, etiam sanctissimi Viri, aliquando flaccescant. Moyses, quanto fervore, ac animi magnitudine intraverat ad Pharaonem, dicens: Dimitte populum meum, & ni faceret, minatur illi pestem & gladium, & ecce jam tædet illum quod venerit in Ægyptum, & dicit Deo: Quare me misisti? solus Moyses non fuit talis, sed etiam Elias, & Iob, & David, & alii plures.

sancti etiam desistant.

Quid poterat animosius inveniri quam Elias? occurrebat Regi Achab, & ille ait: Tunc es ille qui conturbas Israel? respondit Elias: Non ego turbavi Israel, sed tu, & domus Patris tui, qui dereliquisti mandata Domini, & secuti estis Baalim. Age, congrega omnes Sacerdotes Baal idoli tui, & videamus an meus Deus quem ego colo, sit verus Deus, an vestrum idolum: Congregantur Sacerdotes, Elias facit Miraculum ingens coram omni populo, Sacerdotes vero Baal nullum poterant facere. Tunc dixit Elias: Apprehendite Prophetas Baal, quos cum apprehendissent, inquit Scriptura, duxit illos Elias ad torrentem Cison, & interfecit eos ibi. Quis tantam fortitudinem huius viri non admiretur? Sed paulo post incipit Iezabel furere, illumque persequi, & ecce idem ille Elias prius tam fervens, tam animosus, tam fortis, ita elanguit, ut cum fugisset in solitudinem, ibi se projecit subter unam Juniperum, & præ tædio Deum rogarit ut moreretur, dicens: Sufficit mihi, Domine, tolle animam meam.

Quid dicam de Iona? venit Deus ad illum, & dicit: Surge, & vade in Niniven, & prædica in ea. Iona, factâ quidem prius difficultate, rectâ tamen vadit ad urbem. Iona, quo vadis? tu ne audebis solus isthuc comparere? homo ignotus, inter tot centena millia civiû, & idololatrarum, in quibus nullus est timor Dei qui illos compescat? Non curô, inquit Iona, ego illuc pergo, nec quidquam timeo. Et introit, inquit Scriptura, in civitatem, & clamavit: Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur. Ingens animi fortitudo, sed videte modo huius viri pusillanimitatem, cum videret Niniven non plecti à Deo, sicut ipse fore prædixerat, ita fervor ille primus elanguit, ut diceret: Domine, tolle quæso animam meam à me, quia melior est mihi mors, quam vita.

Quam

Quam animosus primum fuerit *Iob*, patet ex illius *Capite primo*. Toties audivistis narrari jacturam omnium bonorum illius. 1. Boum & Asinarum quas omnes simul abstulerunt *Sabei*. 2. Omnium ovium quas tetigit fulgur de caelo. 3. Omnium Camelorum quos avexere *Chaldaei*. 4. Omnium filiorum & filiarum quos unius domus ruina oppressit: Et hæc omnia uno eodemque die. Sed inter hæc omnia tam forti fuit animo *Iob*, ut nec minimum perturbatus, nihil aliud dixerit, quam: *Dominus dedit, Dominus abstulit*. Sed postea video illum tam languidum animo, ut clamet: *Tedet animam meam vitam meam*: Et iterum: *Pereat dies in qua natus sum, & nox in qua dictum est: Conceptus est homo*.

Stupeo *Davidem* primo clamantem *Psal. 26: Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum*: Et *Psal. 2. Non timebo millia populi circumdantis me*. Nec minus stupeo quando audio illum clamantem *Psal. 37. Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea*.

Quid est quod Deus in tam Sanctis viris hæc ita permiserit? ut hinc disceremus non omnia esse perdita, nec desperata, si interdum in aliquem languorem animi, incidimus, si tam ferventes non sumus in orationibus uti solemus, si non tam devoti in communione, si non ita sapiat lectio spiritualis, vel conciones: Permittit hoc Deus maxime in Sanctis. 1. Ut agnoscant infirmitatem suam. 2. Ut se humilient, & non superbiant in virtutibus suis. 3. Ut exerceat Deus patientiam illorum. 4. Ut tanto fortius resumant vires suas quo magis illa, aliquo tempore, defecere. Plane sicuti globus tormento explosus, dum jam in lapsu est, & videtur languescere, iterum suas vires resumit, dum quidpiam ei resistit.

Jam videamus quid Deus responderit *Moyse*, cum ad eum confugisset ut quereretur de afflictione filiorum *Israël*, ac diceret: *Quare me misisti in Aegyptum?*

Respondit Deus: *Vade, & dic filiis Israël: Ego Dominus, qui eduxi vos de ergastulo Aegyptiorum, & eruam de servitute, ac redimam in brachio excelso, & judicis magnis, assumam vos mihi in populum, & ero vester Deus*.

Communis interpretum opinio est hic Deum significasse modum non tantum quo liberaturus erat *Israëlitas* per *Moysem*, sed etiam quo *Christus* ejus filius liberaturus erat totum genus humanum de potestate diaboli, ac servitute peccati: Liberatio enim filiorum *Israël*, vera fuit illius figura, ideoque omnia quæ hic dicuntur de

liberatione *Israclitarum*, quadrat iis quæ facta sunt in passione *Christi*, nisi quod hæc longe majora fuere, quia veritas major est quam ipsa figura, sicuti corpus aliquid majus est quam umbra.

Primò ergo dicit Deus *Moyse*: *Redimam vos in judiciis magnis*: Majoribus judiciis nos *Christus* redemit. Ostendit hoc ipse met *Joan. cap. 12*. Cum enim *Ierosolymam* iret ad passionem suam: *Nunc*, inquit, *judicium est mundi*, *nunc princeps hujus mundi ejicitur foras*, & *ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum*.

Quis est iste princeps hujus mundi? diabolus; dicit enim *Iob cap. 41*, quod ipse sit *rex super omnes filios superbia*: Princeps ille ejectus fuit à *Christo*, & perdidit regnum suum, quando per *Christi* passionem fides plantata est in cordibus nostris: Tunc *Christus* omnia traxit ad seipsum, quando corda hominum, qui prius erant sub servitute diaboli, fidem susceperunt.

Ex illo tempore diabolus, qui toti dominatus fuerat mundo, timere homines cœpit, illorumque subjeci potestati. Quoties enim ab illis ejectus est è corporibus obsessis? quoties solo *D. Antonii* nomine audito, effugit? Majora hæc fuere judicia quibus *Christus* diabolum judicavit, ut nos redimeret, quam Judicia quibus liberavit filios *Israel* de potestate *Pharaonis*.

Præterea quod majus judicium, quam videre Deum incarnatum pendentem in cruce? quam videre patrem cælestem non parere unigenito filio suo propter nos? quam innocentem filium castigare pro servis maximis peccatoribus? quam Deum propter peccata hominum, conspui, alapis cædi, flagellari, coronari, crucifigi, denique occidi? Merito ergo clamat *David Psal. 35. Iudicia Dei abyssus multa*, sed nullibi majora, nec profundiora, quam in redemptione generis humani.

2 Dicit Deus ad *Moysem*: *Redimam vos in brachio excelsa*, hoc est, in magna fortitudine, in brachiis enim nostris potissimum fortitudo consistit: Brachio hostem aggredimur ut nos defendamus: Quo altius brachium levamus ut percutiamus eo ictus est fortior. Quanta fortitudine in passione sua usus sit *Christus*, ut hostes nostros superaret, nosque ab illis liberaret, jam vidimus: Quanta usus sit ut se contra illos defenderet, hinc patet, quod in omnibus quæ passus est, summam semper retinuerit patientiam: Putaverant hostes illum per crudelissima tormenta concitare ad impatientiam, summa fortitudine se *Christus* contra illos defendit: Quamvis enim

nim maximos dolores pateretur in corpore, semper mansit confians in animo qui numquam defecit: Redemit ergo nos in brachio excelso, seu forti.

Sicuti ergo Deus in iudiciis magnis, & brachio forti, per Moysen liberavit filios Israel à servitute Pharaonis, sic liberavit per Christum, totum genus humanum à servitute diaboli.

3 Dicebat Deus ad Moysen: Iterum dico tibi, noli Pharaonem timere: Ego enim constitui te Deum Pharaonis. Quasi diceret: Quid times regem? quis fortior est? rex an Deus?

Sit ille magnus & fortis, tu fortior eris, quia constitui te Deum illius: Nihil ergo tibi nocere poterit, ipse maiorem rationem habet ut timeat, quia tu eris illi ut Deus.

Sed audiamus quid super hoc textu dixerit *Oleaster*: Expende, inquit, quanta sit dignitas Sancti Moysis, quem Deus sic evexit ut Deum Pharaonis constituerit; & similiter quanta sit Moysis prudentia, ac misericordia, ut magna patientia, sicut Deus, Pharaonem tulerit ac monuerit: Quis enim habens Dei potestatem, hominem tam crudelem ferret? sed Deus simul cum potestate dedit Sancto viro longanimitatem qua regem æquo animo ferret.

Pulchra reflexio? Moyses debebat degere inter peccatores, & illos benigne tractare, & Deus fieri; quos videbat tam enormiter peccare, & sibi injurios esse, toto tamen cordis affectu diligebat. peccatores benigne tractandi.

Hæc ita esse intelliges, si consideres quid Deus fecerit cum *Elia*: Rapuit illum ex hoc mundo, & vexit in paradysum, ut illic degeret extra homines. Quare hoc? rationem nobis dabit *Basilii Seleuciensis Orat. 11*. Qui sic facit Deum ad *Eliam* loquentem: *Elia*, tibi peccatores cernere grave spectaculum, mihi vero, qui Deus sum, volupe est peccatores juvare. Tu ergo subi diversorium à peccato liberum, & carne vestitus cum angelis conversare: Ego vero ad homines per incarnationem veniam, ego in salutem eorum curram.

Hoc paulo fufius & clarius exponet *Chrysostomus Serm. 1. de Elia*: Deus, inquit, videns pertinacem *Elie* animum, & à misericordia abhorrentem, segregat ipsum à peccatoribus: Ego, dicit, scio zelum tuum, grata mihi est anima tua: Verum ego peccatoribus misericors sum, tu vero valde severus es: Quapropter quia peccatores ob nimiam severitatem ferre non vales, ascende per aëra

in



in alium locum ubi non peccatur. Nam si diutius maneres in terris, propediem genus humanum, quod à te continuo plectitur, periret: Exi ergo è mundo, non potest arundo simul stare cum igne: Faciam te habitare posthac inter angelorum choros qui impeccabiles sunt: Ego autem cum peccatoribus conversabor, qui in humeris ovem erraticam bajulare possum. Qui clamo peccatoribus omnibus: *Venite ad me omnes qui laboratis*, ego non puniam vos, sed requiescere vos faciam, Ita *Chrysostomus*.

Idcirco etiam dicebat *Christus Luca cap. 9*, suis Apostolis *Jacobo & Ioanni*, qui volebant ut ignis de cælo descenderet, ac *Samaritanus* feriret, quia volebant *Christum* in suam urbem recipere: *Nescitis*, inquit *Christus*, *cujus spiritus estis, filius hominis non venit animas perdere, sed salvare.*

Manifestum ergo signum divinitatis est benigne agere cum peccatoribus, & non tam severe sicut *Elias*, quem Deus, ut ajunt *Chrysostomus & Basilius supra*, propterea rapuit è mundo ne peccatores in desperationem adigeret.

Optandum foret ut multi hodieque raperentur è mundo qui peccatores tanta crudelitate excipiunt, ut propter unum relapsum non tantum in peccatum mortale, sed interdum etiam veniale, absque absolutione dimittunt, & pœnitentias imponunt quas ipsi mettolerare non possent.

Dimittunt, & sinunt abire, & non curant quo abeant. Longius illi distant à Deo, & *Christo*, quam cælum distat à terra.

À Deo quidem: Videte hoc ex libro *Exodi cap. 17*. Murmurabant filii *Israel* contra *Moysem & Aaron*, quia non habebant aquam ut sitim levarent in deserto: omnes rei erant seditionis in Deum, & tamen Deus illo ipso loco ubi peccaverant, illis aquam præbuit ex petra.

Multum erat inter ipsas seditiones illis aquam præbere, ut illo loco quo peccaverant, biberent ipsi, & uxores eorum, & filii, & jumenta: Sed hoc maxime mirum quod non solum ibi, sed etiam postea illos aqua ista consequeretur toto itinere solitudinis, etiam ibi, ubi idolum aurei vituli erexerant ad adorandū, quasi illa ipsa scelera quæ debebant amoris divini flammam extinguere, Dei amoré magis accenderent: Illos seditiosos, & murmuratores, inquit *Ambrosius, in Psal. 36*, non deserebat Deus, sed continuo sequebatur: Vides quam longe distent, à Deo, qui peccatores dimittunt, & sinunt abire,

abire, quasi esset desperatum de illis? & hoc interdum propter unum peccatum? ubi Deus filios *Israel* assidue sequebatur qui tam saepe, & tam enormiter peccabant etiam peccato idololatriæ, quod sua enormitate superat omnia reliqua scelera.

Audite aliud exemplum benignitatis divinæ erga peccatores. *Juda* tempore *Osee* Prophetæ plena erat fornicationibus & adulteriis, & ut ait *Oseas cap. 1.* sequebatur amatores suos: Quid fecit Deus? ego efficiam, inquit, ut eos non inveniatur: Quid facies, Domine? *Ego sepiam viam ejus spinis, & sepiam eam maceria, & semitas suas non inveniet: Tunc dicet: Revertar ad virum meum priorem.* Non ait: Illi currunt post viros & conjuges aliorum, & sequuntur illos, ego retraham manum ab illis, & dimittam, & sinam illos abire, hoc non, sed ego sequar illos, non ut severe agam cum illis, sed ut benignè excipiam revertentes ad me.

Quantum illi severi homines distant à Deo, tantum etiam distant à *Christo*. Vis hoc videre!

Audi quid dicat *Christus Luca Cap. 15.* ubi se comparat bono pastoris, qui relictis 199 ovibus in deserto, vadit per saltus, & silvas, & montes, & valles ut unam ovem perditam quærat, inventamque imponit in humeros suos gaudens, ut illam ad ovile reportet. Audis hoc? non abigit à se, sicut multi jam abigunt à se miseros peccatores errantes: Non percutit baculo, sicut multi hodieque peccatores percutiunt asperrimis verbis: Sed imponit illam in humeros, & imponit gaudens; gaudet, inquit *Tertullianus, Lib. de Pœnit. cap. 8.* ipsa fatigatione, ovium inventionem ratur lassitudinis levamentum, interea dum multi tam molesti sunt peccatoribus, ut afflictionem addant afflictioni.

Quid amplius dicam? Sicuti Deus constituit *Moysem* Deum *Pharaonis* ut crudelitatem illius æquo animo ferret, ut *Oleaster* ait, sic constituit Sacerdotes Deos peccatorum, ut illos, sicut facit Deus, benigne excipiant.

Denique dicebat Deus ad *Moysem: Ego indurabo cor Pharaonis.* Magna hic quæstio est, an Deus ipse per se induraverit *Pharaonem*: *Calvinus hoc loco*, docet quod sic: Omnes passim Patres & interpretes Catholici docent quod non.

Doctrina *Calvini* execranda blasphemia est, & omnibus seculis inaudita. Patet clarissimè ex ipsa Scriptura, scilicet quod *Pharao* non à Deo, sed à seipso, propriaque malitia fuerit obduratus.

1 Deus *Pharaonem* sibi reluctantem gravissimè punivit, atqui Deus, inquit *D. Fulgentius, Lib. 1. ad Monimum. cap. 3.*, non est auctor eorum, quorum est ultor, & Deus *Pharaonis* obdurationem punivit, ergo Deus non fuit auctor istius obdurationis.

2 Dicit Scriptura quod ipse met *Pharao* seipsum obduraverit, & non Deus: Sic enim ait: *Pharao ingravit cor suum.* Rursum, ut habetur in textu *Hebraico: Ipse cor suum ingravit.*

3 Ipse met non fuit tam impius ut obdurationem suam adscriberet Deo, sed sibi eam tribuit, dicens *Exodi cap. 10. Ego peccavi in Dominum: Quo peccato? obdurationis, quia toties obstinate resisti Deo.*

4 Deus mittens *Moysem* ad *Pharaonem*, decies præcepit *Moyse* ut illi diceret, se velle ut dimitteret filios *Israël*: Non voluit ergo illum obdurare ut illos retineret. Velle autem ut *Pharao* illos dimitteret, & hoc toties præcipere, & nolle ut dimittat, & propterea illum obdurare, inter se directè repugnant, hoc nullo modo potest cadere in Deum: Ergo non fuit Deus qui per se *Pharaonem* obduravit, sed ipse met *Pharao* suâ malitiâ hoc fecit.

Dicit quidem *Calvinus* quod Deus obduraverit *Pharaonem* ut haberet occasionem illum flagellandi tot plagis, & sic potentiam suam ostenderet. Sed contrarium est verum: Sicuti enim pater qui filium cædit, si hic obstinatio fiat per hoc, pater non est causa istius obdurationis, sed filius, sic quando *Pharao* per flagella obstinatio factus est, Deus non erat illius causa, sed *Pharao*. Quod si Deus causa fuisset, non poterat justè *Pharaonem* flagellare, tunc enim punivisset cujus ipse erat causa, ergo debebat Deus potius se ipsum punire quam *Pharaonem*.

Præterea omnis obduratio in malo, peccatum est, atqui Deus, qui infinita bonitas est, non potest esse causa peccati: Ergo Deus non potuit per se obdurationem causare in *Pharaone*.

Petes ergo quo modo dicitur Deus *Pharaonem* obdurasse? Respondeo, permissivè; vel subtrahendo illi gratiam suam, quæ cor ipsius potuisset mollire: Sicut sol indurat lutum, non positivè efficiendo duritiem, sed extrahendo humorem qui lutum molle faciebat. Hoc est quod *Augustinus* ait: Deus indurat cor non apponendo gratiam, sed non impellendo ad malitiam; Non quod omnem gratiam tollat, relinquit enim etiam obduratis aliquam gratiam, qua subinde eos movet & pulsât, alioquin essent desperare

ratæ salutis, & quasi jam nunc in hac vita damnati; sed illa gratia modica est & parva: Et hoc Deus justè facit in punitionem præteritorum peccatorum quibus tot gratias sibi oblatas ac datas rejecerunt.

Hoc magis patebit, si ostendamus quid sit durities cordis, & qui illius effectus, ac proprietates.

Audiamus quomodo *Bernardus* hoc nobis describat *Lib. 1 de con-* *Peccatores*  
*obdurati.*  
*sideratione.* Cor durum est, inquit, quod nec compunctione scinditur, nec pietate molitur, nec movetur precibus, nec cedit mnis, sed per flagella duratur magis. Cor durum est ingratum ad beneficia, ad consilia infidum, ad judicia sævum, in verecundum ad turpia, impavidum ad pericula, temerarium ad divina: Præteritorum obliviscens, præsentium negligens, futurorum improvidum: Ut verbo dicam: Cor Durum est quod nec Deum timet, nec homines.

Proprietates autem duri cordis sunt hæc: 1. Indurati nolunt intelligere ut bene agant, oculos & aures claudunt salutaribus monitis, nec volunt audire ea quæ virtutis sunt ac salutis. Qui, ut ait *Iob cap. 21*, dicunt Deo: *Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus*, talis erat *Pharao*, dicebat enim: *Quis est Dominus ut audiam vocem ejus? nescio Dominum.* Tales vicissim relinquit, projicit, & despicit Deus, ut ait *Prov. cap. 1.* *Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis: Ego quoque in interitum vestro ridebo & subsannabo.*

2. Indurati, inquit *Salomon*, *Prov. cap. 2*, *letantur cum male fecerint, & exultant in rebus pessimis: Et cap. 12.* *Quasi per risum stultus operatur scelus.*

3. Tales sunt pœne incorrigibiles, sic enim dicitur *Sap. cap. 12.* *Nequam est natio eorum, & naturalis malitia ipsorum, & non poterit mutari cogitatio eorum.*

4. Tales percussi à Deo nihil sentiunt, juxta illud *Ieremie cap. 5.* *Domine, percussisti eos, & non doluerunt: Non sentiunt etiam tremoribus conscientiæ, quia eam quasi exstinxerunt.*

5. *Paulus*, *Rom. 1 & 2* illos vocat filios perditionis, vasa apta in interitum, qui desperantes se tradiderunt in omnem operationem immunditiæ.

Denique isti peccatis peccata cumulant, & indies in pejora labuntur, de quibus sic ait *Seneca in Prov.* Tunc est consummata infirmitas.

infelicitas, ubi turpia non solum delectant, sed etiam placent, & definit esse remedio locus, ubi, quæ fuerant vitia, mores fiunt. Talis in omnibus fuit *Pharao*.

Jam petes, quomodo Deus illos tractet, & erga illos se gerat? Respondeo: In pœnam peccatorum quæ admiserunt. Permittit illos sequi suas cupiditates, & libidines, nec ab illis removet occasiones & tentationes. Sic ait *David Psal. 80. Dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis.*

2. Dat eis Deus affluentiam temporalium, & prosperos successus, quibus abutuntur, & excæcati ruunt in omnia scelera: Sicut *David ait Psal. 72. Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum.*

3. Aufert Deus ab illis tribulationes, quibus alii peccatores castigati se corrigunt, & pœnitentiam agunt: Aut si eos flagellat, minora immittit, & flagellis illis magis obdurantur.

4. Eripit illis bonos monitores, doctores, & angelos Sanctos, juxta illud *Ierem. cap. 51. Curavimus Babylonem, & non est sanata, derelinquamus eam, quoniam pervenit usque ad calum judicium ejus.*

5. Laxat Deus habenas diabolo, ampliorem dans ei facultatem insidiandi, nocendi, qua ille accepta, eos mire exagitat & tentat, objiciendo varia objecta voluptatum, variasque illecebras vitiorum, turbando phantasiam, obscurando intellectum, inflammando pravos affectus, ut sicut equi indomiti currant post cupiditates suas. Pergamus ad ea quæ in Scriptura sequuntur,

## DISCURSUS X:

*Primum miraculum quod Moyses fecit coram Pharaone.*

**M**oyses jam bene animatus à Deo, perrexit cum fratre suo *Aarone* ad *Pharaonem*, & fecit quod Deus illi imperarat, ut tolleretur secum virgam suam in manu, & projiceret illam in terram: Cum ergo ambo starent in conspectu *Pharaonis*, & aulicorum ejus, projecit *Aaron* virgam in terram, & versa est in colubrum. Prius

Prius rogaverant *Pharaonem* ut dimitteret filios *Israël* ad tres dies, ut Deo in solitudine, sacrificarent, sed cum hic abnueret, & peteret signum, factum est illud primum miraculum. Sed *Pharao* parum illo motus, *Vocavit*, inquit *Scriptura*, *sapientes & maleficos, & fecerunt etiam ipsi per incantationes Ægyptiacas, & aræana quadam similiter, proijceruntque singuli virgas suas, quæ versæ sunt in dracones, sed devoravit virga Aaron virgas eorum.*

Merito hic aliquis quæret an illud quod faciebant hi magi opere diaboli, fuerit verum Miraculum: Respondeo quod non: Quia dæmones nullum Miraculum facere possunt. Miraculum enim est quod omnem naturæ vim, omnemque causarum naturalium, & hominum ac Angelorum facultatem superat. Possunt tamen dæmones facere aliqua quæ hominum aliarumque rerum naturalium vim superant, & hæc hominibus mira sunt, sed non vera Miracula.

Dico igitur 1. Pleraque mira quæ facit dæmon, fascinationes tantum sunt oculorum. Potest enim dæmon phantasmam vel oculos ita perstringere ac ludificare, ut videre se putet quod revera non est, hoc primo facit phantasmam ita commovendo, ut sit in somniantibus qui putant se videre quæ non sunt. Mira hujus rei exempla adfert Princeps Medicorum *Galenus* ut de illo qui phantasmam ita habebat turbatam ut ab altero nollet se tangi, quia putabat vitreum se corpus habere, & de illo qui nolebat comedere quia putabat se mortuum.

2. Oculos dæmon potest ludificare, sicut patet in sagis quibus videtur aurum præbere cum non sint nisi folia vel lapilli.

Dico 2. Potest dæmon efficere ut ignis cadat de cælo, sic enim fecit quando oves *Iob* fulmine tetigit: Potest homines facere volare per aëra, sic enim fecit *Simoni* Mago: Potest homines reddere invisibiles, sic enim fecit per anulum quem dedit cuidam *Gygi*: Potest homini quamcumque formam effingere, sic enim facit ut homines lupi videantur, & homines lanient, ut patet in *Lycantropis*: Potest facere ut statuæ moveantur, ambulent, & loquantur, ipse enim eas movet, & per illas loquitur, sic enim fecit per statuem *Apollinis Delphis*: Sic denique fecit ut *Claudia Vestalis Romana*, navim *Tiberi* hærentem zona sua è luto extraheret, & duceret quo vellet, & alia, nomine *C. Tuccia*, aquam *Tiberi* haustam in cribro, deferret ad Capitolium.

His positis, ait Scriptura: *Projecerunt magi Pharaonis singuli virgas suas, quæ versæ sunt in dracones.* Putant aliqui hos non fuisse veros dracones, sed illusionem oculorum, adeoque tantum apparentes fuisse.

Contrarium putat *D. Augustinus* & alii. Si quæris quomodo hos veros dracones producere potuerint Magi?

Respondet *Calvinus*, Deum Magorum virgas in serpentes mutasse: Blasphemia est, dicit enim Scriptura disertè non hoc Deum fecisse, sed Magos per incantationes suas quibus dæmonem invocabant. Deinde si Deus virgas Magorum in serpentes vertisset, sicut verterat virgam *Aaronis*, secum ipse pugnasset, quia tam mendacium Magorum, quam veritatem *Aaronis*, eodem Miraculo confirmasset, quod impossibile est veritati æternæ.

Dico ergo, dæmones aliunde dracones hos attulisse, eosque, virgis subito, & imperceptibiliter subductis, earum loco substituisse, ita ut quicumque hæc videret, magiæ ac fraudis ignarus, putaret virgas Magorum sicut virgam *Aaronis*, in serpentes esse conversos.

Quæres 2, cur Deus permisisset ut Magi hæc mira efficerent? Respondeo 1, ut in hisce Magi superarentur à *Moyse*, & unusquisque videret quod *Moyse* esset victor Magorum, & consequenter verus Dei servus & instrumentum, ideo fecit ut una virga *Aaronis*, versâ in colubrum, devoraret plures virgas seu serpentes Magorum. Hoc est quod ait *Theodoretus*: Mutabant, inquit, Magi virgas in serpentes, sed virga *Moyse* illorum devoravit, sic postea mutabant aquam in sanguinem, sed sanguinem in priorem naturam reducere non poterant; concessit ergo Deus Magis talia facere ut etiam per ipsos castigaret *Egyptios*, & inde colligerent, *Moyse* alia ac majori potestate, nempe divina, Miracula facere, quam Magos, quos sciebant esse Magos, adeoque mira sua efficere arte diaboli.

Nihilominus tamen tantum abest ut *Pharao* aperiret oculos suos, ut è contrario addat Scriptura: *Induratum est cor Pharaonis, & non audivit eos.*

Miraris induratum fuisse cor *Pharaonis*? ego non: Quia habebat Doctores & Magistros impietatis, quibus magis credebat quam *Moyse* & *Aaroni*: Poterat tamen clare videre *Moyse* & *Aaronem*, non ope diaboli, sed Dei operari Miraculum, quando videbat serpentes Magorum devorari à serpente *Aaronis*, sed claudens oculos ad opera Dei, sola Magorum facta miratur.

Hic

Hic videmus quanta pestis sint consiliarii mali, & falsi Doctores, ut illos quos docent clarae veritati faciant repugnare, ac doctrinam divinam rejicere, ut sequantur dæmonis axiomata. Talis Doctor ac consiliarius fuit *Machiavellus*, homo præterito sæculo impius, qui in suo libro docuit Statum politicum præponendum Religioni, hoc est, humana divinis, mundum Deo: Docet enim non adeo curandum quæ vel qualis religio sit, quando in periculo versatur Status politicus ut pereat, adeoque ut status ille in integro maneat, hanc vel istam, nihil interest, religionem posse assumi, ergo pereat Deus, modo status permaneat.

Ne quidem Ethnicus fuerunt tam impii, videte hoc, inter alia multa, in *Cyro Rege Persarum* de quo dicitur *lib. 1. Esdra cap. 1. In anno primo Cyri Regis Persarum*, exiit edictum dicens: *Hæc dicit Cyrus Rex Persarum: Omnia regna terre dedit mihi Dominus Deus cæli, & ipse præcepit mihi ut ædificarem ei domum in Ierusalem.*

En Regem ethnicum qui statim ubi factus est Rex, ante omnia meminit Dei, fatetur se Regnum accepisse à Domino cæli, & omnibus aliis sepositis, cogitat de Templo illi ædificando in *Ierusalem*. Procul dubio non deerant aulici pessimi consiliarii, qui dicerent, prius cogitet ut hostes evertat, urbes muniat, classes instruat, legiones scribat, legat equitatum, ut servet statum & imperium suum: Hæc Regum curæ sunt propriae. Tempora ædificare, religionem procurare Sacerdotum est, non Regum, extruat ergo *Cyrus* castella & artes, non Tempora.

Hos homines si *Cyrus* audisset, non *Ierosolymis* Templum, sed arces *Babylone* condidisset: Sed non audiit *Cyrus*; prima ipsius, ante omnia, cura fuit religionis & Templi. Sciebat enim Rex ille, quamvis ethnicus, Deum Reges vel evehere vel exturbare, quos vel dignos, vel indignos, existimat. Imo nullum sapius adire Tempora, araque struere oportere quam Regem, quia in una numinis dextera cor Principum est, idque versat, vertitque quo vult. Perstitit ergo *Cyrus* in proposito de Templo numini ædificando, & non audivit impios illos consiliarios. Hoc homo Ethnicus fecit: Quantus ergo pudor quod inter Christianos, unus *Machiavellus* audiatur, qui tanta axiomata habet, quibus docet primam curam esse debere de statu conservando, secundam de religione, nec curandum si Tempora Deo dicata evertantur, incendantur, ut illorum loco arces, ac magna ædificentur.



2. Docet hic homo præterea, nemini, quantumvis misero, compatiendum, opprimantur subditi, exhauriantur illorum pecunia: redigantur ad paupertatem, pereant cum liberis, lamententur, conquerantur, nihil curandum, modo Status politicus maneat integro. Axioma quod naturam humanam ac Societatem evertit, si enim nemini compatiendum, quod nulli creaturæ proprium est nisi soli homini, degeneramus in bestias, imo peiores fimus, quamvis enim bestia à natura non habeant ut compati possint, legimus tamen & Leones & Elephantos etiam in furore miseris peperisse. Occurrebat puellæ cuidam è carcere fugitivæ furibundus Leo in silva, illam dilaceraturus, sed ubi lacrymas vidit, audiitque ex illa se jam ex vinculis erupisse, deposito furore, pepercit. Discurrebat *Goe* in *India* per plateas totus in furia *Elephas*, & omnibus fugientibus, domosque claudentibus, remanserat parvus in platea porculus, quem ut *Elephas* vidit plorantem, arreptam proboscide, suaviter in humili tecto, quod pro foribus erat, sine ulla læsione deposuit: Ergo *Machiavellus* docet quod ne quidem bestia, quantumvis rationis expertes, nollent admittere. Et tales Doctores ac magistros audiunt Christiani? & illius impios libros legit ac pervolvit juvenus majori aviditate quam sacros libros & pios? quid mirum quod tali impietate imbuti, sint sicuti *Pharao*, cujus cor induratum erat, & nolbat audire *Moysem* & *Aaron*? magisque mirabatur facta maleficorum, quam Miracula Dei?

## DISCVRSVS XI.

## Secundum Miraculum, &amp; prima plaga Ægypti.

Videns, inquit Scripturâ Dominus Deus, quod primo Miraculo *Pharao* magis obduruisset, voluit ut *Moyse* & *Aaron*, adderent alterum, quo *Pharaonem*, *Ægyptiosque* puniret.

Dixit ergo Deus ad *Moysem*: Vade ad *Pharaonem* mane: Ecce egredietur ad aquas, & stabis in occursum ejus super ripam fluminis, & virgam, qua conversa est in draconem, tolles in manu tua, dicesque ad eum: Dominus Deus Hebraorum misit me ad te, dicens: Dimitte populum meum ut sacrificet mihi in deserto, & usque ad presens tempus noluisti audire: Hac igitur dicit Dominus: In hoc scies quod sim Dominus: Ecce percussam virga

ergo aqua in manu mea est, aquam fluminis, & vertetur in sanguinem, & pisces quoque qui in flumine sunt, morientur, & computrescent aqua & affligentur Aegyptii bibentes aquam fluminis.

Dixit quoque Dominus ad Moysen. Dic ad Aaron: Tolle virgam tuam & extende manum tuam super aquas Aegypti, & super fluxus eorum, & reos ac paludes, & omnes lacus aquarum, ut vertantur in sanguinem, & sit cruor in omni terra Aegypti, tam in ligneis vasis, quam in saxeis.

Feceruntque Moyses & Aaron sicut praeceperat Dominus, & elevans virgam, percussit aquam fluminis coram Pharaone & servis eius quae versa est in sanguinem, & pisces qui erant in flumine mortui sunt, computruitque fluxus, & non poterant Aegyptii bibere aquam fluminis, & fuit sanguis in terra Aegypti.

Duas rationes adferunt interpretes quare prima Aegypti plaga fuerit conversio aquarum in sanguinem.

Prima est. Quia in Aegypto vix unquam pluit, unde vix unquam ibi alias habent aquas quam fluminis Nili, qui exundando agros fecundat per totam Aegyptum. De Nilo ergo plurimum gloriabantur Aegyptii, seque Beatos jactabant, & flumen illud divinis honoribus quasi Deum prosequabantur, ut refert Solinus cap. 35: Voluit, ergo Deus hic ante omnia illos punire propter istam idololatriam ut se solum Dominum esse agnoscerent sicut dixerat moysi, ut diceret Pharaoni, scilicet: In hoc scies quod sim Dominus, percutiam aquam fluminis, & vertetur in sanguinem, & flumen quod vos habetis pro Deo, non poterit mihi resistere.

Secunda ratio est quam adfert D. Augustinus Serm. 87 de temp. Penitentia. Justo, inquit, Dei judicio factum est, ut de illo fluvio Aegyptii biberent sanguinem, in quo parvulos Hebraeorum necare conlueverant, *empla.* juxta illud quod ait Sapiens Sap. cap. 11: Per qua peccat quis, per haec & torquetur.

Probat hoc fuisse D. Chrysostomus ex variis locis Scripturae. Accusaverant Danielem Principes Babyloniae apud Regem Dariam, propterea missus fuit in lacum Leonum, sed detecta illius innocentia, jubente Rege, inquit Scriptura Daniel cap. 8, adducti sunt viri illi qui accusaverant Danielem, & in lacum Leonum missi sunt, & filii, & uxores eorum, & in momento discerpti.

Septuaginta Reges amputatis pedum ac manuum summitatibus federant sub mensa Adonibezec Regis Chananaeorum, & collegerant sub mensa ejus ciborum reliquias. Postea captus fuit Adonibezec

ab *Othoniele* Principe *Iudaorum*, & amputatae quoque illi fuerunt summitates pedum ac manuum, adeo ut agnosceret vindictam divinam, dicens: *Sicut feci, ita reddidit mihi Deus.*

Paraverat *Aman* *Mardocheo* patibulum quinquaginta cubitos altum, sed suspensus est *Aman*, inquit Scriptura, *Esther cap. 7.* in patibulo quod paraverat *Mardocheo*.

Falso accusaverant duo Seniores *Susannam* adulterii, ut lapidaretur, & ipsimet ab omni populo lapidati fuerunt.

*Jezebel* occiderat innocentem *Naboth*, & linxerant canes sanguinem ejus in agro *Jezebel*; in eodem agro linxerunt canes sanguinem *Jezebel* cum praecipitata esset per fenestram e suprema parte domus.

Plura exempla habemus in aliis Historiis. 1. *Christus* in *Pascha* Crucifixus fuerat a *Judaeis*; *Quadragesima* annis post, *Titus* & *Vespasianus* in festo *Paschatis*, interceperunt *Ierusalem*, in qua tunc erant, propter solennitatem, facile tricies centena hominum millia, quorum tanta multitudo fuit acta in *Crucem* circum mania, ut loci figendis *Crucibus* non amplius superesset.

2. *Filia Herodiadis* causa fuerat cur amputaretur caput *Ioanni Baptistae*, ipsa postea transiens glaciem, illaque rupta, demergitur capite tenus in aquas, & a glacie caput illi abscinditur.

3. *Calvinista* quidam in *Gallia*, regius officarius, curaverat conlocatum altaris lapidem collocari sub patibulo, ut rei illic plecterentur, ipse primus in illo lapide plexus fuit.

4. Mirabile est quod narrat *Famianus Strada* *Decade 1. de Belle-Isle lib. 9.* Anno, inquit, 1578, ejectionis *Antverpiæ* Patribus Societatis in eos, qui vacuas eorum aedes invisebant, fuit unus aliquis e trinis scurra, qui ludum populo facturum, hasce aedes ingressus, fasciculum straminis, albæ appensum virgæ, pro foribus suspendit e fenestra, quod tunc erat signum pestis. Movit ea species praeterexpectationibus admirationem; nonnullis risum: Atque ex illis uni fore impertinenter pulsanti, ille intus exclamans. Quid malum, inquit, hi pulsas? an non praefixa mortis insignia, virgam & stramen conspicis? quotquot has aedes incolebant, peste sublatis sunt. Mirum dictu, eodem die cum nusquam esset in tota urbe contagio, subito voli derisoris domum invasit pestis, coegitque illum domi fieri. ex quo risum in aliena captaverat.

Numquid jam ex omnibus antedictis clare vides, verissimum

esse quod Sapiens ait: *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur* ?

Miramur aliquando nobis aduersa aliqua evenire, quia nescimus quare, vel unde: Aliquis facit iacturam bonorum, adscribit fortunæ, cogitet an ipse aliquando non fuerit causa iacturæ alienæ, iniustitiam illi faciendo. Punitur per quæ peccavit: Alius persecutiones patitur ab hostibus suis, cogitet an non aliquando ipsemet persecutus sit innocente. Alius non assequitur magnum aliquod officium quod prætendebat, cogitet an nunquam malis artibus, falsis diceriis, & ex invidia similiter excluderit alterum.

Alius habet immorigeros, & refractarios liberos, cogitet quoties ipsemet parentibus suis inobediens fuerit. Certe lego de quodam parente quod capillis à filio extractus fuerit extra domum, & parentem falsum fuisse, se idem parenti suo fecisse. Alius denique multas afflictiones habet medias inter divitias, cogitet an non aliquando egenos affixerit negando illis quod facile poterat dare ex abundantia sua. Quia semper hoc manet verum: *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur*. Sic *Egyptios* plestebat Deus per mutationem fluvii in sanguinem, quia sanguinem puerorum innocentium in flumine effuderant.

Verum, inquit Scriptura, etiam malefici *Pharaonis* similiter aquas verterunt in sanguinem; verosimile est hoc illos fecisse cum jam aquæ ad naturalem statum reverterant, cum enim *Moyse* omnes aquas mutasset in sanguinem, unde illi aquas habere poterant quas mutarent? Unde puto mutationem à *Moyse* factam ad unum forte alterumve diem durasse, maleficorum vero ad tres quatuorve dies, quia inter hanc plagam, & illam quæ sequitur, dicit Scriptura septem dies intercessisse.

Interea *Pharao* videns rursus maleficos suos idem fecisse quod fecerat *Moyse*, magis cor suum obduravit.

## DISCURSUS XII

### Secunda plaga Ranarum.

Itaque jussu Dei vadit *Moyse* ad *Pharaonem*, & ait: *Hæc dicit Dominus: Dimitte populum meum ut sacrificet mihi*. Sed noluit illos audire: *Extendit ergo Aaron manum suam cum virga super aquas*

N n 2

*Egypti,*

*Ægypti, & ascenderunt Rane tantâ multitudine, ut operirent terram Ægypti, & sicut Aaron Regi prædixerat, factum est, scilicet: Ebullierunt fluvius Ranas, & ingredientur domum tuam, & cubiculum lectuli tui, super stratum tuum, & in domos servorum tuorum, & in populum tuum, & in furnos tuos, & in reliquias ciborum tuorum.* Denique tanta fuit eorum multitudo ut postea, quando hæc plaga cessabat, *Ægyptii* illas jam mortuas, congregaverint in immensos aggeres. Hinc ne minimus quidem locus tota *Ægypto* ab illis liber erat. Inficiebant omnes cibos, vasa, ollas, lances, sedes, mensas, domos, caveas, pœnuaria, cubicula, lectos, furnos: Complebant fora, inquit *Philo*, & cuncta ædificia tam sacra quam profana, tam privata quam publica, ad summas quoque contignationes obrepebant.

Longe gravior erat hæc plaga priore, quia prior tantum gustum cruciabat, hæc vero omnes sensus: Primo visum, erant enim vade magnæ atque deformes, 2 auditum, per molestam & assiduam coaxationem, 3 gustatum, quia esculentis & poculentis omnibus insidentes ea conspurcabant, 4 odoratum, teterrimo suo fœtore, 5 tactum, conscendebant enim mensas, lectos, ibique sedentium & cubantium corpora, pedes, manus, & facies invadebant. Quod si forte incredibile cuiquam videatur, *Orosium* legat lib. 5, cap. vii, ubi dicit Ranas, non Miraculo, ut fiebat in *Ægypto*, sed naturaliter integras regiones vastasse, & inter alias, regiones *Abderitarum*, ut omnes incolas inde expulerint.

Præcipua ratio cur hanc Deus plagam immiserit, fuit, ut puniret *Pharaonis* & *Ægyptiorum* nimias in conviviis, comestationibus, cibisque delicias, propterea dicit Scriptura quod Rana: præferunt vagarentur per furnos, per cibos, per mensas, easque fœdarent. 2 Ut puniret ipsorum libidinem, ideo dicit Scriptura quod magna etiam numero vagarentur per cubicula ubi dormiebant, per strata, & lectos.

Sed audiamus jam quomodo hunc locum morali sensu exposuerint Patres. *D. Gregorius Nyssenus* in vita *Moyse* per istas Ranas intelligit imagines turpes: Abbas vero *Rupertus* lib. 1 in *Exod.* cap. 9, libros impuros.

Imagines  
turpes.

Audiamus *Gregorium*. Hæc immunda, inquit, Ranarum multitudo domos eorum, qui libidini vacant, inhabitat: Nam & in muris, & in aulis, diversæ ad luxuriam animi, picturæ, & in vasis sculpturæ impressæ nequitiam prædicant, quibus cogitatio

ad cupiditates revocatur, & tali visione cupiditatum ardor accenditur.

Assumo potissimum illa verba, *Pictura quibus cogitatio ad cupiditates revocatur*: Quis hac de re dubitet? cum experientia constet pijs imagines excitare pijs cogitationes, atque affectus? fatetur de se *S. Gregorius Nyssenus Orat. in Abraham*: Pendeat alibi pictura quae exprimebat immolationem *Isaaci*, vidi illam, inquit, sapius, & sine lacrymis transire non potui.

Ex quo *Theodorus Episcopus Catanensis* hanc consequentiam trahit: Si *B. Gregorius*, inquit, inspectâ *Abraham* Historiâ flevit, quanto magis *Christi* crucifixi imago à nobis inspecta, ad lacrymas commovebit?

Narrat quidam nostri temporis Scriptor se aliquando fuisse in domo cujusdam magni Prælati ubi in aula visebatur expressa coloribus *Judith*, non in cubiculo *Holophernis*, gemmis monilibusque ornata, sed in supremo domus suæ cubiculo, induta cilicio, suffusa lacrymis, vultuque ad cælum converso Deum orans tanto fervore ac pietate ut illa luceret in vultu. Hanc picturam quoties aspiciabant Ephebi, servi, aliique domestici, ad pietatem, & puritatis amorem excitabantur.

Quod si tanta vis inest imaginibus pijs ut animos aspicientium ad pietatem trahant, ac pijs cogitationes injiciant, dico non minorem vim esse in imaginibus inhonestis, ut, sicut ait *Nyssenus*, cogitationes nostras revocent ad pravas cupiditates.

Ratioclarum est, quia ex corrupta nostra natura semper magis inclinamur ad vitia, & præsertim obscena, quam ad virtutes: Ergo longe facilius, & citius per turpes picturas cupiditates nostræ accenduntur ad turpia, quam per honestas commoveantur affectus nostri ad pietatem.

Propterea rideo si quis audeat dicere se cor impollutum habere, quando oculos turpibus spectaculis pascit. Flos pudicitiae floret in sensibus, & ex illo flore germinant fructus in corde, proinde nulla spes est pudori in corde, si oculi non protulerint flores. Hoc profert terra quod à satore acceperit: Accipit grana, & spicas rependit, si filiginem accipit, filiginem profert, & putamus cor nostrum producturum pudicitiae fructus, quos in eo non severint oculi?

Videte gemmas in conchis; non provenit illa ex intimis, seu conchæ

conchæ medullis, sed aliunde haurit quod convertat in gemmam: Rorem ex aëre concipit, & gemmam efficit, & quo ros influxerit purior, eo nitidiorem gemmam formabit: Si vero sanguis aut virus plueret in-concham, non gemmam proferret, sed sordes. Tanti est quid concha exterius accipiat.

Siccor nostrum coquet quod oculi præsertim infuderint: Si uxorem *Putipharis* nudam, sollicitantem *Iosephum*, vel *Mariam* adulterium committentem cum *Venere*. Quis ex tanta visa libidine expectabit cor purum?

Narrat *Augustinus Lib. 1 de Civit. cap. 7* de quodam adolescente, qui in pariete spectabat adulterium *Iovis* cum *Danae*, atque ab hac tanta auctoritate, inquit, adhibet patrocinium turpitudini suæ, cum in ea se jactat imitari Deum. Adeo verum est quod ait *Gregorius Lib. 9 Epist. 9*. Adulterium discitur, dum videtur.

Merito ergo volebat *Aristoteles Lib. 7 Polit. cap. ult.* Magistratus curare ut nulla esset in tota urbe turpis pictura vel statua. Hæ enim, juxta *Gregorium Nyssenum*, sunt ranæ illæ *Ægyptiæ* quæ totas domos sædant atque commaculant.

Juxta *Rupertum* vero, illæ ranæ sunt libri impudici, præsertim Poëtarum, & Romanistarum, ut vocant.

Plurimos lego ad meliorem frugem conversos lectione librorum piorum. Legebat in curru suo Scripturam Eunuchus *Candacis* reginæ, & ex Ethnico factus est Christianus: Legebat vitas Sanctorum *Ignatius*, & ex milite mundi factus est miles *Christi*, Legebat libros pios *Theresa*, & ex profana facta est Sancta. Legebat Epistolas *Pauli Augustinus*, & ex fornicario factus est doctor Ecclesiæ: Legebant duo aulici Imperatoris vitam *S. Antonii*, & ex aulicis facti sunt eremitæ. Scio plures adhuc superesse, sed exiguum numerum respectu eorum qui per libros impuros corrupti fuere, & ex innocentibus facti sunt mancipia dæmonis.

Libri impuri.

Tales enim libri, inquit *Cicero* ipse, Ethnicus homo, *Lib. 2 Tusculan. q. q.* Molliunt animos, & nervos omnes virtutis elidunt. Imo ipse *Ovidius*, qui tam impura scripsit, hoc monitum dat: *Teneros ne tange Poëtas: Submoveo doctes impius ipse meas.* Audin? ipse pestilens Poëta, vociferatur, ne me attingas, non ait, ne me legas, sed ne quidem attingas, abi, recede, procul esto ne inficiaris: Ecce, prædicit periculum, malum & ruinam ante denuntiat si tetigerimus dumtaxat obscænos Poëtas.

Me.

Miraris? audi *Origenem Hom. 2 in Ierem.* ubi Propheta sic ait: *Calix aureus Babylon inebrians omnem terram: De vino eius biberunt omnes gentes, & ideo subito cecidit Babylon & contrita est.* Calix ille aureus, inquit *Origenes*, sunt Poëtae, aliique libri obscæni, verba habent aurea, sed plena veneno & sordibus, quæ interimunt animam hominis.

Quod enim in ejusmodi libris, non tantum ab Ethnicis, sed interdum etiam à Christianis compositis, magis passim in oculis legentium incidit quam una farrago omnium vitiorum, præsertim impudiciæ, quæ, quasi honesta forent, nomine divinitatis teguntur.

Quibus lectis quocumque te converteris, nec terram, nec mare, ne quidem ipsum cælum invenies liberum ab ejusmodi sordibus: Si intres Silvas, si montes ascendas, si campos percurras, illic posuere Deos, ac Deas quos Nymphas & Satyros vocant, monstra Lasciviæ. Si hortos ingrediare illic Deum posuere quo nihil impurius: Ipsos flores delicias hominum maculavere defloratione *Flora* quam florum Deam esse dicunt. Si mare ingrediare, illic describunt *Jovem* supremum Deorum, versum in Taurum rapientem, vehementemque dorso per fluctus juvenem puellam, ut fœdis cupiditatibus potiatur: Ne quidem cælum intueri quis potest quin illic videat quasi theatrum omnium flagitiorum: Hic habes ab hujusmodi Poëtis inter stellas & lumina mundi repositos, *Jovem*, *Martem*, *Herculem*, *Iunonem*, *Venerem*, *Mercurium*, *Saturnum*, omnes Deos, sed nullum nisi sceleribus infamem. *Jovem* adulteriis, *Martem* homicidiis, *Herculem* suo furore, *Mercurium* suis furtis, *Saturnum* sua crudelitate quæ proprius filios devoravit, *Iunonem* sua invidia ac zelotypia, *Venerem* denique publicam meretricem: Nulla cæli pars, si Poëtis credimus adulteris aut meretricibus vacat, Pleræque nymphæ in stellas mutatae sunt, & coronantur quia virginitatem habuere venalem.

Hæc, & similes sordes oculis nostris in libris obscænis obijciuntur, *Venus* describitur coronata sideribus septuaginta novem, & Matri Dei in ipsa Scriptura, non tribuitur nisi corona stellarum duodecim. Quis jam castitatem amet & impudicitiam horreat quando Meretrici quadruplo plus honoris inter stellas adscribitur, quam matri Dei in cælo: Ergo inquit homines perdit, Luxuriemur, & fornicemur. Et quamvis nemo non sciat per Poëtarum



tarum audaciam ista esse conficta, inhærent tamen menti ista Deorum Dearumque vocabula, nec video quomodo inter tot titulos puritas animi integra possit consistere, nam etiam minimis, & fabulis libido accenditur, cui sapissime unus jactus oculi sufficit ut ardeat.

Hoc est quod ait *Minutius Felix* de Poësi, & comediis: Amorem dum fingit, infligit. Ergo tales libri dum pleni sordibus sunt, & quidem ita deauratis, ut aliquid divinitatis videantur habere, non possunt non animam, totumque hominem sordidum reddere, ideoque recte comparantur ranis *Egyptiis*.

Vix ranas produxerat *Moses*, cum idem fecerunt suis incantationibus malefici *Pharaonis*.

Tunc, inquit Scriptura, vocavit *Pharao* *Moysem* & *Aaron*, & dixit eis: Orate Dominum ut auferat ranas à me, & à populo meo, & dimittat populum ut sacrificet Domino.

Dixitque *Moses* ad *Pharaonem*: Constitue mihi quando deprecet pro te, & pro servis tuis, & pro populo tuo. Qui respondit: Cras. *Moses* ergo die crastina oravit Deum ut ranæ cessarent: Et mortue sunt, inquit Scriptura, de domibus, & de villis, & de agris, congregaveruntque eas in immensos aggeres. Videns autem *Pharao* quod data esset requies, ingravit cor suum, & non audivit eos sicut praeceperat Dominus.

### DISCURSUS XIII.

*Tertia & quarta plaga Sciniphum, & muscarum.*

Cum videret Deus *Pharaonem* cor suum obdurasse, dixit ad *Moysem*, ut *Aaron* extenderet virgam suam, & percuteret pulverem terræ, eumque verteret in Sciniphes, & facti sunt, inquit Scriptura, Sciniphes in universa terra *Egypti*, in hominibus & iumentis.

Conati sunt idem facere Malefici *Pharaonis*, sed non potuerunt, inquit Scriptura: Numquid prius aquas mutarant in sanguinem, & produxerant ranas? quid ergo hoc sibi vult quod non possint pulverem mutare in Scyniphes? quia volebat hic Deus ostendere potentiam suam esse majorem quam potestatem diaboli, adeoque miracula quæ faciebant *Moses* & *Aaron*, esse vera atq; divina miracula mago-

magorum vero falsa & diabolica, si enim fuissent à Deo, quare non potuissent æque ac *Moyſes & Aaron*, producere *Cynipheſ*? propterea cum viderent se id non posse facere, exclamabant: *Dignus Dei est hic?* Deus est per cuius manum *Moyſes & Aaron* pulverem verterunt in *Cynipheſ*. Hoc satis erat ut ipsi & *Pharao* se converterent, sed è contrario magis obdurati fuerunt, & patientia ac longanimitate Dei abusi sunt. Ingens peccatum, & abominabilis ingratitude per ipsa Dei beneficia pejorem fieri!

Hic habes genuinam indolem hæreticorum, qui valde raro, vel nunquam per miracula quæ jam mille sexcentis annis in Ecclesia Romana facta fuere, & adhuc quotidie fiunt, convertuntur, sed obstinatiores fiunt: Miraculis enim quæ ipsi met oculis suis non conspexere, non credunt. Magna obstinatio, qua tot Sanctos Patres qui plurima sui temporis miracula narrant, mendaces faciunt. Illa vero quæ interdum aliqui eorum viderunt, cum non possent negare esse supra naturam, clamabant esse magiam & opera diabolica, maxima obstinatio, quia Deum faciunt mendacem: Cum enim jam inde ab ortu Ecclesiæ, usque ad hæc nostra tempora, innumera Deus miracula fecerit in confirmationem religionis ac fidei, si illa fides non sit vera quam miraculis confirmavit, ergo Deus ipse testis fuit falsitatis, adeoque mendax: quis non horreat talem blasphemiam?

Accedit quod ejusmodi miracula sint facta in Romana Ecclesia, quæ non possunt fieri, nisi à Deo; talia sunt mortuorum excitatio, & ejectio dæmonum: Excitare mortuos esse solius potestatis divinæ, ut ait *Ambrosius*, ipsa ratio docet: Nemo enim est Dominus vitæ humanæ nisi solus Deus, ergo sicut ille primo vitam homini dedit, sic solus ipse potest eam reddere. Potest quidem diabolus intrare corpus hominis mortui, & illud movere, & per illud loqui, sed non potest animam eodem nexu connectere corpori, quo fuerat prius conjuncta, ita ut omnes actiones memoriæ, intellectus, & voluntatis exerceat, sicut prius: Hoc solus Deus potest, qui illas facultates solus in anima posuit, effecitque ut illas exerceret in corpore humano: Ergo solus Deus mortuos potest revocare ad vitam.

Alterum est, ejectio dæmonum. Quod illud non possit fieri à diabolo, clare nos docuit *Christus Marci cap. 3. Non potest*, inquit, *Satanas Satanam ejicere*, & rationem addit: Quia si hoc fieret, inquit,

Miracula  
signa fidei

*adversus se divisus esset, ergo non posset stare regnum ejus.* Quod autem à solo Deo hoc fieri possit æque clare dicit *Christus Luc. cap. 11.* Ego, inquit, *in digito Dei,* vel, ut habetur *Matth. cap. 12, in spiritu Dei, eicio dæmonia:* Atqui nemo potest negare quin illa duo miracula sæpissime facta sint in Ecclesia Romana, & adhuc interdum fiant, nisi qui velit Sanctos Patres, aliosque viros fide dignissimos, facere mendaces, & totam fidem humanam mundo eliminare: Ergo miracula illa vera atque divina sunt quibus Deus testatur religionem Romanam esse veram atque divinam; consequenter qui se ad hæc non convertit, in summo gradu obstinatus est, sicut erant *Pharao,* ejusque malefici.

Quod autem ista duo miracula non tantum tempore Apostolorum, sed etiam subsequentibus temporibus facta fuerint in Ecclesia, breviter audite. Ducentis annis post tempora Apostolorum vixit doctissimus Philosophus, & gloriosus Martyr *D. Iustinus* qui pro Christianis scribens ad Senatam Romanam, *Apolog. 1.* sic ait: Multos obsessos per totum orbem, & in hac ipsa civitate Rome, multi ex nostris Christianis adjuratos per nomen *Iesu Christi* sub *Pontio Pilato* crucifixi, sanarunt, quos nec adjuratores alii, nec incantatores sanare potuerant, & adhuc nostri sanare pergunt, dæmonia ex obsessis corporibus profigando.

Volebat hic Sanctus ostendere Senatui Romano veritatem Religionis Catholicæ, & ecce proponit illi ejectionem dæmoniorum, & ut probet hanc ejectionem esse à solo Deo, propterea addit, quod nulli alii adjuratores, aut incantatores ope diaboli hoc potuerint facere.

Hoc eodem argumento utor contra hæreticos nostri temporis: Videmus Romano-Catholicos sæpe eicere dæmones, & nullus vestrum hoc potuit facere: Ergo sicut Malefici *Pharaonis,* cum non possent pulverem mutare in *Cyniphes,* quemadmodum fecerant *Moyse* & *Aaron,* fatebantur hoc illos fecisse potestate divina, dicentes: *Digitus Dei est hic,* sic & vos cum scitis apud Romano-Catholicos eici dæmones, quod vos numquam facere potuistis, debetis fateri illam ejectionem dæmonum apud Romanos fieri per solam potestatem divinam, & dicere: *Digitus Dei est hic:* Quod si nihilominus sicut malefici *Pharaonis,* & ipse met *Pharao,* non convertimini, induratum est cor vestrum, & in summo gradu obstinati estis, sicut & illi. Major enim obstinatio esse non potest quam veritatem videre

videre ac fateri, & tamen illam rejicere, & nolle amplecti.

Quingentis pœne annis post *Christum* vixit *Augustinus*: Hic *Lib. de Civit. cap. 8* tres mortuos enumerat qui suo tempore fuere revocati ad vitam: Si tanto viro non credis, cui credes? si credis: Fateri ergo illa miracula fuisse à Deo, quia ut jam ostendimus impossibile est excitationem veram mortuorum ab alio esse quam à Deo, & nullus vestræ Sectæ unquam similia miracula facere potuit: Ergo si non clames: *Digitus Dei est hic*, & te non convertas, tam duro corde es, & tam obstinatus quam *Pharao* ejusque malefici.

Cum ergo illi post tertiam plagam obstinati manerent, adjunxit Deus & quartam. *Dixit enim*, inquit *Scriptura*, ad *Moysem*: *Confarge diluculo, & sta coram Pharaone, egredietur enim ad aquas, & dices ad eum: Hac dicit Dominus. Dimitte populum meum ut sacrificet mihi. Quod si non dimiseris eum: Ecce ego inmittam in te, & in servos tuos, & in populum tuum, & in domos tuas, omne genus muscarum, & implebuntur domus Egyptiorum muscis diversi generis, & universa terra, in qua fuerint: Faciamque mirabilem in illa die terram Gessen, in qua est populus meus, ut non sint ibi musca, & scias, quoniam ego Dominus in medio terra. Cras erit signum istud. Fecitque Dominus ita. Et venit musca gravissima in domos Pharaonis, & servorum ejus, & in omnem terram Egypti, corruptaque est terra ab hujusmodi muscis.*

Nota hic 1. Hactenus plagas crevisse juxta proportionem obdurationis *Egyptiorum*. Prima enim erat, mutatio fluviorum in sanguinem: Hæc horrorem tantum incutiebat. Secunda erat multitudo ranarum: Hæc cum horrore, simul magnam molestiam nauleamque creabat quod per totas domos vagarentur, & se & mensis, & cibis ingererent. Tertia & quarta erant *Cynipbes* & muscæ; hæc cum magna molestia etiam magnum dolorem adferebant quod acriter pungerent die ac nocte. Sic ira Dei paulatim crescit, & semper majores plagæ sequuntur, quo homines magis peccant, & crescunt in malitia.

Nota 2. Majorem quodammodo potentiam Deum ostendisse in tertia & quarta plaga, quam in prioribus: In prima enim quando mutabat aquas in sanguinem, ostendit se naturam unius rei posse mutare in naturam alterius, quod non adeo videtur difficile. In secunda producendo ranas ostendit se etiam creaturis irrationabilibus posse præcipere, quod videtur magis mirabile, ut animalia

quæ carent omni intellectu ac ratione præcepta ejus intelligant, eique obediant. In tertia vero & quarta ostendit se posse minimas & abjectissimas creaturas ad ultionem injuriæ divini, ut vel sic majorem impiis timorem incuteret.

Nota 3. Deum in quatuor hisce plagis voluisse ostendere se Dominum elementorum: Aquæ, quando illam mutavit in sanguinem, & ex illa ranas produxit, terræ, quando pulverem terræ mutavit in *Cyniphes*; denique aëris quando omne genus muscarum inde eduxit.

Nota 4. Quod *Moyfes* dicat: *Cras erit signum istud*: Numquid poterat statim hoc facere? quare ergo non modo, sed cras? quare differtur quod statim poterat fieri? ut Deus ostenderet clementiam & misericordiam suam erga peccatores etiam obduratos: Volebat *Pharaoni* dare tempus pœnitentiæ, & deliberationis an vellet se commendare. Hoc enim toties clamat in Scripturis: *Nolo mortem peccatoris, sed magis ut convertatur & vivat*, adeo ut nemo de Deo conqueri possit si in peccatis moriatur: Dicit enim *Christus Joanni Apoc. cap. 2. Dedi illi tempus ut pœnitentiam ageret, & non vult pœnitere*. Ergo si pereat, imputet sibi, quia non voluit gratis sibi à Deo datus uti, magna enim gratia est, quod cum posset jure statim illum punire, differat pœnam ad tempus quo potest bene uti ad pœnitentiam si velit. Jam videamus sensum morale qui deduci potest ex muscis.

Sicuti olim *Agyptus* undequaque plena erat muscis, sic etiam nunc muscis mundus undique scatet; ejusmodi nempe hominibus quos nos etiam hodieque muscas vocamus. Et sicut Scriptura dicit quod muscæ in *Agypto* essent diversi generis, sic etiam valde diverse muscæ sunt per totum mundum. De multis autem dici potest quod ait *Salomon Ecclesiastici cap. 10. Muscæ perdunt suavitatem unguenti.*

Primo igitur sunt muscæ quæ pungunt, & meliorem sanguinem exsugunt. Illi sunt maledici qui falsa confingunt de aliis, pungunt famam & bonum nomen alterius, & sæpe quo is virtuosior est, eo magis pungunt ut meliorem sanguinem exsugant. Dicit enim *Ecclesiastes cap. 7. Melius est nomen bonum quam unguenta pretiosa*. Quoniam magis convolant muscæ quam ad apothecas? quare hoc? quia nullibi pretiosiora & dulciora unguenta inveniunt quæ exsugant, sed exsugendo perdunt & corrumpunt suavitatem unguenti. Sic homines isti maledici passim convolant ad cœtus religiosos, &

monasteria, quæ sunt Apothecæ virtutum, ut sua lingua optimum succum exsugant, & suavitatem unguenti, hoc est, boni nominis perdant, & corrumpant, non veris, sed falsis fictisque defectibus, quos vel ipsimet, vel imprudens plebecula, vel hæretici confinxere.

Nihil præstantius zelo animarum ut illas Deo lucremur; quoties tamen audimus illa fieri ex mera cupiditate pecuniæ? quid potest magis ad solatium morientium fingi, quam si illis adsumus nocte & die? quoties tamen audimus illa fieri propter Testamenta? sed quid si non minus assistatur pauperibus? audimus tamen aliquando fieri hæc ex politia. Quid Deo dignius quam ornare magnificè ipsius altaria & domos? quoties tamen audimus ista fieri vel ex superbia, vel ex ambitione? Verè tales homines passim muscæ vocantur quia involant pretiosissima virtutum unguenta, ut illa, si possent corrumpant & perdant.

Aliud genus muscarum est quod assidue versatur in sordibus equorum, & illis se alit: Tales muscæ inter homines sunt detractores, qui nullam videntur aliam voluptatem habere quam sedere in sordibus & vitiis aliorum, & omnibus sine indifferentia infamiae notam inurere: De quibus Propheta dicit: *Sepulchrum patens est guttur eorum*, nihil magis sordidum, nec foetens quam sepulchrum patens, os illorum simile est, vix quidquam inde prodit nisi sordes & fetores, dum ea propalant quæ in conscientia, & sub peccato mortali tenebantur tacere, & aliorum virtutes tacendo, nihil aliud loquuntur nisi illorum defectus; illis sordibus animum pascunt, & quasi in illis vivunt, sicut muscæ equinæ: Generatio prava, quæ vel discordias seminat inter familias, vel inimicitias inter alienos, vel denigrando aliorum bonum nomen, ita illos interdum reddit suspectos, ut vel officium, vel conjugium, vel aliud bonum non consequantur, quod jam habebant præ manibus: Et quod maximè deplorandum est, paucos invenies ex illis hominibus qui id serio confiteantur, aut si confitentur, non possunt absolvi, nisi promittant restitutionem honoris, & illam quamprimum opere compleant.

Tertium genus sunt muscæ convivales seu mensales: Sicut enim muscæ turmatim convolant ad mensas, & patinas ac cibos præsertim exquisitissimos fædant, sic plurimi homines sunt, qui ubi in conviviis audiunt discursus vel de rebus in-

Lingua  
detractio-  
ria.

differentibus, vel etiam piis, putant nullam esse recreationem in mensa, nisi illos conspurcent suis inhonestis colloquiis, quasi homo se recreare non possit nisi Deum offendat: Et illud pessimum genus est, qui non sapiunt ea quæ Dei sunt, sed ea tantum quæ carnis, & ideo vocat illos *Paulus, homines animales*.

*Distractiones in oratione.*

Restant nunc aliæ muscæ quæ hominem vexant immissæ à dæmone, potissimum quando orationi vacamus. Habent hoc muscæ, ut sæpe abactæ, assidue redeant, tales muscæ sunt cogitationes malæ, vel aliæ distractiones quæ nobis superveniunt in oratione præsertim, & ut ait *Ecclesiastes: Perdunt suavitatem unguenti*, orationem corrumpunt quando artem non novimus qua cum illis agere debemus.

Offerebat *Abraham* in Sacrificium Deo, inquit Scriptura, *Gen. cap. 15, vaccam, & capram, & arietem, & turturem, & columbam*, quas mactaverat, jacebantq; in altari, & *descenderunt volucres super cadavera*, impediebantque non parum attentionem ac devotionem Patriarchæ: Quid faciebat *Abraham*? *abigebat eas*, inquit Scriptura, abigebat, non occidebat: Hoc bene notandum: Si enim occidisset, cadavera illic mansissent, atque ita non minori impedimento fuissent quam antea.

Multi tamen cogitationes malas ac distractiones, non credunt satis à se abactas nisi illas occidant, verbis & nutibus ostendendo se illud nolle quod dæmon suggestit, *muscæ sunt quæ perdunt suavitatem unguenti*. Muscam quidem occidisti dum interrupta oratione, capite & oculorum torsione, peccatum execratus es, sed cadaver muscæ occisæ, hoc est turpis imago, altius menti inhaesit. Ille fat peccatum evicit, qui non probavit, non enim ejusmodi cogitationes sentire, peccatum est, sed consentire. Quo est importunior illecebra vitii eo fortius de eo triumphasti, non solum victor, quia repudiasti, sed quia cum angore ac metu peccandi, tolerasti.

Quamobrem ubi tales fædas muscas advenientes adverteris, nullo modo est interrumpenda oratio, sed generosè pergendum; dum enim propter incursum illarum orationem interrumpis, magis illas foves, si pergis, ostendis te non curare, & pati invitum. Perge ergo, & noli timere, non enim attendit Deus quid patiaris in mente, sed quid diligas in corde. Nec enim ideo desinis Deum amare, quia muscæ istæ quamvis importune percolitant phantasiam tuam, modo illas non foveas, & ad te magis attrahas, dum te

vident propter se ab oratione desistere. Abigendæ sunt, ad exemplum *Abrahami*, non oculis, non capite, sed ipsamet oratione, redeant millies, non possunt nocere, quamdiu te orantem inveniunt sine turbatione, qui enim non turbatur, contemnit, qui autem contemnit, non peccat. Sin vero illas vi suffocare velis, verum erit illud *Ecclesiastus*: *Musca morientes perdunt suavitatem unguenti*, dum enim vi te illis muscis opponis, ac manibus pedibusque resistis, necesse est ut orationis suavitas pereat.

Audi quid fecerit Sanctus quidam Monachus *Corbeiensis*, nomine *Leonardus*: Dum oraret, serpens in sinum irrepit: Sed tantum aberat ut *Leonardum* terreret, ut è contrario immobilis, & imperturbato animo persisteret, dum precum finem fecisset. Precibus finitis, Serpentem, quem non dubitabat esse diabolium, sic allocutus est: Quid tibi vis hospes? si quid in me licentiæ à Deo accepisti, exere, & ego tuæ me potestati non subtraham. Sed sicuti anguis non terruerat orantem, sic etiam omnia pati paratum, non læsit.

Hoc est quod dixi, si serpens ille infernalis, dum oras, per cogitationes malas, aliasve distractiones, irrepit in sinum phantasiæ tuæ, non est quod timeas si pergis orare: Finita vero oratione, tunc potes illum aggredi si vis: & dicere: quid mihi molestus es: nihil efficies dum spero in Deum, *etiamsi consistant adversum me castra, non timebit cor meum*, & hæc animi magnitudo, & hic contemptus diaboli nova præparatio erit & armatura contra cogitationes quæ tibi porro possent obvenire.

Sed jam quæstio est cur Deus tam parvis & vilibus animalculis, quales sunt Cyniphes & muscæ, voluerit *Pharaonem* punire?

Videtur hoc mirari *Sapiens Sap. 11*, ubi sic exclamat: *O Domine! non impossibilis erat manus tua quæ creavit orbem terrarum, immittere illis multitudinem urforum, aut audaces Leones, aut novi generis iras plenas, aut ignotas bestias vaporem igneum spirantes, aut horrendas ab oculis scintillas emittentes, quarum non solum læsura poterat illos exterminare, sed & aspectus per timorem occidere.*

Poterat magnos exercitus contra illos excitare qui omnia vastarent atque destruerent. Poterat, ut *Christus* dicebat in horto, plusquam duodecim legiones Angelorum contra illos armare.

Poterat, sed noluit, quia volebat intolerabilem *Pharaonis* superbiam frangere, & arrogantem ejus animum humiliare: Superbo enim



enim maxima crux est ab aliquo parvo vinci. Superbissimus erat *Abimelech*, cumque arcem quandam obsideret, eique ignem supponeret, dejecit quædam mulier ex summitate arcis fragmen-  
læ in caput ejus, cerebrumque confregit, sed mox vocavit servum suum, rogavitque ut illum occideret, ne à muliere diceretur occisus.

Itaque Deus parvis illis animalculis voluit *Pharaonem* humiliare, ut cum videret se illis non posse resistere, deponeret superbiam suam, & cogitaret quis ego sum respectu illius Domini qui me tam vilibus creaturis de vincit?

Sic etiam Deus fregit superbiam illius Gigantis *Goliathi*: Proce-  
debat ille, inquit Scriptura *lib. 1 Reg. cap. 17, mane & vespere, & erat altitudinis sex cubitorum, & palmi, & castis area super caput ejus, & larica squammea induebatur, & hec quinque millia scelerum aris pondus habebat, & ocreas areas habebat in cruribus, & clypeus arcus tegebat humeros ejus, hastile autem hasta ejus erat quasi liciatorium texentium, ipsum autem ferrum hasta ejus sexcentos siclos ferri habebat, & armiger ejus antecede-  
bat eum. Stansque clamabat quadraginta diebus adversum Phalangem Israël: Quare venisti parati ad prælium? numquid ego sum Philistinus, & vos servi Saul? Eligite ex vobis virum, & descendat ad singulare certamen, & dabo carnes ejus volatilibus & bestiis terra &c.*

Hic vides hominem non tantum horribiliter à capite ad calcem usque armatum, sed etiam superbissimum, voluit Deus illum humiliare, ejusque arrogantiam frangere; quid fecit? numquid contra illum misit fortissimum ex militibus *Sajilis*? misit *Davidem* Pastorem, & adhuc adolescentem, sed quibus armis indutum? non aliis quam pedo, & pera, & in ea tres lapilli; & unico lapillo ingentem istam turrinam carneam dejecit in terram.

Pari modo ingentem illam statuam *Nabuchodonosoris*, ex auro, argento, ære, ac ferro fabrefactam, unico lapillo confregit, ut simul *Nabuchodonosoris* superbiam frangeret. Non possunt superbi melius humiliari quam parvis & vilioribus: Sic vesica inflata, unica aciculæ punctione detumescit: Sic inflatio bullæ aqueæ, minimo halitu disparet.

Tantæ arrogantiae erat *Adam* ut se similem fieri posse Deo existimaret, fregit hanc superbiam Deus, cum illi dixit: *Pulvis es & in pulverem revertèris*, quasi diceret: Quid superbis terra & cinis? Nihil hoc pulvere potentius ad inflatos hominum animos edomandos.

Multorum Philosophorum, & ipsiusmet *D. Thomæ* ingenium superavit illa quæstio *Iobi cap. 38. Quis conclusit ostiis mare? quis dixit illi: Huc usque venies, & hic confringes tumentes fluctus tuos.* Procul dubio Deus: Quid vehementius, quid horribilius mari, quando fluctus ejus tumescunt; & sese erigunt pæne usque ad nubes? numquid diceret aliquis opus fuisse aut firmissimis rupibus, aut ferreis postibus, aut æneis muris ad tumorem illum coercendum? nihil minus, non aliud illi Deus objecit quam montes ex arena & pulvere: Huc usque progreditur mare, & ibi ad istum pulverem frangit tumentes fluctus suos.

Quod mare est in fluctibus, hoc homo superbus est in animo: Quid superbis, ô homo! inquit *Petrus Damianus Opusc. 15.* Pulverem cogita, necessario illic rigidæ cervicis tumorem depones, nisi plane insanias.

Ipsi Ethnici ibi superbiam suam depofuère: *Philippus Rex Macedonia* inter luctandum in terram ceciderat, & cum surrexisset, & corporis formam vidisset in pulvere: *Papæ!* inquit, quam parvam terræ partem fortiti, orbem appetimus.

*Severus Imperator Romanus*, jam moriturus urnam ad se deferri iussit, in qua cineres recondendi, & diu contrectans, ac contemplatus, dixit: Tu virum capies quem orbis terræ non capit.

Si hoc gentiles, quid Christiani? Audiamus *Petrum Damianum Episc. 23, cap. 5.* Quando, inquit, apud *Græcos* coronatur Imperator, quidam illi fit obvius qui una manu vasculum plenum ossibus mortuorum, ac pulveribus offerat, aliâ vero stuppam, ut in altero consideret quid sit, in altero videat quid habeat. Quatenus dum se simul ac suæ tam vana tam flocci-pendenda considerat, de imperiali culminis ascenso fastigio nullatenus insolescat. Tum subdit: Quid vilius stuppa? quid aptius sepulchrali pulvere ut pari passu Majestatis sublimitas gradiatur, & conditionis humilitas?

Hujus documentum memor *Imperator Maximilianus* loculum suum circumferre solebat, cumque quotidie præ oculis habens, dicebat: Cogita mori: quid te dilatas & extendis? quem tot Provinciae & Regna non capiunt, hic loculus capiet.

Ergo non magnis opus est ut superbia retundatur, solus pulvis potentissimum ad hoc remedium est.

De facto sic *Pharaonis*, saltem quoad tempus, muscis, & cyniphibus ex pulvere terræ factis, superbia detumuit, ut se Dei præcepto

P p cepto

superbis.

cepto subiceret, & diceret *Moyſi*: *Ite, & ſacrificate Deo veſtro in terra hæc.*

Sed reſpondit *Moyſes*: *Non poteſt ita fieri*: Nos enim Deo noſtro offerimus in ſacrificium oves, vitulos, & boves quos *Ægyptii* habent pro diis, qui ſi viderint nos illos maſtare, lapidibus nos obruent: Itaque ibimus in ſolitudine in viam trium dierum ut ſimus extra oculos, & ibi ſacrificabimus Deo noſtro: Per me licet, inquit *Pharao*, ſed longius ne abeat.

Agit hic *Pharao* ſicut diabolus cum multis hominibus. Primum volebat *Pharao* ut *Israelite* ſacrificarent in *Ægypto*: Hoc non poteſt fieri, inquit *Moyſes*, quia *Ægyptii* nos turbarent & impedirent. Vult quidem nos dæmon orare, ſed in medio ſæcularium curarum animo ſollicitudinibus mundi penitus occupato, inter cogitationes noſtrorum negotiorum, ſed non poteſt hoc fieri, quia illa impediunt & turbant orationem.

2. Volebat quidem *Pharao* ut filii *Israel* abirent in ſolitudinem viam trium dierum, ſed nollebat ut longius abirent, *Ite*, inquit *ſacrificate Deo veſtro*, verumtamen longius ne abeat. Pari modo diabolus, inquit *Origenes Hom. 4. in Exod.* permittit nos quidem abire ut aliqua bona opera faciamus, ſed non longe diſcedere, vult nos eſſe ſibi aliqua ex parte vicinos, vult nos à ſuis finibus non longe recedere. Ita *Origenes*. Quod *Didacus Stella* magis in particulari exponit in cap. 12 *Luca*, his verbis: Sic, inquit, loquitur diabolus ad peccatores, quos captivos detinet, ſicut *Pharao Israelitis*. *Ite ſacrificate Deo veſtro*: Quasi dicat, confitemini, agite pænitentiam, & præterita peccata plangite, ſed ne longe abeat ab occaſionibus, nolite procul recedere ab illa domo, nec ab illo conſortio in quo prius graviter peccaſtis. ut poſſitis eò reverti. Hoc eſt quod *Origenes* ait: Vult diabolus nos ſibi eſſe vicinos, ut tanto facilius nos retrahat ad antiqua peccata, quando enim aliquis non longe ab occaſione diſcedit, trahit adhuc poſt ſe peccati reliquias quasi curam quam diabolus tenet, & quamvis laxam relinquat, facillime illam poteſt retrahere, plane ſicuti puer qui habet aviculam firmè affixam Cruci, ſinit illam volare in aëra, ſed quamdiu habet firmè in manu, unico nolæ tinnitu, vel ſibilo aviculam revocat. Si vero avicula fracto fune longe avolarit in campos, ſalva eſt, evaſit.

Noverat hoc *S. David*: Fuerat hic aliquando ſub ſervitute diaboli, quando peccarat cum *Bethſabée*, & occiderat innocentem

Occaſiones  
fugiendæ.

ipſius maritum: Quid fecit? *Elongavi*, inquit *Pſal. 54. fugiens, & mansi in ſolitudine*. Fugi, quo? non ad loca proxima occaſionibus, ſed *elongavi*, longiſſimè fugi, & *mansi in ſolitudine*, procul extra omnem occaſionem & periculum, & ibi fui ſecurus. Hinc quando Angeli ducebant *Loth* cum uxore ex *Sodomis*, expreſſe illi imperabant, ut non ſtaret in omni circa regione vicina tam impiæ civitatis, ſed longe abiret in montem, nec enim vere pœnitens eſſe poteſt, qui ab occaſionibus non recedit tam longe quam poteſt.

Dixerat ergo *Pharao*: *Ite, ſed longius ne abeatis*, & addidit: *Orate pro me: Et egreſſus Moyses à Pharaone, oravit Dominum, & abſtulit muſcas à Pharaone, non ſuperſuit ne una quidem*. *Pharao* videns ſe liberum à vexatione, iterum induravit cor ſuum, & noluit dimittere populum.

## DISCURSVS XIV.

## De quinta, ſexta, &amp; ſeptima plaga.

Quo *Pharao* magis magiſque obdurabatur, & obſtinatior evadere, eo Deus majores plagas immittebat: Ergo ruruſum mittit *Moyſen & Aaronem* ad illum, & jubet illi dici: *Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum: Dimitte populum meum ut ſacrificet mihi. Quod ſi adhuc renuiſ, & retines eos: Ecce manus mea erit ſuper agros &c.*

Jam non dicit, manus *Moyſis* vel *Aaronis* erit ſuper agros, ſed *manus mea*: Non jam faciam hæc vice Miraculum miniſterio hominum, vel alicujus alterius instrumenti, ſed per meipſum.

Volebat Deus omnibus modis potentiam ſuam oſtendere, & ſimul ſapientiam. Hæcenus mirabilia fecerat per *Moyſen & Aaronem*, ſi omnia per ipſos feciſſet, forte pro diis habiti fuiſſent, ſicuti *Lycræſes* putabant *Paulum & Barnabam* eſſe Deos quia viderant eos feciſſe Miracula. Si omnia per virgam *Aaronis* feciſſet, ſuſpicari potuiſſent *Egyptii* aliquam virtutem magicam latere in virga: Ergo jam ego, inquit, per meipſum ſolo verbo Miraculum illud faciam quod mox ſequetur niſi te emendes, videbo quid ſis facturus, propterea dabo tibi tempus, & expectabo in craſtinum.

Et quod erit illud Miraculum quod Deus ipſemet faciet? proculdubio horribilius cæteris. Audite. *Erit*, inquit, *peſtis valde gra-*

vis super equos, & asinos, & camelos, & oves, & boves. Sed cum Pharaon hæcce minas non curaret, & persisteret in sua pertinacia, altera die, inquit Scriptura, mortua sunt omnia animantia Ægyptiorum, scilicet quæ tunc erant in agris, & addit Scriptura: *De animalibus vero filiorum Israel nihil omnino periit.*

Propterea dixerat prius Pharaoni Moyses: *Faciet Dominus mirabile, quid illud? Vestra animalia morientur, & ex animalibus filiorum Israel, quamvis habitent in medio Ægyptiorum, nullum peribit.* Vere mirabile! quod Deus inter medios impios, eximat iustos à pœna, & cum severe exercet iustitiam suam, etiam miscet misericordiam suam: Hoc est quod olim dixit Propheta *Habacuc cap. 3: Cum iratus fueris, misericordia recordaberis,* & S. Propheta *David Psal. 59: Dediti metuentibus te significationem ut fugiant à facie arcum, ut fugiant dilecti tui.*

Quot habemus hujus rei exempla in Scriptura? Aperuerat Deus omnes cataractas cæli, ut quadraginta diebus ac noctibus plueret super terram, impiosque sub aquis generali diluvio submergeret: Unus erat inter omnes justus Noë cum sua familia, huic dedit significationem ut effugeret mortem, dicens: *Ingrede te, & omnis domus tua in arcam, & ibi servaberis, te enim vidi justum coram me.*

Volebat Deus impias illas civitates *Sodomam & Gomorrhã*, flammis de cælo totas redigere in cineres, quod cum per Angelos suos indicasset *Abrahamo, Domine,* inquebat *Abraham: Numquid perdes justum cum impio? non est hoc tuum, qui judicas omnem terram, nequam facies iudicium hoc. Abraham esto securus, noli timere, non faciet Deus hoc: Unus ergo Loth cum familia sua, erat justus in tota Sodomã. Dedit illi Deus significationem, ut fugeret, & mortem evaderet, misitque Angelos suos ut dicerent *Loth: Egredere hinc, & salva animam tuam, & in monte salvum te fac, ne & tu simul pereas.**

Volebat Deus, *Core, Dathan & Abiron,* rebelles Deo & Moysi, disruptã sub pedibus terra vivos descendere in infernum, dedit innocentibus significationem ut fugerent, iussit enim *Moysen,* magna voce proclamare: *Recedite à Tabernaculis impiorum, ne involvamus in peccatis eorum.*

Vere, clamat *David: Mirabilis Deus in sanctis suis,* & hoc est quod *Moyses Pharaoni* dicebat: *Faciet Dominus mirabile, dum enim te &*

*Egyptios tuos gravissime puniet, filios Israël, qui sunt in medio vestrum, liberabit à pœna, vestra enim animalia morientur, & nullum illorum peribit: Ergo mirabilis Deus in Sanctis suis.*

Procefferant quinque reges *Amorrhæorum* in campum pugnaturi contra filios *Israël*. Pugnatum est. Sed pluit Deus de cælo magnos lapides super impios, & cum filii *Israël* starent in eadem planitie, à lapidibus intacti mansere. Mirabile.

Procefferat contra eisdem *abin* rex *Chanaanæorum*, sed pluit Deus ingentem grandinem super exercitum ejus, *Israelitas* vero tempestas non tetigit. Mirabile.

Sic verum est quod ait Propheta *Habacuc*: Cum iratus fuerit Deus, semper misericordiæ recordatur, dum enim justitiam exercet in impios, misericordiam exercet in justos.

Ergone, inquires, numquam Deus justos plectit cum impiis? numquam: Quomodo ergo totas civitates, & provincias vel bellum vastavit, vel pestis absumpsit? est ne credibile quod nulli illic essent justis? erant procul dubio, & fortasse quamplurimi: Ajo tamen rursus, numquam justos puniri cum impiis, sed virtutem illorum tentari & exerceri, adeoque numquam Dei justitia punit, quin simul Deus ostendat suam misericordiam, quod enim est justitia impiis, hoc justis est misericordia: Idem quidem malum & impios invadit & justos, sed impios ut plectantur, & sæpe pereant in æternum, justos, vero ut exercentur, & vivant æternum.

Sed quid actum est *Pharaoni* cum videret tot animalia mortua? nihil: Mansit enim æque obstinatus ut ante: Ergo sexta plaga secuta est.

*Dixit enim, inquit Scriptura, Dominus ad Moysen & Aaron: Tollite plenas manus cineris de camino, & spargat illum Moyses in calum coram Pharaone, & erunt in hominibus & jumentis ulcera & vesicae turgentes in universa terra Egypti.*

Ita factum est, & non poterant, inquit Scriptura, malefici stare coram Pharaone propter ulcera quæ in illis erant.

Nec ista plaga potuit mutare cor *Pharaonis*: Ergo Deus, propter tantam obstinationem, magis iratus quam ante, jubet hæc illi denuntiari per *Moysen*: *Adhuc retines populum meum, & non vis dimittere eum post tot plagas quas expertus es, & tot mirabilia quæ vidisti? bene habet: Ego jam mittam omnes plagas meas super cor tuum, & super servos tuos, & super populum tuum, ut scias quod non sit similis mei in ter-*

ra, percutiam te & populum tuum peste, & peribis de terra.

Tamen non fecit hoc Deus, quapropter minæ fuerunt ut tanto magis *Pharaonem* tereret, & ostenderet, se illum jam pridem peste, aliisque plagis interficere potuisse si voluisset, sed noluisse, ut ostenderem, inquit, in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terra, hoc est, ut aliæ, nationes omnes discerent non esse alium Deum præter me. Poterat Deus, inquit *D. Ambrosius*, *Serm. 18 in Psal. 118*, *Pharaonem* voluntati suæ facere obedientem statim, sed noluit, quia ejus poenâ omnes voluit emendari.

Hinc apparet Deum plura posse, quam velit facere, ut doctissime observavit *Tertullianus* contra *Praxeam* hæreticum, qui sic argumentabatur; nihil est difficile Deo, hinc concludebat quæsi Deus hoc vel illud de facto fecisset, quia poterat facere. Cui respondet *Tertullianus*: Non est inquirendum an potuerit facere, sed an fecerit. Potuit Deus homini alas dare ut volaret, quod avibus præstitit, non tamen quia potuit, ideo fecit. Poterat *Christus*, ut ipse met ait, Patrem rogare in horto ut sibi submitteret plusquam duodecim legiones angelorum, non tamen rogavit. Potest omnes peccatores eodem quo peccant momento in infernum præcipitare, tamen non facit, sic & poterat *Pharaonem*, vel unica plaga, vel unico verbo, vel sola voluntate, statim occidere, non tamen fecit, quia volebat in illo toti mundo ostendere fortitudinem suam atque potentiam.

Duplicem potentiam distinguunt in Deo Theologi, unam quam ordinariam vocant, aliam extraordinariam. Ordinaria est qua naturam à se creatam sibi relinquit, ut agat juxta vires ac proprietates quas cuique creaturæ concessit. Hanc proprietatem indidit Soli ut quotidie moveatur ab Oriente ad Occidentem, totumque mundum illuminet, hoc agit sol sicut à Deo creatus est. Grano tritici indidit vim ut producat *Triticum*, propterea non producat fabam, nec cerasus producit poma vel pyra, nec pyrus aut pomus producit nuces, sed ut dicitur *Genes. cap. 1*. Creavit Deus arbores facientes fructum, sed unamquamque juxta speciem suam, & juxta semen quod illis imprefferat. Sic denique unumquodque elementum habet suam definitam vim & qualitatem suam juxta quam operatur, prout est creatum à Deo, ut auctore naturæ.

Et hæc est ordinaria Dei potentia, qua naturæ suum cursum permittit.

Et

Extraordinaria vero est, quæ præter communem & usitatum naturæ cursum operatur, dum proprietates creaturis innatas vel immutat, vel suspendit: Sic fecit, quandò aquæ maris rubri & *Jordanis* divisæ steterunt murorum instar immobiles, quando sol stetit tempore *Iosue*, quando retrogressus est tempore *Ezechie*, quando ferrum natavit super aquas tempore *Elisei*, quando ignis non combussit socios *Danielis* tempore *Nebuchodonosoris*.

Sunt alia multa & innumera quæ Deus per absolutam suam potentiam facere potest, & tamen numquam fecit, aut faciet. Potest ex lapidibus, inquit *Christus*, facere filios *Abræ*, camelum per foramen acus transire, tot soles & lunas creare quot stellas, tot mundos quot homines, ut homo senex iterum ingrediatur in uterum matris suæ, & renascatur, ut quidquid in cælo & in terra est, redigatur ad nihilum.

Denique noluit Deus hac sua absoluta potentia uti erga *Pharaonem*, statim ab initio, & illum totamque *Aegyptum*, servatis filiis *Israel*, redigere in cineres, atque ita filios *Israel* liberare, sed noluit, quia idcirco, inquit *Pharaoni*, ego servavi te, & posui te regem *Aegypti*, ut ostenderem in te fortitudinem meam.

Quid, inquiet aliquis, an Deus hominem tam impium statuit regem? miraris? malum quidem fore sciebat, sed ipse malum non fecit: Quod enim malus erat, & tam obstinatus, habebat à semetipso, quod autem, cum esset malus, ad regnum ascenderit, providentia Dei fiebat, non ut faceret malum, sed ut per mala, quæ ipse sponte & liberè faciebat, bonos exerceat: Hoc est quod ait *D. Augustinus in Psal. 54*. Ne putetis, inquit, frustra malos esse in hoc mundo, & nihil boni de illis agere Deum: Omnis enim malus, aut ideo vivit ut corrigatur, aut ideo vivit, ut per illum bonus exerceatur.

Rursum, inquit in *Enchiridio cap. 18*. Deus cum sit summè bonus nullo modo permetteret mali esse aliquid in operibus suis, nisi usque adeo esset omnipotens & bonus, ut beneficeret etiam de malo, sicque omnia quæ permittit vel immittit, ordinat, quandoque in aliquod bonum ejus, in quo est malum, quandoque alterius, vel ad bonum universi: Sicut sævitiam tyrannorum ad martyrum probationem, & damnatorum pœnas ad gloriam justitiæ suæ disponit: Culpam *Adæ*, ad gloriam misericordiæ suæ ordinavit. Et, quod mirabilius est, diabolo ipse utitur ad tentandum, & de

crude-



crudelissimis Tyrannis flagellum facit quibus boni emendentur. Nam ea est mirabilis ipsius Dei bonitas, qua etiam bene utitur malis angelis, ad profectum bonorum, ut cum ipso vitio suo sint mali, & bonis operibus ejus malè utantur, ille de malo illorum bene faciat.

Exemplum clarum est in Pharmacopolis: Miscent illi venena in potionibus: Non ipsè venenum fecerunt, sed eo quod habent à semetipsis utuntur ut bene faciant agris. Sic ut Deus bene faciat bonis, utitur hominibus malis, & diabolo, non quos ipse malos fecit, sed qui seipsos malos fecerunt.

Postquam ergo *Moyfes Pharaonem* prius aggressus fuerat minis, & videret illum non admodum commoveri, tunc dixit illi ex parte Dei: *Ecce, pluam cras hac ipsa hora, grandinem multam nimis, qualem non fuit in Aegypto à die qua fundata est usque in praesens tempus.* Qualis fuerit illius grandinis magnitudo, conjectare non possumus ex Scriptura, nisi quod dicat quod cuncta quae fuerunt in agris, & homines & jumenta, & omnem herbam, arboreisque percusserit, ac vastaverit per totam *Aegyptum*, & quod fuerit grando magna nimis, quod *Hebraicè* significat insolitae atque extraordinariae magnitudinis. Quare non mirarer, si fuerit instar humani capitis, sicuti dicit *Olaus magnus lib. 1. cap. 22* in Septentrione aliquando pluuisse, vel tam magnam ut singulae ponderarent viginti octo libras, quales *Ludovicus Colavitellus* narrat pluuisse in agro *Bononiensi* mense *Augusto*, Anno 1537. Saltem ad magnitudinem ovi gallinacei, qualem idem auctor testatur cecidisse *Cremona* die 5 *Augusti*, anno 1514.

Accedebant ad majorem terrorem, horrenda tonitrua, fulgura, & ignes grandine mixti discurrentes super terram, adeo ut singulis momentis putarent *Aegyptii* se ad singulos ictus percipientes.

Tria ergo elementa in hac plaga saevierunt in *Aegyptios*, aer per tonitrua, aqua per grandinem, ignis per fulgura. Denique *orbis terrarum*, inquit sapiens *Sapient. cap. 5* pugnabat pro Deo adversus insensatos, & omnis creatura armabat se adversus impios.

Neceffe fuit ut illa fuerint valde horrenda, quandoquidem *Pharaon*, quod numquam fecerat prius, agnovit culpam suam, dicens: *Peccavi, Dominus justus, ego & populus meus impius: Orate Dominum ut desinant tonitrua & grando.* Oravit *Moyfes* Deum & plaga cessavit.

cessavit: Ubi hoc *Pharao* vidit: Magis induratum fuit cor ejus quam ante, & noluit dimittere populum *Israel*.

Quis non obstupescat quando hæc audit? post tot, tamque horribiles plagas, adhuc magis obduratus persistit *Pharao*? Merito clamat Propheta *David*: *Quid est homo quod memor es ejus, aut filius hominis quia apponis erga eum cor tuum?* Obedierat Deo aqua cum versa fuit in sanguinem, obedierant paludes & fluvii quando produxerant ranas, obedierat pulvis terræ quando produxerat *Cyniphes*, obedierat aër quando totum *Agyptum* replevit muscis, quando intonuit, pluit grandinem, obedierat ignis quando evomit coruscationes & fulgura, & *Pharao* cum suis reluctatur Deo, nec volunt obedire, & dignatur Deus adhuc talium hominum meminisse?

Quod si totam rerum naturam inspicias, non invenies vel unicam creaturam quæ Deo oblectetur præter solum hominem.

Venerat *Ezechiel* in campum ossibus mortuorum plenum, non erat spiritus in eis, nec succus, nec cutis: Clamavit *Ezechiel*: *Ossa arida audite verbum Domini*, & state in pedes: Audierunt verbum Domini, & revixere: Ecce mors ipsa obtemperat Deo.

Ad imperium Dei, cum orbem conderet, in quas formas sese effinxere elementa? Ubi vox illa Domini audita est: *Germinet terra*; in ictu oculi, hinc myrtus erupit, inde lilia, hinc *Platanus* sua folia expandit, inde *Cedrus* erexit se supra cæteras omnes arbores: Ubi vox illa insonuit: *Producant aqua reptile*, & volucres cæli, mox maria omnia fluviique piscibus, & aër avibus repleta fuere.

Quid magis furibundum quam mare? ebullientis furorem vel ipsi montes expavescunt, naves haurit, evomit balænas monstrilla ingentia, tollit fluctus usque ad nubes, ululat, fremit, quanto impetu pulsar littora, & tamen ubi montes illos arenaceos attigerit, frangitur impetus, resilit, ceditque arenis: Unde hoc? obtemperat Deo, qui illi dixit ab initio mundi, ut ait *Iob cap 38. Usque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes iumentes fluctus tuos*. Una Domini vox suffecit ut tot annis ac seculis obedierit Deo, & porro obediet dum stabit mundus.

Imperat Deus *Moyse Numeror. cap. 20*, ut loquatur ad petram, & illa, inquit, dabit aquas; loquitur *Moyse* ad petram, & illa audit, &

& obtemperat, funditque aquas instar torrentium qui se diffundunt per totam solitudinem.

Et quid mirabilius quam quod narrat Scriptura *Iosue cap. 10*. Dixit *Iosue*: *Sol, contra Gabaon ne movearis, & luna contra vallem Ailim, & steterunt Sol & Luna*. Ecce quam paucis verbis opus erat ut rapidissima illa luminaria sisterent cursum suum & obedirent voci *Iosue* ex parte Dei imperantis.

Mittit Deus, inquit *Iob cap. 38*, fulgura sua, & eunt, & revertentia, dicunt adsumus, parata ad toties obtemperandum Deo, quoties iusserit.

Omnia denique, etiam sensu ac ratione carentia, vocem Dei audiunt, & obediunt, solus homo surdus est, & reluctatur.

Expirante Domino scinduntur rupes, tremat terra, sol & caelum atratas induunt vestes ad clamorem *Christi*: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum*, & nullus *Iudeorum* se movet, aut movetur.

Miserat *Christus Petrum* ut caperet piscem in cuius ore inveniret staterem quem solveret pro tributo: Ivit *Petrus*, & piscis audivit verbum Domini quod dixerat ad *Petrum*.

Interea tam surdus fuit *Iudas*, ut nec ad *Christi* monitiones, nec minas attenderet.

Quoties viderant filii *Israel* obtemperantes Deo nubes cum pluerent manna, & conturnices & ipsi tamen vix spatio quadraginta annorum vocem Domini audierunt: Quid dico audierunt? imo & spreverunt.

Sed adeamus *Babylonem* & *Mesopotamiam*: In *Mesopotamia* invenimus *Labanum* avunculum *Jacob*, in *Babylone* fornacem ardentem: Hic videbimus tres socios *Danielis*, juvenes illos principes, medias inter flammam stantes illæsos, dicit enim Scriptura *Dan. cap. 3*. *Non tetigit eos omnino ignis*: In *Mesopotamia* vero audiemus *Labanum* jurgantem cum nepote suo *Jacob*: Dixerat tamen illi Deus: *Certe ne loquaris contra Jacob quidquam durius, non curavit, quia non obstante Dei mandato, furem appellavit Jacob, cur, inquit, furatus es Deos meos*: Ecce hominem igne ferociorem: Ignis Deo obtemperat ut non comburat, & *Laban* Dei voci obedire non vult, ut non loquatur durius verbum ad *Jacob*. Flammæ vertuntur in rorem ut Deo obtemperent, & *Laban* mutatur in furiam, ne Deo obedi-

Sic Deus non potuit impetrare à *Cain* ut non occideret fratrem, & impetravit à *Cete* ut servaret *Jonam*, mitius fuit monstrum, quam frater.

Denique, ut paucis absolvam, non tantum faxis & brutis furdior homo, sed etiam ipso dæmone obstinatio ut obtemperet Deo. Patet hoc ex *Luca cap. 11*, ubi dicitur. *Cum Christus eiecisset dæmonium, locutus est mutus: Quidam autem dixerunt: In Beelzebub principe dæmoniorum eiecit dæmonia.* Dæmon obedit, & egreditur, *Pharisæi* blasphemant, & nolunt credere.

Hinc toties, potissimum contra *Judeos*, omnesque ejusmodi homines, exclamavit Deus: O generatio prava, populus duræ cervicis, exasperans Deum, rebelles, & increduli, ego abjiciam vos, quia vocem meam non vultis audire: Interea adhuc audetis clamare, Pax, Pax? & ego dico non est pax impiis: *Quis enim*, inquit *Iob Cap. 9*, *restitit Deo, & pacem habuit?* Restitit *Lucifer*, & cum tot millibus angelorum præcipitatus est in abyssum inferni: Restitit *Adam*, & eiectus est paradiso inter omnes misérias: Restitit *Coe*, *Dathan*, & *Abiron*, & terra illos vivos deglutiit: Restitit *Pharao*, & tandem cum toto exercitu, in mare demersus est.

Ideo clamat *David Psal. 94*. *Hodie si vocem Domini audieritis, nolite, obdurare corda vestra sicut in exacerbatione secundum diem tentationis in deserto, ubi me tentaverunt patres vestri, viderunt opera mea, & tamen non cognoverunt vias meas, propterea juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam.* Qui ejusmodi verbis ac minis non excitatur, non dormit, sed mortuus est.

## DISCURSUS XV:

### De octava & nona plaga locustarum, & tenebrarum:

**I**am septima plaga grandinis, fulgurum, ac tonitruorum cessaverat, quando *Pharaone* persistente in pertinacia sua, successit octava, quam ita describit Scriptura: *Introjerunt Moyses & Aaron, missi à Deo, ad Pharaonem, & dixerunt ei: Hec dicit Dominus Deus Hebræorum: Usquequo non vis subjici mihi? dimitte populum meum ut sacrificet mihi: Sin autem resistis, & non vis dimittere eum: Ecce inducam cras locustam in fines tuos, ut comedatur quod residuum fuerit grandini, corrodes.*

corrodet enim omnia ligna que germinant in agris, erunt innumerabiles, & implebunt domos tuas, & seravorum tuorum, & omnium Aegyptiorum.

Tunc tandem aperuerunt os suum, qui nunquam verbum locuti fuerant prius, aulici Pharaonis, & dixerunt: Dimitte homines istos, ut sacrificent Domino Deo suo: Nonne vides quod perierit Aegyptus?

An fortasse magis timebant hanc plagam quam reliquas? facile credidero: Quia tam mirabilia lego apud varios auctores de locustis ut vix audiri possint sine horrore.

Adeo ut *Plinius* scriptor *Lib. 11. Natural. Hist. cap. 29.* Locustas vocet iræ deorum ministros, & cæleste frugum vinearumque malum.

Lego apud *Augustinum Lib. 3. de Civit. cap. 31.* sub Consulibus *Romanis Plaucio Hypsæo, & M. Fulvio Flacco*, tantam fuisse in *Africa* multitudinem locustarum, ut consumptis fructibus, foliisque omnium arborum, tandem dejectæ fuerint in mare, quibus mortuis, redditisque littoribus, atque hinc aëre corrupto, tantam ortam fuisse pestilentiam, ut in solo regno *Massinise* extincta fuerint octingenta hominum millia.

Tunc quoque, ut ajunt *Livius & Orosius*, *Vitæ* ex triginta millibus *Præfidiariorum Romanorum* non remanserunt nisi decem.

Anno vero quo *Cajus Popilius, & Publius Aelius* consules erant, tam densæ locustarum nubes à mari vento repente delatæ sunt in *Apuliam*, ut late undequaque agros operirent, omniaque vastarent. *Missus in Apuliam C. Sisinus* prætor ut pestem illam averteret, cum ingenti hominum manu multum temporis impendit ut eas colligeret.

Anno 874 invasere locustæ *Galliam*, quæ instar magni exercitus turmatim volantes, postquam omnia corrupissent, tantam ruinam intulere, ut illis flatu ventorum demersis in mare *Byzantium*, tanta exsurrexerit pestis & fames ut pœne tertiam hominum partem extinxerit.

Sive ergo principes *Pharaonis*, cum audirent venturas locustas, plagam hanc præ cæteris timuerint, sive in conscientia moti propter suam, regisque sui obstinationem, optimum dederunt *Pharaoni* consilium ut sineret filios *Israel* cum *Moyse & Aarone* abire.

Dicit

Dixit ergo Pharaos Moysi & Aarons: *Ite, sacrificate Domino Deo vestro, sed, dicite mihi prius: Quinam sunt qui ituri sunt?*

Respondit Moyses: *Per gemus cum parvulis nostris, & senioribus, cum filiis & filiabus, cum ovibus & armentis, est enim solennitas Domini Dei nostri.*

Nulla modo, inquit Pharaos, non fiet ita, sed ite tantum Viri, sacrificate Domino; statimque eiectione sunt de conspectu Pharaonis, hoc est, juxta Hebraicum modum loquendi, jussi sunt abire ex aula.

Hoc ego non miror. Nam ut ait D. Hieronymus in 22 Jerem: Quamvis proprium Regum aliorumque magnatum officium sit, facere judicium atque justitiam, & vi oppressos liberare de manu calumniantium, & desque suas facere refugia pro pupillis ac viduis, qui facile à potentibus opprimuntur, iisque præbere auxilium; passim tamen miseri & afflicti inde arcentur, ut nec illas ingredi, nec videri, nec audiri possint. Patent gæconibus, assentatoribus, comædis, servis autem Dei afflictis ac lugentibus vix datur aditus: Sic Sacerdotes idoli Baal comedebant de mensa Iezabelis Reginae, Elias vero zelosissimus veri Dei cultor, fame peribat in deserto Aula Pharaonis plena erat maleficis, Moyses & Aaron inde ejiciuntur.

Sed videamus quam consequentiam faciat Moyses dum à Pharaone rogatus quinam ex filiis Israel essent abituri? omnes inquit: Sic enim argumentatur: *Solennitas Domini Dei nostri est: Ergo omnes parvuli & seniores & filii, & filia nostræ debent nobiscum abire ad sacrificium, nemine prorsus excepto.*

Optima consequentia quam altè impressam oporteret parentibus, dominisque familiarum ampliarum. Ille meretur nomen Patris-familias, qui, dum solennitas Domini est, non fert se ibi esse præsentem nisi cum omnibus suis totius familiae: Nolebat Moyses abire ad celebrandam solennitatem Domini, & Deo sacrificandum, nisi illam comitarentur & parvuli, & seniores, & filii, & filia, & hanc unam adferebat rationem, *quia solennitas Domini est*, quasi grata illa non posset esse solennitas Deo, ubi non omnes adessent, non tantum filii & filia, sed etiam usque ad minimum puerum, & servum.

Huc spectat quod olim Deus præcepit Israelitis Deuteron. cap. 16, dicens: *Septem diebus Domino Deo festa celebrabis in loco quem elegerit Dominus: Et ut Græcus textus habet apud Origenem: Epulaberis in, & filius tuus, & filia tua, & servus tuus, & ancilla tua, & advena*

Parentes  
præant sim-  
liu exem-  
plo.

qui est in te, & egenus gentis tuae. Itaque in pia familia nullus debet relinqui, nullus excludi, qui non participet de devotione ac pietate, quando agitur solennitas Domini.

Ad hoc nos hortatur *Origenes lib. 1 in Job*. Ita debemus, inquit, etiam nos, ô amici, in diebus festis nostris, atque in jucunditatibus, non solum hoc respicere quomodo nos soli epulemur, atque jucundemur, sed hoc præsertim debemus intendere, ut epulentur nobiscum, & celebrent diem festum, servi nostri, & ancillæ, & filii, & filiæ, & omnes domestici, tunc pro certo scito quod vere celebrabis festum Domino Deo tuo.

In hanc rem adfert exemplum *Job*, qui quotidie diluculo surgens offerebat sacrificium Deo, sed volebat omnes filios & filias & servos interesse, ut tota familia sacrificii particeps foret.

Non ibat solus *Job*, inquit *Origenes*, ad sacrificium, ne solus ipse mundaretur, & reliqua familia præsertim liberi, manerent immundi, quod bonus Pater aut Mater familias nullo modo debent, nec possunt permittere, nec filios relinquere in vitiis, quando ipsi virtuti operam dant.

Itaque dum magna aliqua solennitas Domini est, vel sanctissima ejus Matris. V. G. vel Pascha, Pentecostes, Corporis *Christi*, Nativitatis &c. tota familia vel debet præire, vel comitari, vel sequi, parentes, & heros, ad illa festa celebranda, præsertim Confessione ac communione: Propterea *Christus* cum institueret V. Sacramentum voluit omnes discipulos suos simul, secum accumbere mensæ, nullo relicto, nullo excepto, ne quidem *Juda*.

Quod animadvertit *D. Chrysostomus Hom. 27 in Corinth. cap. 11*. Illa cæna, inquit, communiter omnes habuit inclusos: Magister cum omnibus discipulis accumbit, neque proditor ejectus, sed cæna illius factus est particeps. Hinc conjicere licet quis faciat Pascha Domini, & cænam illam vere & debite celebret: Si enim quis cælesti mensæ accubiturus, facit ut nullus sit in familia, qui non affideat simul, vere celebrat Pascha Domini. Verum si alii domestici absunt, præsertim filii, & filiæ, diceret *D. Paulus*, hoc non est vere cænam Dominicam manducare.

Hinc testatur *D. Gregorius Nazianzenus Orat. 19. de Matre sua*, quod cum esset conjugata viro infideli, nullam haberet majorem causam doloris, quam quod maritus secum non iret ad Templum ad celebrandas Domini solennitates, & communicandum. Sustinebat

inquit, cum diversæ religionis homine jugum ducere. Verum hoc unum a quo animo ferre non poterat, se dimidia tantum ex parte Deo copulari. Hoc intolerabile religiosa illa fœmina existimabat, quod Deo sacrificatura, ille in vitiis permaneret, dum ipsa curreret ad Dominum, & ad mensam Corporis Christi.

Interea excitavit Deus ventum urentem, tota die ac nocte, qui detulit, sparsitque per totam *Ægyptum*, locustas, inquit Scriptura, innumerabiles, quæ omnem herbam, & quidquid erat viride absumpserunt, vastantes omnia.

Pharao hoc videns, vocavit ad se *Moysem & Aaron*, & dixit eis: *Peccavi, sed dimittite mihi peccatum hac vice, & rogate Dominum ut auferat à me mortem istam.* Oravit Deum *Moyse* & plaga cessavit, & Pharao iterum rediit ad suam solitam pertinaciam.

Ergo processit Deus ad alteram plagam, & dixit ad *Moysem*: *Extende manum tuam in celum, & sint tenebra super terram Ægypti tam densa ut palpari queant.*

Fecit *Moyse* quod jusserat Deus, & facta sunt, inquit Scriptura, tenebrae horribiles in universa terra Ægypti tribus diebus: Nemo vidit fratrem suum, nec movit se de loco suo in quo erat.

Merito vocat Scriptura has tenebras horribiles. 1. Quia tam densæ erant propter densitatem nebularum, nubium, & crassos vapores ut palpari possent. 2. Quia durabant tres dies & noctes. 3. Quia erant per totam *Ægyptum*. 4. Quia *Ægyptii* non videbant se invicem, nec movebant se lecto, nec loco alio ubi stabant, quasi omnes, inquit *Sapiens Sap. cap. 17* alligati essent ad unam catenam. 5. Quia non audebant loqui, vel comedere. 6. Quia inter illas tenebras audiebant horribiles sonitus, & videbant per flammam subinde intermicantes, spectra & monstra terrificam, quæ illos tantum non exanimabant: *Apparebat enim illis, inquit Sapiens, subitaneus sequis timore plenus, & timore illius percussus aestimabant deteriora esse quæ videbantur.* Denique ex remorsu malæ conscientia omnia pavebant, & horrebant, etiam, minimum strepitum cadentis aquæ vel lapidis, minimum sibilum venti inter folia arborum, etiam cantum avium, hæc enim, & multa similia putabant conjurasse in necem suam. Et quod miserrimum erat, tam densæ tenebræ erant, ut nullo lumine, ut *Sapiens* ait, se possent juvare, frustra accendebant candelas, frustra accendebant ignem, non poterant ardere propter densitatem vaporum ac nebularum: *Nec siderum limpida flamma,*



*flamma, nec solis fortissima lux, illuminare poterant noctem illum horrendam.*

Cumque post triduum jam cessantibus tenebris Pharo vocasset Moysen & Aaronem, dixit eis: *Ite sacrificate Domino, oves tantum vestra & armenta remaneant, parvuli vestri eant vobiscum.*

Respondit Moyses: Non ita: *Cuncti greges ibunt nobiscum, non remanebit ex eis unguia.* Hoc mirum, quod Moyses ne unguam quidem unius ovis aut bovis, cum discederet ex *Egypto*, ibi vellet relinquere: Quid enim tanti referebat, aut quid damni inde poterat pati, si res tam inutilis & nullius omnino momenti, ibi remansisset?

Tamen hoc non est mirum si inspiciamus sensum huius loci moralem. Hic enim discessus Moysis ex *Egypto* & servitute Pharaonis, adumbrabat exitum peccatoris vere pœnitentis ex servitute diaboli per Confessionem & Contritionem, qui si vere pœnitens est, & vere dolet de peccatis, ne minimum quid relinquet in manu diaboli quo rursus pertrahi possit ad peccatum.

Peccatoris  
converso.

Audiamus de hac re discurrentem *Didacum Stellam*, auctorem egregium in *cap. 11 Luca*. Si, inquit, pœnitentiam egeris, & dolueris de peccato commisso cum concubina, ne aliquid ipsius retineas, non monile, neque annulum, quæ possint in tuam mentem & cogitationem iterum eam adducere: Nam si aliquod vestigium manserit, attendere debes illum esse hamum, quo te dæmon vult capere, & iterum in servitutem suam redigere: Non solum peccatum è domo tua debes ejicere, sed etiam omnia illa quæ ipsi deserviunt, denique omnem memoriam & vestigia, quæ illud representare possunt: Ita ut tota domus omnium peccati reliquiarum munda permaneat.

In hanc rem adfert quod contigit *D. Petro* cum è carcere liberetur ab Angelo. Carcer significabat statum peccati mortalis; catenæ quibus *Petrus* vinciebatur, significabant ipsa peccata. Super hoc sic discurret prædictus auctor: *D. Petrus* cum esset in carcerem *Herodis* detrusus, dixit ei Angelus: *Præcingere, & calceate caligas.* Prius jubet illum induere vestes ut illum deducat è carcere, hoc bene, sed cur etiam calceos? quia illi non erant tales, qualibus mundus amens & vanus nunc utitur, ubi dicas quod ars materiam superaret. Sed hoc vult Deus ut ita è carcere peccati exeat ut ne detritos quidè ibi calceos relinquant: Nam si *D. Petrus* calceos in carcere reliquisset, forsitan rediisset ut eos secum ferret, vel saltem memoria

memoria eorum poterat desiderium excitare ut ad carcerem rediret. Sic qui perfectè & absolutè vult exire de statu peccati, non potest vel unquam, vel umbram, vel scintillam, vel fomitem peccati jam condonati relinquere in manu diaboli, ne ipse inde occasionem arripiat te reducendi ad antiqua peccata; nec enim magnis opus est ut hoc faciat, unus fomes sufficit ut rursus ignem accendat, una scintilla ut excitet magnum incendium, una ungula ut te rursus arripiat, & sub pedes suos coniciat.

Progreditur idem Auctor, & ait: Nec pulvis quidem peccati manere debet, sed omnia comminuenda, & oblivioni tradenda: Ideo dicit *Jeremias* Propheta: *Effunde sicut aquam cor tuum in conspectu Domini*: Sicut aquam, inquit, non sicut mel, oleum, aut vinum.

Nam quando ista effunduntur, semper remanet aliquid in vase, saltem odor: Nihil simile reperies in aqua, hæc enim cum effusa fuerit, nihil aut saporis, aut coloris, aut odoris in vase reperies: Ideo dicit Propheta ut effundamus corda nostra coram Domino, ut nec præteriti peccati memoria, nec vestigium, nec umbra in nobis remaneat, nam qui amorem sæculi, & peccati reliquias apud se retinent, effundunt cor sicut mel, oleum, aut vinum, è quibus semper aliquid remanet.

Celebris est illa historia quæ describitur *lib. 2 Reg. cap. 23*. Cum esset *David* in castris, & sitiret, exclamavit: *O si quis mihi daret partem aquæ de cisterna quæ est in Bethlehem, juxta portam!* audiverunt hoc tres fortissimi Viri, & abierunt ut aquam istam haurirent, sed cum manifesto vitæ periculo, quia debebant transire per media hostium castra, & perrumpere illorum hastas & gladios; cumque aquam obtulissent *David*, quam tantopere desideraverat, & illi milites tanto cum labore, & periculo hauerant, noluit illam bibere sed effundens libavit eam Domino. Quare hoc respondet *S. Eucherius* in *2 Reg. cap. 11*: Qui concupiscere alienam uxorem non timuit, postea etiam, quia aquam concupivit, expavit.

Aqua in Scriptura sæpe significat iniquitatem juxta illud *Iob* cap. 20 *Abominabilis homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem*. Ideo ergo noluit *David* bibere istam aquam, quia memor erat adulterii sui, in quod, appetitus suos inordinatos vincere nesciens, lapsus fuerat: Idcirco jam non tantum peccatum, sed ejus etiam umbram, & figuram horrebat. Hæc est perfecta conversio,

Sed quid *Pharao* respondit cum audiret *Moysem* tam generose

loquentem : Non remanebit in *Ægypto* vel unica ungula ex nostris armentis. *Recede*, inquit, à me, & cave ne ultra videas faciem meam, quocumque die apparueris mihi, morieris. Respondit *Moyſes*: Ita ſeruo locutus es, non videbis ultra faciem meam.

Jam ergo ad ſummum obſtinationis pervenerat *Pharao*, & ideo ultimam Deus plagam immiſit quæ omnes reliquas longiſſimè ſuperabat. Videamus.

## DISCVRSUS XVI.

*De poſtrema plaga, qua occiduntur omnes primogeniti Ægypti & de eſu agni Paſchalis.*

**R**estabat ultimus actus totius Tragicæ, iſque luſtuoliſſimus, quem Deus *Moyſi* revelavit cum nondum diſceſſiſſet ex aula *Pharaonis*, dicens: *Media nocte egrediar in Ægyptum & morietur omne primogenitum in terra Ægyptiorum, à primogenito Pharaonis qui ſedit in ſolio ejus, uſque ad primogenitum ancille que eſt ad molam.* Omnes omnino morientur, ſed incipiemus primum à *Pharaone*. Sententia plane juſta, qualis ſæpe non eſt inter homines.

Dicit *Paulus Rom. cap. 13*: *Si male feceris, time ſæcularem poteſtatem, non enim ſine cauſa gladium portat.* Ergo ſi illi qui malum faciunt, non timent, ſed tuti ſunt, fruſtra gladium portat *Juſtitia*: Lugenda ſane juſtitia, quæ gladium geſtat, ſed fruſtra, quando in eo tantum gladium ſtringit qui viliores ſunt, & eos non attingit quos aurum circumtegit. Deus vero non minus magnates plectit, imo magis quam minimos. *Saul* erat, cui imperaverat Deus ut omnes *Amalecitas* deleret cum omnibus quæ habebant, ita ut nihil omnino ex omnibus, vel minimum quid remaneret: Interea ſtringit gladium contra omnia quæ viliffima erant, optima reſervat, omnes homines ad unum uſque interficit, ſolum Regem ſervat, *Saul* erat, & homo qui hoc faciebat. Sed *Samuel* qui exercebat judicium diviſum, illum Regem *Amalecitarum*, cui *Saul*, pepercerat. jubet interfici, Fulmen quod cadit è cælo turres ferit & alta faſtigia, procella vero quæ ſurgit è terra, & quaſi ex inferno, humiliorum caſas petit: Ita videmus fieri in terræ motu, dum domus ſemiruta concuſſæ cadunt, principum turres & aula perſiſtunt quas tamen

non sine fragore feriunt missa de cælo fulmina à quibus raro impetuntur casæ: Terra est quæ destruit humiliora, cælum est quod ferit altiora.

Hoc clare etiam videre licuit apud *Ægyptios*, cum enim Deus perdere vellet omnia primogenita *Ægypti*, non tantum non reliquit immunem Regis domum, quin imo ab ipsa incepit, ut patet ex verbis supra relatis: *Moriatur omne primogenitum in terra Ægyptiorum, à primogenito Pharaonis, usque ad primogenitum ancille.* Et ne forte quis putaret hæc tantum minas Dei fuisse, de facto sic contingit ut mox audiemus.

Itaque vix Judicibus terræ, apud quos magnatum flagitia stipulæ sunt, ærumnosorum vero peccata, sacrilegia reputantur.

At, inquiet aliquis: Deus in Paradiso à vilioribus incepit, primum enim serpenti, tum mulieri, tandem viro pœnam inflixit: Quid tum? Quæstionem enim exorsus est, non à viliori, sed ab omnium Principe *Adamo*, quem ut cognovit non sponte peccasse, sed à muliere impulsus, mitius & posterius damnavit.

*Incipiat, inquit D. Petrus Epist. 1. cap. 4: Iudicium à domo Dei: Et fecit sicut scripsit. Non enim viliores aliquos homines, sed primarios Ecclesiæ morte punivit, quando Ananiam, & Sapphyram ejus uxorem ad pedes suos prostravit, quia mentiti fuerant Spiritui sancto. Qui zelo Domini gladium exerit, nemini parcit.*

Huc facit quod legimus apud *Ioannem Apoc. cap. 14: Vidi, inquit, nubem candidam, & super nubem sedentem quasi filium hominis, habentem in capite suo coronam auream, & in manu sua falcem acutam.* Prodiat è cælo Angelus ad excidium terræ, cur ergo non securi, sed falce armatur? falx enim aptior messi est, securis excidio. Sic est: Sed securis singillatim ferit, unum ramum amputat, alium servat, falx vero, multas aristas simul præscindit, & omnes tandem prosternit, vel si aliquas non tangit, humiliores sunt, non sublimiores. Propterea etiam Angelus ille super nubem sedebat, ut quemadmodum illa æque montes ac valles perpluit, ita quoque iræ Dei minister, ignem & laqueos tam super potentes, quam super ibjectos, sceleris, non generis memor, effunderet.

Jam prædixerat *Moyfes Pharaoni* plagam postremam, quando *exiit*, inquit Scriptura, à *Pharaone iratus nimis*: Sed antequam Deus postremam illam plagam induceret, docuit *Moysem & Aarona* ritus immolandi & comedendi agnum Paschalem, qui non

fuit aliud quam vera & genuina figura *Christi* pro nobis Passi, & Eucharistia.

Sic ergo locutus est Deus ad illos : *Loquimini ad universum ca- tum filiorum Israel, & dicite eis: Decima die mensis hujus, tollat unusquisque agnum per familias & domos suas. Hoc primum.*

1. Ergo debebant emere agnum : Quare potius agnum quam vitulum, aliudve animal quod postea solebant offerre in aliis sacrificiis ? Respondeo ; quia agnus est animal mundum & simplex, adeoque immolationi maxime aptum.

2. Debebant illum agnum emere quatuor diebus antequam illum comederent, scilicet decima die mensis, cum tamen non nisi decima quarta die deberent offerre. Quare tamdiu ante ? Respon- det *Oleaster*, ut examinaretur, si quid haberet maculae, quae illum ineptum redderet ad sacrificium.

3. Unusquisque non in particulari, sed in singulis domibus ac fa- miliis debebat sibi agnum istum procurare.

Agnus ipse figurabat *Christum* de quo dixit *Ioannes Baptista, Ioa- cap. 1. Ecce agnus Dei*, & quem *Ioannes* Evangelista plus vice simplici in *Apocalypsi* conspexit sub specie Agni. *Judaei* agnum comedituri, debebant se diebus quatuor praeparare, ut nos, inquit *Oleaster*, hac ceremonia doceremur, quanta diligentia, & quamdiu, nos praeparare oportet, & quanta puritate conscientiae accedere ad comedendum agnum nostrum sub specie panis. Denique unusquisque apud *Judaeos*, per familias scilicet agnum habere debebat. Illi ergo multos agnos, nos vero unicum tantum: Ratio est, inquit *Dionysius Carthusianus* : Quia sic mortuus est *Christus* pro omnibus, ut & pro singulis mortuus sit, & oblatus : Nam quaelibet anima in particulari non minus obligatur Deo, quod *Christus* illi semetipsum dederit Ven. Sacramento, quam illi obstrictum est universum genus humanum, quod pro eo fuerit oblatus in cruce. Hinc *S. Paulus Galat. cap. 2* sic protestatur : *In fide vivam filii Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Numquid pro toto genere humano mortuus esse ? Plane : Quid ergo dicis *Paule*, pro me, quasi tu solus esses ? *Paulus* vult dicere : Sic mortuus est pro omnibus, ut pro me solo mortuus videatur, quia ego in particulari tam illi obligatus sum propter mortem ipsius, quam totum genus humanum. Unus ergo agnus nobis sufficit, pluribus non est opus.

Quid *Judaei* debebant praeterea facere in comestione agni ? *Sic*

minor est numerus, inquit Deus ad Moysen, in familia, ut sufficere possit ad vescendum agnum, assumet vicinum suum qui junctus est domui suae; ut doceret nos, inquit Theodoretus, charitatem fraternam, & mutuam unionem dum accedimus ad communionem, cum enim illa sit Sacramentum amoris & pacis in quo unimur cum Christo, & ipse nobiscum, non potest digne comedere Christum, si sit divisus à fratre. Hinc D. Paulus acriter objurgabat Corinthios, dicens: Convenientibus vobis in Ecclesiam, audio scissuras esse inter vos, hoc non est, inquit, cœnam dominicam manducare, sed sibi damnationem accersere, ac judicium.

Sed qualis debebat esse ille agnus quem comedebant filii Israel? 1. Debebat esse sine macula; 2. Masculus. 3. Anniculus optime hæc quadrat Christo: Sine macula, dicit enim Paulus de Christo, qui peccatum non fecit, & D. Petrus illum vocat, agnum immaculatum: Debebat esse masculus, hoc est, virilis & fortis, & hoc quadrat Christo, vocatur enim à Prophetis, fortitudo gentium. 3. Debebat esse anniculus, hoc est, tener, & de Christo ait Paulus: Non habemus pontificem, qui non sit tenero animo, sed qui compatiatur infirmitatibus nostris.

Jam ille agnus debebat comedi cum variis ceremoniis. 1. Ad vesperam; sic Christus corporis sui Sacramentum instituit, nam Paulus dicit: Dominus Iesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & dixit: Accipite & comedite: Hoc est corpus meum.

2. Israelitæ debebant sumere de sanguine agni, & ponere super utrumque postem, & in superliminaribus domorum in quibus comedebant illum. Sic, inquit Rupertus, debemus nos ungeri sanguine agni nostri, ostia corporis nostri, os & oculos, ut illud os quod purissimo sanguine tingitur, non loquatur impura, & oculi, qui aspiciunt Christum sub specie panis, non aspiciant deinceps illicita.

3. Debebant carnes agni comedere assas igni: Hoc est, inquit Carolusianus: Fideles sument corpus Christi in Ven. Sacramento, qui igne passionis assatus est: Vel, ut ait Cyrillus Alexandrinus: Oportet nos esse inflammatos spiritu quando volumus ad Christi communionem accedere: Imo, inquit Chrysostomus, debemus ab illa mensa recedere sicut leones ignem spirantes.

4. Debebant agnum comedere cum lactucis agrestibus, hoc est, herbis amaris: Quid magis amarum quam mors & passio Christi? nos cum commemoratione illius mortis Christi corpus manducare

R r 3 debe-

debemus, vel, ut ait *Bernardinus*, in amaritudine animæ nostræ per contritionem de peccatis.

5 Non poterant quidquam comedere crudum. Ille crude recipit *Christum*, inquit *D. Bernardinus*, qui non semel cogitat quid recipiat, sed rudi modo accedit, quasi ad aliam mensam accederet, non dijudicans, inquit *Paulus*, corpus Domini ab aliis vulgaribus cibis, quod sæpe contingit illis, qui non tam ex devotione, quam ex mera consuetudine ad communionem accedunt.

6 Debebant totum agnum absumere ita ut nihil remaneret, aut si quid forte superesset debebat igni comburi. Totum *Christum* habemus in Sacramento cum corpore, anima, ac divinitate, omnibusque ejus perfectionibus, totum debemus accipere, ille vero partem tantum accipit qui adhuc antiquas suas consuetudines malas, & affectus inordinatos reservat, & si quid simile contigerit, comburendum est igne amoris divini.

7 Debebant renes suos accingere. Renes, inquit *Rupertus*, carnis delectamenta significant. Qui *Christum* manducat, renes debet habere accinctos, ut voluptates edomet, & carnis luxuriam restringat; totus enim purus esse debet, qui ad ipsum puritatis fontem accedit ut suis sordibus purissimas illas aquas non fœdet.

8 Debebant habere calceamenta in pedibus: Calceamenta vim addunt pedibus ut firmiter figant gressus: Qui ad *Christi* mensam accedit firmum oportet esse in calceis, ut non vacillet in fide, & velocius currat ad esum illius agni, nempe cum majori fervore, ac desiderio.

9 Debebant tenere baculos in manibus, quasi expediti ad iter, & ideo debebant comedere festinanter, quia debebant festinare exire *Aegypto*: Nos quoque, inquit *S. Eligius*, festinantes agnum nostrum manducare debemus, quasi quotidie exituri de mundo, cogitantes quod incolæ sumus super terram, ubi accipimus *Christum* sub velamento, ut præludium cælestis convivii, ubi illo fruamur absque velamento, facie ad faciem.

10 Vetuerat Deus, ne peregrini, sive discurrentes ab uno loco in alium, de agno participarent: Vagabundi enim, & nimium in res exteriores effusi non sunt apti ut degustent nostrum cibum cælestem.

Hocce ritus comedendi agnum Paschalem, cum Deus docuisset  
*Moyse,*

*Moyſen*, abiit hic ad ſeniores filiorum *Iſrael*, & dixit illis, quidquid ſibi dixerat *Deus*.

Interea, inquit Scriptura, in noctis medio miſit *Deus* angelum, & percuffit omne primogenitum in terra *Aegypti*, & ortus eſt clamor magnus in *Aegypto*.

Horribilis plaga: 1. Quia media nocte inſiſta quando omnes ſecure dormiebant. 2. Quia mors illorum quos maximè æſtimabant & amabant *Aegyptii*, ſcilicet omnium primogenitorum, nullo excepto; dicit enim Scriptura, Non erat domus in qua non jaceret mortuus.

Tunc vere poterat dici quod communi paſſim proverbio dicimus: Quæque domus habet ſuam crucem, vel, ut ait Philoſophus *Seneca de Conſolat. cap. 31*. Nulla domus in toto terrarum orbe, aut eſt, aut fuit, ſine comploratione: Semper *Aegyptus* habita fuit prototypon mundi; quamvis enim non ſemper omnis domus habeat ſuum mortuum, nulla tamen unquam fuit, aut eſt, ut inquit *Seneca*, quæ non habeat aliquam aliam crucem, & materiam luctus: Non poteſt, inquit *Chryſoſtomus, Hom. 66 ad Popul.* Vita præſens transmitti citra triftitiam, ſicuti enim non poteſt inveniri homo qui ſit immortalis, ita neque abſque triftitia & cruce.

Audite quomodo hoc docuerit *Artaxerxes* regem *Democritus* peritiſſimus medicus: Amiſerat rex ille optimum ſuum amicum, miſit *Ioniam* ad *Democritum*, ut ſi quid in eo artis eſſet, ſuo amico vitam daret: *Democritus* rem difficilem poſtulari reſpondebat. Si tamen rex vellet, poſſe id fieri, ajebat, ſi ipſe præſtaret quæ poſtulareret: Promiſſa ſunt omnia. Ergo, inquit *Democritus*: Inſculpantur ſepulchro illius amici triginta nomina eorum qui ad vigefimum ætatis annum, nihil dolorum ſunt paſſi; quæſita ſunt ſedulo hæc felicia nomina, ſed nec inveniri potuerunt uſpiam, nec ullo ævo, ut credibile eſt, poterunt inveniri: Quæ enim latebra eſt, inquit *Seneca Epiſt. 82*, in quam non intret metus mortis? quæ tam munita, & in altum ſubducta vitæ quies, quem dolor non terret? Quocumque te abdideris, mala humana circumſtrepent, multa extra ſunt quæ circumeunt nos, multa intus, quæ etiam ſolitudine exæſtuant: Plurima latent, nec ab hominibus videntur.

Hoc olim etiam unus è *Græciæ* ſapientibus *Solon* habebat pro certo: cum enim ſolari vellet amicum ſuum, in editiſſimam urbem

Tribulationes in omni familia.

*Athe-*



*Atheniensis* turrum illum eduxit, atque subiectas omnes magnificas substructiones, & opulentas mercatorum domos circumquaque digito ostentans, exclamavit: O quot sub his tectis inquietudines, anxietates, calamitates, miseriae, luctus, cruces delitescunt! Quod si unusquisque crucem suam praeforibus figeret, omnia ubique & platearum, & vici, & fora crucibus plena starent, & quicquid posset videre ex sua cruce, quantumvis magna, adhuc majores inveniri.

Quid mirum? si enim regum aulae, quibus nihil ad felicitatem deesse videtur, crucibus non carent, quid erit de illis qui inferioris sunt notae, & de illis quibus poene omnia de sunt? Regum coronae suas cruces habent in summo, & qui illas gestant sapientissime majores in animo: Non opus est recurrere ad antiqua saecula, omnium adhuc poene oculis obversatur *Maria Medicea* *Henrici IV* regis *Galliae* uxor, trium regum regina mater: Evocarat haec ad se ex *Hetruria* *Parisiis* magnae sanctitatis fama celebrem virginem nomine *Pasitheam* *Crogam*, quam ut primum vidit, & quidnam sibi e patria cymeliorum adferret, interrogasset: Egregium plane, inquit *Pasithea*, munus, quo praefor omnibus sui similibus emineret, cui cum regina, avida videndi, dixisset ut illud munus proferret, proferret *Pasithea* ingentem e ligno fabrefactam crucem, quam cum Regina, propter immodicam magnitudinem admittere recusaret, recipere audacter, inquit *Pasithea*, mox longe major sequetur: Praedictioni respondit eventus, paucos enim post dies Rex ejus maritus a proditore occisus est: Haec initia dolorum: Vix enim facta jam vidua, erepta est illi corporis sui custodia, & alia substituta, una portarum palatii sui obstructa, diebus octo captiva detenta, deinde in exilium missa extra *Parisiis*, cum nullo isthuc sine expresso regis consensu locutura. Tandem hinc per medias noctis tenebras elapsa, *Engolesmam* abiit, sed novis crucibus exercenda *Compendum* captiva abducitur auram perfrigidam, nec regi, nec reginae valedicere permissa. Post quintum mensem hinc in *Belgium* fugiens, bonis dotibus exuta, ubi post septennium exactum, suorum fraude delusa in *Angliam* navigavit: Inde ejecta bellorum turbine *Coloniam* abiit: Sed neque hic respirare liberius datum fuit, tum ob imminenti belli formidinem, tum ad repentinis paulatim mortis indicia, quae eam paulo post e vita abstulit, & sicut medias noctis cruces tot annis vixerat, inter medias etiam cruces, defuncta est.

Hæc una ex millibus: Longior enim essem, si narrare inciperem cruces quas *Maria Regina Scotia* passa est à tyranna *Anglia, Elisabetha*, donec tandem ipsius cruento & barbarico gladio caput amputandum subjecit.

Quod si coronata capita, in ipso felicitatis statu, tot cruces patientias habent, quis miretur, nullam esse domum, aut unquam fuisse, quæ non habeat suam crucem, sicuti in *Egypto nulla domus erat in qua non jaceret mortuus*, nulla sine luctu, nulla sine fletu, nulla sine dolore.

Excipiebantur tamen domus filiorum *Israël*; cum enim angelus totam *Egyptum*, percutiendo primogenitos, perambulare, asperserat prius *Israëlitæ*, jussu Dei, utrumque postem domorum suarum sanguine agni, & ubicumque angelus sanguinem illum videbat, pertransibat domos illas sine læsione.

Denique ubi *Pharao* miseram illam cladem intellexit, surrexit, inquit Scriptura, de nocte, & ut aliqui putant ipse met *Moysem* illa nocte adivit, quem suaviter quiescentem domi suæ inveniens, vocando excitavit, dixeritque: *Surgite, & egredimini à populo meo, vos, & filii Israël: Ite, immolate Domino sicut dicitis: Oves vestras, & amenta assumite, ut petieratis, & benedicite mihi, sive orate pro me: Alii tamen existimant illum hæc dixisse Moyse per nuntios quia dixerat illi moyses: Non videbis amplius faciem meam.*

## DISCURSUS XVII.

*Filii Israël accipiunt ab Ægyptiis Vasa aurea & argentea, & parant se ad iter.*

CUM Deus primum mitteret *Moysem* in *Egyptum* ad *Pharaonem*, dixerat illi: *Non exhibitis vacui, sed postulabit mulier à vicina sua, & ab hospita sua vasa argentea & aurea, ac vestes, ponetisque eas super filios & filias vestras, & spoliabitis Ægyptum.*

Postea dixit illi: *Dices omni plebi, ut postulet vir ab amico suo, & mulier à vicina sua vasa argentea & aurea: Dabit autem Dominus gratiam populo suo coram Ægyptiis.*

Hæc cum *Moyse* intellexisset ex Deo, præcepit filiis *Israël* ut mandatum Dei explerent: *Fecerunt ergo, inquit Scriptura, filii Israël,*

*Israël*, sicut praeceperat *moyses*, & petierunt ab *Aegyptiis* vasa aurea & argentea, vestemque plurimam, & spoliaverunt *Aegyptios*. Nam cum illis omnibus iter aggressi sunt, & abierunt ex *Aegypto*, numquam amplius redituri, nec reddituri quod acceperant.

Sed cum hoc valde mirabile videatur quod *Aegyptii* libenter tam pretiosam suppellectilem darent *Israëlitibus*, quos jam videbant stare in procinctu ad abeundum: Quæstio est quomodo hoc ita potuerit fieri?

Respondeo 1. Quod non petierint sibi illa in perpetuum dari, sed tantum commodari, inquit Scriptura. 2. Non dubitabant *Aegyptii* illos redituros, sciebant enim illos tantum postulasse à *Pharaone* ut iter trium dierum abirent in solitudinem, ut Deo sacrificarent.

3. Verosimile est prætexisse solennitatem festi quod celebrare debebant, ac dixisse: Nos ad sacrificandum, festumque maximum Deo agendum discedimus; commodate ergo nobis vestes pretiosas, dignas tanta solennitate, & vasa idonea tanto sacrificio; quod illi libenter faciebant, honorificum putantes si illorum suppellect argentea illic ostentui staret: Sicut sæpe contingit ut magnæ Dominæ inter nos libenter accommodent sua monilia vel ad ornanda altaria, vel actores in theatris.

4. Quia Deus fecerat ut filii *Israël* haberent gratiam apud *Aegyptios*, hoc est, fecerat illos gratiosos in verbis, gratos in modo loquendi, & amabiles in vultu: Talem etiam gratiam, & pulchritudinem postea dedit *Iudis* ut placeret oculis *Holophernis*, hominibus barbari.

Propterea cum Philosophus *Plato Dionem Syracusanum* virum doctissimum videret vultu esse severo, monuit illum, ut magis comem ac gratiosum se formaret ad conciliandos hominum animos, dicens, illam vultus severitatem non pro urbibus esse, sed pro solis ac solitudinibus.

Puto tamen quod potius Deus inflexerit corda *Aegyptiorum* (omnium enim corda in manu Dei sunt) ad tenerum quandam amorem *Israëliitarum*, ad eis bene volendum & benefaciendum, ut *Aegyptiis* viderentur non solum commiseratione digni propter miserias, sed etiam amore & honore; quo factum est, ut libenter illis commodarent, imo, ut habet textus *Hebraus*, illis ultro obolerint quidquid vellent.

Sed

Sed jam restat alia quæstio an jure licuerit *Israelitis* spoliare *Egyptium*? quia videtur hoc furtum & rapinam fuisse.

Respondet *Augustinus* q. 39 in *Exod.* Non fecerunt, inquit, furtum *Hebraei*, sed Deo jubenti ministerium præbuerunt. Et *D. Thomas* 2. 2 q. 104. Art. 4. Non fuit, inquit, contra justitiam quod Deus mandavit *Judæis*, ut res *Egyptiorum* acciperent. Quare? quia Dei sunt omnia, & ipse supremus omnium Dominus est, ergo potest jure disponere de omnium bonis, & illa eripere, ac dare cui voluerit: Adeoque nihil abstulerunt filii *Israel* ex *Egypto*, invito Domino, quia ipse hoc illis imperarat, consequenter non sunt furati, quia furtum est quando aliquid aufertur invito Domino.

Respondet 2. *Augustinus* Lib. 22 contra *Faustum*: *Egyptii*, inquit, sacrilegi & iniqui erant, qui auro illo, hoc est, Dei creatura male utentes ad creatoris injuriam, suis idolis serviebant, & homines peregrinos labore gratuito injustè & vehementer afflixerant. Digni ergo erant & *Hebraei*, quibus talia juberentur, & *Egyptii* qui talia paterentur.

Secluso ergo Dei jussu, poterant *Israelita* bona *Egyptiorum* in spoliis accipere, titulo justis belli: *Egyptii* enim erant publici hostes filiorum *Israel*, qui eos usque ad mortem persecuti fuerant, & miris modis vexaverant: Ergo poterant eos ut publicos suos hostes *Israelita* spoliare. Poterant id etiam facere titulo mercedis, quia gratis illis jam tot annis servierant, & hoc est quod ait *Sapiens* cap. 10. *Reddidit Deus justis mercedem laborum suorum.*

Jam restat una animadversio in hæc verba: *Postulabit vir ab amico suo, & mulier à vicina sua, & ab hospita sua*, vel ut habent *Septuaginta*, à *cohabitatrice sua*, *vasa argentea, & aurea.*

Hic adverto 1. Ut vir non petat nisi à viris, & foemina non nisi à foeminis, non enim decebat ut in tanto tumultu, & concursu, foemina passim & ubique viris, & viri foeminis miscerentur, præsertim propter *Egyptios* libidini admodum deditos; volebat ergo Deus prospicere modestiæ ac castitati.

2 Sic statuebat Deus, ut vir amicum suum sive prope, sive procul habitantem adiret, foemina vero, non adirent ædes remotiores, sed unaquæque ad vicinam tantum suam, vel sibi sub eodem tecto cohabitantem se conferret.

Ex quo colligitur foeminis proprium esse debere, sed præsertim puell-

Fœmina  
non va-  
gentur.

324

DISCVRSVS MORALES IN

puellis, adhuc magis virginibus Deo devotis, non passim discurrere per plateas & domos.

Propterea tamen nolo hic laudare quarundam nationum nimiam, & prope dixero insanam severitatem, apud quas fœminis tertio dumtaxat egredi in vita licebat, primo ad baptismum: Secundo ad matrimonium: Tertio ad sepulchrum. Hoc enim erat feminas quasi eleminare extra hominum Societatem, cum plurimæ fœminæ virtute ac ingenio præditæ non minus valeant rebus agendis, quam viri.

Nec laudo illud quod *Aristoteles* narrat *Lib. 5 Polit.* scilicet quod suo tempore in urbibus crearetur præfectus aliquis qui mulieribus intenderet, ne evagarentur, hoc enim erat omnium honestati ac virtuti diffidere, & omnes habere suspectas, quasi vero omnia liceret fidere viris, fœminis nihil: Stulta sunt ista.

Neque etiam probo *Chinensium* morem adhuc hodiernum, qui puellis infantibus pedes ita obvolvunt ac premunt, ut majores effectæ tam exiguos habeant pedes ut iis non possint insistere, quod ab illis inventum ut pedem efferre domo non possint: Hoc est, sine ratione, vim inferre naturæ, quæ alio modo poterat doceri modestiam moderatam.

Stultum etiam est quod ait *Nicetas Scholiastes in Prov. cap. 31.* Præclara est, inquit, earum matronarum laus, quæ hominum cœtus ita fugiunt, ut ne viri quidem sciunt, an vitæ hujus luce fruuntur. Fateor hoc quidem laudari debere in illis quæ se includere cellis angustis, vel extra homines degunt in solitudine, ut soli Deo vivant, tales enim quasi vivæ sunt mortuæ, sed quis mihi persuadere poterit hanc omnium fœminarum vitam esse debere?

Propterea frustra hic adfertur exemplum *Judith* de qua dicitur *Judith cap. 8.*, quod in superioribus domus suæ fecerit sibi secretum cubiculum in quo cum puellis suis clausa morabatur. Hoc non potest omnibus fœminis applicari: Quia ut *Petrus Damianus* ait *Epist. 14. Judith* de domo communi reclusorium fecerat, magna laus, incluserat se, ut soli Deo vacaret, sed hoc commune esse non potest omnibus fœminis.

Denique non probo quod *Cajetanus* ait in *Psal. 127.* Uxor est, inquit, non in atrio, non in porta, non in media domo, in qua sicut viri, sed in angulis, seu penetralibus domus esse.

Dico ergo 1. Quoad fœminas conjugatas, illas esse debere sicut erat

erat illa quam describit *Salomon Proverb. cap. 31.* Erat illa uxor nobilis Senatoris, cujus primaria cura erat curare domestica: *Quæsit enim, inquit Salomon, lanam & linum, & operata est consilio manuum suarum, de nocte surrexit, deditque prædam domesticis suis, & cibaria ancillis suis, omnes domestici ejus vestiti erant duplicibus, Sindonem fecit & vendidit, consideravit semitas domus sue &c.* An ideo semper clausa manebat domi? nullo modo, inquit *Salomon*, sed egrediebatur ut negotiaretur in commodum domus, & vidit, inquit *Salomon, quia bona erat negotiatio ejus.* Exhibat foras ut consideraret agrum, & emit eum: Ibat ad villam, & plantabat vineas.

Denique erat quasi navis Institoris quæ egreditur portu ut alio vehat merces, sic & illa egrediebatur domo, ut ferret mercedem operariis, & eleemosynas pauperibus, dicit enim *Salomon: Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem.* Prima ergo ejus cura erat totam domum componere, invigilare liberis & ancillis, illos docere bonos mores, hoc est quod *Salomon* dicit: *Os suum aperuit sapientiæ, attendere ne quid perperam fieret, complacere viro suo sua clementia, ut ei, inquit Salomon, omnibus diebus vitæ redderet bonum & non malum: Deinde exire ad sua negotia, vel interdum ad villam honestæ recreationis causa.*

Si tales essent omnes fœminæ conjugatæ, non esset quod merito reprehenderetur in illarum egressu de domo: Sed illæ merito reprehendendæ sunt, imo & detestandæ, quæ omnes modestiæ limites excedunt, dum neglecta familia passim vagantur per plateas otiosæ in Rhedis, & quotidie tempus terunt extra domum, vel lusibus, vel inutilibus conversationibus.

Dico 2. Quod *Paulus* Apostolus *1. Timoth. cap. 5* juniores viduas merito carpit, quod otiosæ circumirent domos, & non solum otiosæ, sed etiam verbosæ, & curiosæ, loquentes qua non oportet. Non prohibet absolute *Paulus* egredi domo, sed vagari per domos, & otiosis, vanis, imo & turpibus sermonibus tempus prodigere.

Quoad juniores puellas dico 3. Cum *Paulo 1. Cor. cap. 4*; quod thesaurum virginitatis habeant in vasis fictilibus: Non sunt sine periculo vitra ut frangantur, quando sæpius de uno loco deportantur in alium: Vel, ut ait *D. Gregorius Hom. 11 in Evangelia.* Deprædari desiderat qui thesaurum publice portat in via, sunt enim, inquit, multi latrunculi qui obsident viam, si multum vagaris, cave ne incidas in manus eorum. Hoc certum est nullo modo

decere ut puellæ passim solæ egrediantur, nisi forte ad vicinam suam, uti Deus volebat facere foeminas *Israëliitarum* in *Agypto*.

Hoc est quod tam serio *D. Hieronymus* inculcat *Leta* nobilissimæ matronæ *Romana* *Epist.* 7. *Paula*, inquit, filia tua, pergat ad templum cum parentibus suis. Nusquam absque te procedat in publicum: Basilicas Martyrum & Ecclesias sine matre non adeat, nullus ei juvenis arrideat. Si quando ad suburbana perges, domi filiam non relinquis. An quia semper periculum est peccandi? hoc non, sed quia repugnat honestati, & decentiæ aliter facere.

Scio esse quæ dicant. Ergone semper lateri matris oportet esse affixas, & numquam habere libertatem? quam libertatem vis habere? agendi quæ non decent? si ita est? propterea dum egrederis, numquam deberet mater à latere tuo discedere: Si non vis male agere? quid hoc impediet si mater tibi adsit?

Denique si hæc deceant seculares puellas, quid erit de virginibus Deo dicatis? Audiamus *Hieronymum* *Epist.* 22 ubi loquitur ad *Eustochium*, nobilem illam celebremque in seculo Virginem: Nolo, inquit, te sponsum quærere per plateas, nolo te circumire angulos civitatis; Foris vagentur virgines stultæ: Tu intrinsecus esto cum sponso: Zelotypus est *Iesus*, non vult ab aliis videri faciem tuam. Vel, ut ait *Ambrosius* *Lib.* 1 *de Virginit.* Non est *Christus* circumforaneus, non invenitur in triviis, nec in turbis, sed in solitudine. Nesciunt subinde tales virgines unde in illis oriatur sterilitas animæ, desolatio mentis, tentatio, ac perturbatio, quo abierit illa devotio, illa consolatio sponsi quam solebant habere? Ego verbo respondeo: Dum nimium vagantur, & tædium habent in solitudine, omnia perdunt,

## P A R S III.

## Egressus filiorum Israël ex Ægypto.

## DISCURSUS I.

## Quomodo profecti sint ex Ægypto.

U rgebant illos *Ægyptii* ut quam primum exirent, timen-  
tes ne forte iterum *Moyſes* illos novis plagis opprimeret.  
Itaque cum non darent illis tempus coquendi panes qui-  
bus uterentur in via, tulerunt secum massam subactam in faccis,  
sine fermento, ut inde cum occasione in itinere coquerent  
panes.

Tulit quoque *Moyſes*, inquit Scriptura, ossa *Ioseph* secum, eo quod  
adprophet filios *Israel*, dicens: *Visitabit vos Deus, afferte ossa mea hinc  
vobiscum.*

Egressi autem sunt per turmas suas, sexcenta fere millia peditum vi-  
rorum, inquit Scriptura, absque parvulis: Sed & vulgus promiscuum  
innumerabile ascendit cum eis, oves, & armenta, & animantia diversi  
generis multa nimis.

Sunt qui putent *Ægypto* egressa esse tricies centena hominum  
millia, sic enim faciunt computum suum.

1 Inquiunt, dicit *Moyſes* fuisse sexcenta millia virorum peditum,  
& omnes illos armatos, seu milites.

2 Inter illos non numerantur parvuli, nec adolescentes qui nec-  
dum attigerant annum vigesimum, nec mulieres, nec senes de-  
crepiti, qui omnes simul, dimidiam ut minimum populi partem  
conficere solent.

3 Accedebat innumerabile vulgus, qui filios *Israel* sequebantur,  
forte ad *Judaismum* conversi.

Ac primo quidem venerunt ad locum quem vocarunt *Socoth*,  
ibique fixere tentoria, inde profecti venerunt in *Ethan*, locum  
qui jacebat ad limites solitudinis.

Et



Et ecce, inquit Scriptura, Dominus præcedebat eos ad ostendendam viam, per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis, ut dux esset itineris utroque tempore.

Hic jam deinceps in hac profectioe *Israelitarum*, ad terram promissionis, habebimus, poene assidue in figura expressam peregrinationem nostram in hoc mundo ad cælum.

Examinemus primū. Quid fuerit aut qualis ista columna nubis quæ præcedebat per diē. Communis opinio est quod non fuerint duæ columnæ, sed una tantum quæ de die apparebat ut nubes, de nocte ut ignis: Hujus autem columnæ hæ erant proprietates. 1. Præcessit filios *Israel* per annos 40, eosque ex *Egypto* deduxit usque ad terram promissionis. 2. Ostendebat viam, ut scirent qua esset eundem per vasta deserta & invia. 3. Ista columna jam movebatur, jam quiescebat, quando movebatur, movebantur etiam castra *Hebræorum*, quando quiescebat, & manebat stans super tabernaculum, quiescebant & castra. 4. Hæc columna erat valde magna, longa, lata, & crassa instar magnæ turris, ut ab omnibus castris, quæ se facile extendebant ad sex milliaria, ubique videri posset. 5. Movebatur ab Angelo. 6. In hac columna sæpe apparebat Deus, ac loquebatur *Moyse* & *Hebræis*, suamque ostendebat gloriam ac magnificentiam. 7. Hæc columna nubis tota castra obumbrabat, & de die defendebat contra æstum solis, de nocte vero, quando erant densæ tenebræ, illuminabat. Denique paucis verbis sic illam describit *Sapiens Sapient. cap. 10. Deduxit eos in viam mirabili, & fuit illis in velamento diei, & in luce stellarum per noctem.*

*Via cali.*

Sicut *Israelite* proficiscebantur per desertum, sic nos omnes peregrinamur per mundum, qui nihil aliud est, ut inquit *David*, quam terra deserta, & invia, & inaquosa: In qua nisi aliquis sit qui nobis viam demonstret, necessario debemus errare, & currere in incertum: Propterea providit nobis misericors Deus ductorem, qui nobis idem officium præstet quod columna nubis & ignis præstabat *Judæis*.

Hic ductor non est alius nisi ipse Dei filius *Iesus christus*, qui nos præit ad celestem terram promissionis, ideo dicit *Ioan. cap. 14: Ego sum via*. Ipse est ignis & nubes, nubes qua homo, ignis qua Deus: In veteri Testamento, quando populus, inquit *Isaias*, sedebat in tenebris, tantum erat ignis, quia tunc magis opus erat timore & horrore,

horrore, hinc vix aliud clamabant Prophetæ, quam, *Deus noster ignis consumens est, Deus in igne veniet* &c. Sed quando venit lex gratiæ, & tempus misericordiæ, in quo nos jam sumus, factus est nubes, quando humanum corpus assumpsit, sub quo textit suam divinitatem, ut enim cum hominibus conversari posset, venit in carne. In nocte veteris Testamenti non tam copiosè lucebat, in die autem novi omnibus lucet. Propterea omnes vocat ut se sequantur: Quasi diceret: O Homo, quisquis es, tu in hunc mundum venisti non alium ob finem quam ut proficiscaris ad cælum, tota vita tua peregrinandum est, sed viam ignoras, quo ergo aut qua ibis? sequere me, ego te præibo: Si ardor concupiscentiæ te urat, ego ero tibi nubes ut ardorem illum temperem: Si per tenebras peccati progressus es, sequere me, ego ero tibi ignis ut illumine te, *ego enim sum lux que illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, modo velit illuminari; Sed quia plurimi homines magis diligunt tenebras quam lucem, ideo tam multi currunt in præcipitia, frangunt sibi cervices, & pereunt. Defectus non est in luce, sed in hominis voluntate, qui aliam sponte viam ingreditur, quam eam in qua *Christus* præcedit.

Sicuti enim in deserto nisi filii *Israel* viam tenuissent in qua columna nubis & ignis illos præcedebat, poterant ad sinistram aut dexteram deflectere ad viam quæ non ducebat ad terram promissionis, sic variæ sunt viæ in mundo quæ non ducunt ad salutem. *Est via*, inquit *Salomon Prov. cap. 16, quæ videtur homini recta, novissima autem ejus ducunt ad interitum*. Recta videtur, quia jucunda est, vel ut ait *D. Hieronymus Epist. 4. ad Celantiam* quia vitiiis per consuetudinem quasi declivior ac mollior, & veluti quibusdam amana floribus voluptatum, sed illa via, inquit, ducit ad mortem.

De hac via dicebant olim apud *Sapientem cap. 5*: aliquot juvenes voluptuosi: *Ergo erravimus à via veritatis, & justitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis?* Erratis miseri? per quam viam ergo ivistis? per illam quæ tota erat vestita pulcherrimis rosis, fecimus inde coronas quibus nos coronavimus: Crescebat illic præstantissimum vinum, bibimus illud ad ebrietatem: Erant illic amœnissimæ villæ, & horti deliciarum, illic plenas dedimus habenas luxuriæ: Erat illic omne genus voluptatis: Voluptas comædiarum, musicorum instrumentorum & vocum, hæc fuit vita nostra illis nos oblectari.

Tt

Ta

Talem viam ingressi estis ? Ergo verè clamatis : *Erravimus à via veritatis* : Hæc enim non est via illa, in qua *Christus* præit, & lucet, & ideo non est mirum, quod *justitia lumen non luxerit vobis*, & *justitia non sit ortus vobis*. Lumen enim illud, & sol ille non lucet nisi in via, qualis erat filiorum *Israel* in deserto, ubi Deus illos ducebat in columna nubis & ignis, non per fertiles campos, sed per terram siccam & aridam, non per amenas planities, sed per asperos montes & rupes, non ubi invenirent abundantiam omnium rerum quibus possent libidini ac voluptatibus indulgere, jam enim deerat panis, & famebant, jam deerat aqua, & sitiebant. In tali via lucet & præit *Christus*, & per illam ducit ad cælum, non ubi rosæ crescunt sed spinæ, non ubi vineæ crescunt, sed ubi vix aqua interdum suppetit ad bibendum, non ubi fructiferæ arbores, sed crucis : Hac eundem est, hac enim nos *Christus* præcedit, adeoque quisquis hanc viam non tenet, non ad terram promissionis tendit, sed ad interitum.

Noli, inquit *Augustinus* in *Psal. 36* per aliam viam velle ire quam per illam qua ipse ivit, dura videtur, sed ipsa est tuta via, alia forte delicias habet, sed latronibus plena est.

Habet & via *Christi* suas delicias, sed vix unquam sine Passione, habet suas dulcedines, sed semper pæne mixtas amaritudine. *Christus* Matrem suam recreavit Pastorum accessu, Regum obsequio, Angelorum musica, sed ubi adolevit, magno cum dolore quæsit illum inter cognatos, videt flagellis lacerum, & morientem in Cruce.

Ipsamet recreatur in nuptiis, excipitur convivio à publicanis, audit vocem Patris de cælo clamantis, *hic est filius meus dilectus*, sed postea esuriit in deserto, expellitur à propriis civibus extra civitatem *Nazareth*, audit *Judeos* clamantes, tolle, Crucifige.

Audiunt .i. Apostoli : *Faciám vos fieri piscatores hominum*, deinde audiunt *Christum* sibi dicentem : *Mitto vos sicut oves in medio luporum*. Verum quid illis feliciter recepto jam in cælum Domino ? Delapsus est in illos Spiritus S, illapsa simul scientia Scripturarum, collata eis omnium linguarum peritia, erecti claudi, baptizata una die tria hominum millia ; sed ii ad quorum imperium claudus exilierat, jacent in vinculis, à vinculis venitur ad virgas. Quam felix erat *Petrus* cum ambularet super aquas, & quasi triumpharet de mari ? sed quid deinde ? surgit ventus, coepit mergi, & trium-

plum infecutus est timor & clamor. Cum *Hebrai* pedem *Aegypti* efferrent, auro argentoque erant onusti, sed post opes, secuta est fuitis, & fames, & qui agnum comederant, à serpentibus occiduntur. Denique in via *Christi*, numquam delicia sine marore.

Propterea videtur mihi ista via simillima campo in quo *Ionas* Propheta totus lassus consedit. Ibi usque ad delicias exceptus Propheta est. Fecit enim Deus una nocte crescere hederam, quæ intumbrabat *Ionam*, & contra solis ardores tuebatur, & gaudebat: Nondum integro elapso die, non modo exaruit hederam, sed etiam ventus urens immixtus est, & tanto ardore æstuabat *Ionas*, ut irascereetur, & mortem optaret.

Et ut nullæ forent in via *Christi* deliciae, sed aliud nihil nisi dura, molesta, dolores, tædia, cruciatus, hac tamen eundem est; inquit *Augustinus*, qui enim aliam ingreditur, errat, quia illic non habet *Christum* sibi præeuntem ac prælucentem.

Alterum quod in profectioe filiorum *Israel* ex *Aegypto* animadverto, est quod ait Scriptura, scilicet: *Non duxit eos Deus per viam terra Philisthym quæ vicina est, reputans ne forte peniteret eum, si videret adversum se bella consurgere, & reverteretur in Aegyptum: Sed circumdumit per viam deserti, quæ est iuxta mare rubrum.*

Per filios *Israel* jam recenter ex *Aegypto* eductos, significantur peccatores recenter à peccatis conversi. Sicuti ergo Deus filios *Israel* ducere noluit per terram *Philistym* (quæ tamen, ut inquit *Philo lib. 1. de vita Moysis*, non amplius quam trium dierum, itinere distabat à terra promissionis) ne contra illos insurgerent *Philisthini*, & ipsi in *Aegyptum* terrore perculsi, reverterentur; sic non vult Deus peccatores primum conversos obruere tentationibus, nec ab aliis dure tractari, ne redeant ad antiqua peccata.

Hæc est animadversio *D. Gregorii lib. 24. Moral. cap. 13: Ex Aegypto*, inquit, exeuntibus *Israelitis*, ex vicino bella subtrahuntur, quia relinquentibus sæculum, quædam prius tranquillitas ostendi debet, ne ipsa sua teneritudine, atque inchoatione turbati, ad hoc terribi redeant quod evaserunt.

Cum ergo posset Deus spatio ut summum quindecim dierum, illos ex *Aegypto* ducere in terram ad quam tendebant, circumduxit illos quadraginta annis per deserta ne statim initio itineris incidere in manus hostium suorum *Philisthinorum*, & mox ab egressu, iterum redirent unde venerant.

Peccatores  
recenter  
conversi;

Hinc apparet, inquit *D. Gregorius*, numquam dure aut rigide agendum cum iis qui se convertunt, & jam primum egrediuntur è peccatis suis, ac servitute diaboli, ne malint rursus ad illam servitutem redire, quam Deo cum tot molestiis ac rigore servire.

Unde & bene dixit quidam Interpres: Animæ sanies melius lavacro extergitur quam cauterio. Propterea *Isaias cap. 1.*, agens de peccatis *Iudæorum*, non delet ignem defuisse ad illa curanda, sed conqueritur oleum defuisse. Proculdubio erant ad manum novæculæ ad incidendum vulnera ista, sed Propheta, volebat habere incisiones, sed fascias oleo illitas ut cum suavitate sanarentur: Oleum poscit, non flammam.

Sic *Christus* mulierem illam *Samaritanam* adulteram excepit suavi ac blanda confabulatione, & sanavit.

Redierat ad Patrem filius prodigus, exceptusque est lauto convivio, supervenit senior frater ex agro, audienque fratrem tam bene exceptum, indignatus est, & ait Patri: *Numquam dedisti mihi hadum, & postquam ille filius tuus, qui devoravit substantiam suam cum meretricibus, venit, occidisti illi vitulum saginatum*: Quid poterat amarius Patri improperare? Repressit Pater ipse suavitatem; quo modo verberibus, aut asperis verbis, aut pugnis? nullo modo: Hoc unum suaviter illi dixit: *Fili, tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt*. Sciat quisque quod vult: Ego pluris facio hujus parentis patientiam in seniore filium, quam commiserationem erga prodigum juniorem: Hic enim inflexione genuum, oculorum lachrymis, orationis submissione, miseris, totiusque corporis illuvie, impetravit à Patre ut bene tractaretur: Facile erat parenti amplexari filium lachrymantem; sed istum alium furentem, & impudentem non modo non arguere, sed filium compellare, ac opimam ei hereditatem promittere, *omnia mea tua sunt*, hoc rarum & arduum. Hoc modo ita delinitus est iste filius, fractusque illius furor blanditiis Patris, ut deinde ne verbum quidem mussarit nec de fratre suo, nec de vitulo illo occiso. Ergo clementia aptior est ad eluendas peccatorum sordes quam rigor, oleum suavitatis, quam ferrum crudelitatis.

Audite quid fecerit Deus, cum totum orbem demersisset sub aquis; ne deinceps homines ad antiqua peccata redirent, dixit ad *Noë Genes. cap. 9*: *Non erunt ultra aquæ Diluvii ad delendam universam carnem, eritque arcus meus in nubibus*: Vult inire fœdus cum ho-

hominibus ne amplius peccent, non dicit se suspensurum in aëre ingentem macharam, aut nubes disrupturum horrendis fulminibus ad terrorem, sed ponam, inquit, arcum meum in nubibus, quid illo arcu amariius? quasi diceret. Nolo peccata compefcere metu supplicii, quæ scio melius compefcenda Arcu Triumphali clementiæ: Nam peccatorum animi melius ad divinum amorem trahuntur blanditiis quam minis: Nimijs vigor ac crudelitas illos abigit, cogitque reverti ad servitutem diaboli unde exiverant. Aut ergo Deum imitare, aut si nolis, quid te immisces peccatoribus excipiendis, quando plus damni infers quam commodi.

Dicat mihi aliquis, si potest, ubi se *Christus* sævum præstiterit, vel imitem in lapsos, & tu lachrymantem *Christi* filium tantum non calcibus abigis à te. Peccavit, inquires: Numquid prodigus peccaverat? numquid non erraverat *Magdalena*? numquid innocens erat latro qui pendeat in Cruce? & quam largè copioseque illis blanditus est *Christus*? primum excepit convivio, alium excepit in Regno, nescioque an plus indullerit filio prodigo, quando illum osculo excepit, an *Magdalena*, quando permittit illi ut pedes suos oscularetur, lachrymisque rigaret?

Unde ergo erupit, truculentia ista ignota penitus Euangelio, quæ affusos ad nostros pedes poenitentes proculcamus ut lutum, vix eis abfolutione scelerum impartita, postquam conviciorum indulgentes procellam effudimus?

## DISCURSUS II.

*Persequitur Pharaon cum exercitu filios Israël, dividitur Mare rubrum, transeunt sicco pede filii Israël, Pharaon cum suis submergitur.*

Am duobus diverfis locis fixerant tentoria sua filii *Israel*, prout illos ducebat columna nubis & ignis. Primo in *Socoth*, deinde in *Etham*; quando Deus imperavit *Moyfi* ut inde migrarent, & in alia plane parte sua castra locarent juxta Mare, in loco dicto *Beelfepbon*, ita ut à sinistris vallati essent Mari, à dextris, & ante, præruptis montibus, adeoque ita conclusi ut vix daretur exitus: Ubi autem *Pharaon* intellexit illos non recto itinere incedere, & non abiisse ad

tres dies ut Deo sacrificarent, sicut petierant, sed potius fugere, sed que jam esse conclusos Mari, montibus, ac rupibus, non dubitabor quin illos certo haberet in manibus.

Nec mora, tulit sexcentos currus, inquit Scriptura, & duces totius exercitus, & omnem populum suum assumpsit secum, & persecutus est filios Israel: Cumque appropinquasset Pharaon, levantes filii Israel oculos, viderunt Aegyptios post se, & timuerunt valde.

Tria hic habemus. 1. Deum qui duxerat filios Israel in locum tam angustum, & undequaque conclusum, ut nulla spes appareret effugii. 2. Habemus Pharaonem magna vi persequentem Israelitas. 3. Israelitas summo timore correptos.

Quod contigit filios Israel recenter ex Aegypto egressis, in suo itinere ad terram promissionis, hoc plurimis accidit in hujus vitæ peregrinatione, vel recenter conversis à peccatis, vel etiam admodum piis ac Sanctis qui numquam graviter peccarunt.

Quoad primum: Quando, inquit textus Chaldaicus, egressi sunt filii Israel de Aegypto, iusserat illos Deus tertia aut quarta statione abire in talem locum, ubi via erat clausa eis à quatuor partibus: à dextris & à sinistris erant altissimi montes, & asperæ rupes, & deferta plena serpentibus, ante eos erat mare, post tergum eorum Pharaon & exercitus ejus: Erant ergo in summis angustiis.

Timor vanus de Prædestinatione.

Sic Deus sæpe agit cum suis amicis, ponitque in summis angustiis, permittendo ut obruantur tentationibus, ariditatibus, ac scrupulis: Itaque sint constituti ut putent se non posse evadere. Alii dicunt: O quam vehementer me hæc cogitatio vexat: Sumne apud Deum in amore vel odio? sumne prædestinatus nec no? Alii vexant se præteritis peccatis, & jam non semel remissis: Et quid ego scio, inquit, an peccata mea remissa sint? toties confessus sum, sed quid scio an bene? an dixerim prout debebam? an habuerim verum dolorem, aut firmum propositum? Alii turbant se in cogitationibus inhonestis, & putant se singulis pæne momentis peccare. Nullibi, inquit, sum securus, etiam in ipsa communione similes cogitationes occurrunt. Alii se victos credunt & cessisse se tentationibus suspicantur nisi blaterent adversus demonem. & forte in tentatione tacuerint. Alii numquam quieti sunt nisi assidue repetant suas confessiones, hinc non uno contracti in incertum vagantur, modo ad unum, modo ad alterum confessorium. Denique innumeros reperias qui clament cum

angustis mihi sunt undique: Hinc altissimi montes difficultatum quas patior in anima, inde rupes ariditatum quas patior in oratione; hinc vastum mare nescio quarum cogitationum, & inter hasce angustias calcibus imminet dæmon qui me persequitur: Ergo times sicut filii *Israel* cum viderent se in loco angusto conclusos advenientem cum exercitu *Pharaonem*? Quis, inquires, non timeret? an forte etiam ex animi pusillanimitate clamas cum filiis *Israel* contra *Moysem*. Quare nos eduxisti ex *Aegypto*? ideo nos eduxisti ut moreremur in solitudine? numquid diximus tibi cum adhuc essemus in *Aegypto*: Recede à nobis, ut serviamus *Aegyptiis*: Multo enim melius erat vivere eis quam mori in solitudine. Ergone te pœnitet quod te ad Deum converteris? quod te virtuti & servitio Dei addixeris? vel quod vitam spiritualem amplexus sis? Ergone malles servire diabolo, & mori inter vanitates deliciasque mundanas, quam vivere Deo inter tantas angustias? quis te non dicat insanum?

Audi ergo quid *Moyse*s dixerit *Israelitis*: Nolite, inquit, timere, sed fate: Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis.

Uidem ego verbis alloquor turbidos illos & inquietos spiritus: Quid tu angeris vanis conscientiae stimulis, & ais: Quid ego scio an sim in amore vel odio Dei? quid vexas te? dic mihi: Amas Deum, an odisti? amo, inquis, quid vis amplius? si amas, amaris, justus enim es & amicus Dei si amas: fieri non potest ut haeres vitae aeternae non sit qui mori mavult, quam peccare, ad quid ergo ista dubitatio an praedestinatus sis nec ne? nemo à Deo repellitur, neminem ipse dimittit, nisi qui sponte ex domo ejus excellerit.

Et tu quid times an peccata tua quae confessus es, sint remissa? peccaverat *David*, & jam peccatum suum confessus fuerat *Nathan* Propheta, dicens: Peccavi Domino, & audierat ex Propheta: Remissum est tibi peccatum tuum. Ille tamen singulis noctibus rigabat lacrymis stratum suum. Ecce *David* pœnitet, sed non desperat, lacrymatur, sed non obruitur, dolet, sed non ægrotat. Denique penitentiam agit, sed in lecto: Ita enim excruciabatur Propheticum illud cor commemoratione delicti, ut quasi molliter cubans in lecto, nullam quietis partem amitteret. Peccasti? dole: Confessus es? letare: Peccatum enim remissum est; dubitas? ergo non credis *Christo* dicenti, per confessionem peccata deleri? dubitas de do-

lore



lore & proposito tuo? quæ ratio? quia fortassis relapsus es? non semper relapsus signum est infirmi propositi, sed sæpe infirmitatis naturæ; si tu feceris quod in te erat quando confitebaris, bene habet: Tu rem Deo committe, & depone vanos timores.

Et tu, quid turbas te cogitationibus inhonestis, quæ tibi etiam in communione obveniunt? castitatem nemo perdit nisi qui eam projicit, oppugnare te dæmon potest, non ideo tamen amittis victoriam, sed duplicas coronam, quando doles te tales cogitationes habere: Sed dubito, inquires, an non consenserim; si dubitas, dic tibi ipsi, non consensi, si enim consensisses, non dubitares sed scires, nec enim tam enorme peccatum latere potest in animi iusti, statim prodit seipsum. Quid curas cogitationes quas in corde excitat dæmon, si ita vivis, & sic constitutus sis, ut malles mori quam peccare? cogitet virgo quæ vel nuptam dedecent, libera tamen est, si tamen vitii voluntate non servit: Quamvis omnia membra catenata videantur compedibus dæmonis, si sola voluntas compedibus careat, triumphat in vinculis, *Paulus* ipse sentiebat se captivum trahi à lege peccati, ita ut facere cogereque quæ nollet, verum quia alligato corpore voluntas libera scelus repellerebat, virtutem in infirmitate perfecit. Verbo ut dicam: Nulus in istis cogitationibus magis timendus est quam tuus timor. Dum enim times, das locum diabolo ut fortius te aggrediatur, non enim timendo illum hostem ejicies, sed magis ad te oppugnandum excitabis. Ideo dicebat *David*: Si consistent adversum me castra, non timebo.

Et tu quid blateras adversus dæmonem turpia suggerentem? & te victum credis quia illi non obmurmuras? & forte dicis: *Va mihi quia taci*, assensus sum quia continui me, & nihil dixi. Quid? ergone desperas victoriam quia tacuisti? ego è contrario inde conipicio te victorem quia siluisti: Tunc triumphabis quando diabolum non dignaris vel verbo. Ita enim te Deus vult agere cum diabolo, sicut ipse met egit cum *Pilato*: Ipse nihil respondit *Pilato*, tu nihil responde diabolo. Per silentium, inquit *Ambrosius*, triumphavit *Christus* de *Pilato*, tu quoque de diabolo triumphabis, si sileas ab eo laceffitus. Quid ergo vexas te? quid times? putasne nos iudicium habere tam ferreum qui quoties cogitamus, toties nos reos pronuntiet? nonne, si hoc putas, frustra clamat *Christus*: *Iugum meum suave est*; quando tu illud existimas esse gravissimum? sed ipsa

veritas falli non potest, ergo tu falleris quando te vexas ac times.

Et tu, qui numquam quietus es nisi assiduè reperas tuas confessiones, quia omnes præcedentes suspectas habes. Placet confessio, sed non toties repetita, non curantur vulnera nimia & sæpius iterata curatione, sed exulcerantur; nisi obvolvantur numquam coalescent, tegi debet vulnus postquam imposita sunt emplastra. Non semper incidenda vitis est, sed suum habent tempus putationis agricolæ: Alioquin si quotidie incidatur, peribit. Frustra Deum quaris per furentes procellas ac tempestates scrupulorum: Noluit Deus in templo ædificando vel mallei ictum audiri, antequam in illud cum gloria descenderet, & putas illum apud te hospitaturum, quando in te assidue auditur strepitus fluctuum, dum vix aliud agis quam omnem conscientiæ sarcinam volvere ac revolvere? excorias cor tuum cum deberes tegere vulnus: Confessarius, instar illius Samaritani, oleum ac vinum per absolutionem vulneribus animæ tuæ infudit: Quid vis amplius? cave ergo ne ligaturam resolves, quanto minus antiqua vulnera attrectaveris, tanto citius convalesces.

Denique fateor scrupulos magnis anxietatibus cruciare ac turbare conscientiam, & vix unquam homines efficere Sanctos, nisi faciant quod *Moyse*s cum videret filios *Israel* plenos timore & angustia: Quid fecit? Extendit, inquit Scriptura, manum suam, & virga percussit mare rubrum, *divisa est aqua, stabatque utrimque quasi murus, & ingressi sunt filii Israel per medium siccæ maris.* Et sic evasere omnes angustias ac timores.

Quid ergo tu disputas tecum? quid vexas animum scrupulis? quid turbas te inanibus umbris? quid desperas propter quisquiliæ? uno ictu potes omnia dispellere, *Gheest er dan eenen slag in*, ut Belgicè loquimur, percute mare rubrum, confide sanguini *Christi* pro te tam copiose effuso, ille dabit tibi viam qua evadas, & per illud mare transibis ad cordis securitatem; quis enim, nisi insanus, desperet? quis se turbet aut vexet, qui sincere credit sanguinem *Christi* effusum non ad terrorem, sed solatium nostrum, quid te tandem sanabit, si hoc non potest? Actum est de te nisi eo confugas, & clamet cum *D. Thoma*: Anima *Christi* sanctifica me, corpus *Christi* salva me, sanguis *Christi* inebria me, aqua lateris *Christi* lava me, passio *Christi* conforta me, intra vulnera tua absconde me, ab hoste maligno defende me &c.

Jam *Israelita* sicco pede rubrum mare transierant, quando *Pharaon*, & omnis equitatus & currus ejus, ingressi sunt post eos per medium maris. Iamque, inquit Scriptura, advenerat vigilia matutina, & ecce respiciens Dominus super castra *Aegyptiorum* per columnam nubis & ignis, interfecit exercitum eorum, & subvertit rotas curruum, ferebanturque in profundum: Dixerunt ergo *Aegyptii*: Fugiamus *Israel*, Dominus enim pugnat pro eis contra nos; Extenditque *Moyſes* manum contra mare, reversumque est ad priorem locum, fugientibusque *Aegyptiis*, occurrit aqua, & involvit eos Dominus in mediis fluctibus, nec unus quidem superſuit ex eis.

Quis ita turbatus conscientia, quis ita oppressus angustiis, qui omni depulso timore, non confidat, in Domino, & speret in Deo suo, quando audit *Pharaonem* cum toto exercitu submersum in mari, & filios *Israel*, ab omnibus angustiis, in quibus fuerant, liberatos? Jam pridem diabolus submersus est in mari rubro sanguinis *Christi*: Et tu adhuc vexas te? adhuc dubitas de victoria? adhuc illum times te persequentem? quid adhuc te vexant peccata quae per confessionem simul cum daemone periere in mari sanguinis *Christi*? oblivisceris beneficium quod tibi praestitit Deus, quando dubitas an peccata remissa adhuc vivant. Cave, ne metu tuo extrahas infernalem *Pharaonem* ex undis, & dum toties conscientiam, & peccata exploras, iterum resurgant quae perierant, dum magis te crucias peccatis imaginariis, quam antea cruciatus fuisti à vero peccato. Sine perditum quod perit: Noli inquirere an daemones adhuc superſit: Esto certus illum esse submersum, adeoque jam esto securus.

At, inquires, dicit Scriptura quod filii *Israel* adhuc timuerint post *Pharaonem* submersum: Fateor, & miror: Non miror, illos timuisse antequam sicco pede transierent per medium mare, urgentibus à tergo hostibus, & extremam internecionem minantibus: Sed post totum *Pharaonis* exercitum, nullo superſtite, deletum, timuisse, videtur pusillanimitatis fuisse, non fortitudinis. At dicit Scriptura illos timuisse Dominum. Hoc est aliud. Bonus enim timor est timere Dominum, ne & nos plectat, quando illum videmus alios punientem, aliqui enim plectuntur ut multi corrigantur, juxta illud *Cypriani Serm. 5 de lapsis*: Tormenta paucorum, exempla sunt omnium, discunt enim homines sibi cavere, dum ex alieno malo sapientiores facti absterrentur à malo.

Sic Deus voluit ut pœna *Caini* reliquorum omnium foret medicina: Occiderat ille fratrem suum, statuit illi Deus in pœnam ut esset profugus super terram, totumque orbem obambulare, *posuitque*, inquit Scriptura, *in eo signum*, hoc est, ut toto corpore tremere, & sine voce omnibus quasi acclamaret, ego fratrem occidi, ergo omnes sibi caveant tale scelus committere, ne plectantur ut ego. Audiamus super hacre *Chrysostrum*; sic ille Deum facit loquentem ad *Cain Hom. 19 in Genes.* Relinquam te posteritati magistrum, ut tui spectaculum illi sit admonitio, nullusque exemplum tuum sequatur: Ista in toto vitæ tuæ decursu resolutio nervorum posteritati utilis erit, & id quod solus nullo præsentente operatus es, hoc dicent omnes qui te gementem & trementem videbunt, nullusque talia audeat facere qualia tu, ne in eandem pœnam incidat.

Etiam bestiarum quasi sapientiores fiunt punitione unius, si enim lupi alibi regnent, & unus suspendatur in via, omnes aufugiunt, ut periculum vitent, idem narrat *Albertus magnus* de serpentibus; sic bestiarum unius exemplo doctæ sibi consulunt, quid ergo facient animalia rationalia?

Itaque idcirco timebant filii *Israel* cum viderent totum *Pharaonis* exercitum submersum in mari, timentes ne & ipsi perirent, sed mox timor ille evanuit, cum se viderent in salvo, tunc enim omni timore deposito, inceperunt exultare præ gaudio, tripudare, & canere, & gratias agere Deo, quod illos ab omni angustia, in qua fuerant, liberasset, & eripisset de manibus *Pharaonis*.

### DISCURSUS III.

*Filii Israël prosequuntur iter suum, & veniunt in Marâ*

Submerso *Pharaone* in mari, extulit *Moses* vocem suam, simul cum omni populo, & cecinit, inquit Scriptura, *carmen hoc Domino: Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est, equum & ascensorem dejecit in mare, & reliqua: Maria* quoque soror ejus, *sumpsit tympanum in manu, egressæque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis,*

V V 2

panis,

panis, & choris, quibus præcinebat idem canticum quod fecerat, & cecinerat Moyses cum viris.

Gratiis Deo hoc modo actis, iussit Moyses à mari rubro moveri castra, & profequi iter, veneruntque in desertum quod vocatur Sur: Ambulaveruntque tribus diebus per solitudinem, & non inveniebant aquam. Et venerunt in Mara, nec poterant bibere aquas de Mara, eo quod essent amara, & murmuravit populus contra Moysen, dicens: Quid bibemus? At ille clamavit ad Dominum, qui ostendit ei lignum, quod cum mississet in aquas, in dulcedinem versa sunt.

Hic incipit Deus probare constantiam, patientiam & fidem Israelitarum. Duxit illos in solitudinem ubi tribus diebus nullam invenerunt aquam ut biberent, cum ergo tribus diebus sitim fuissent passi, duxit illos in Mara, ubi quidem aquas invenerunt, sed tam amaras ut non possent bibere. Tunc inceperunt murmurare, & clamare contra Moysen, perimus siti, quid bibemus?

Quam bene dixit David Psal. 105. Cito defecerunt: Quomodo hoc quia obliti sunt Deum qui salvavit eos, qui fecit mirabilia in mari rubro. Fierine potest? non amplius quam tres dies transierant cum viderent submersos in mari omnes Ægyptios, ut Deus illos manibus eorum eriperet, cum toti effusi in gaudium, cantarent canticum Domino, saltarent, luderent instrumentis, ut Deo gratias agerent, & hoc tam cito obliti sunt, & eo usque à fervore delapsi, ut iam murmurent contra Deum & Moysen? cui causæ hoc adscribemus? malitiæ an infirmitati humanæ? nescio; hoc scio quod Paulus clamat i Corinth. cap. 10. Qui stat videat ne cadat, omnes alloquitur, nullo excepto, ut nemo, quantumvis Sanctus, non nimum veribus suis fidat, sed timeat, & caveat à lapsu. Scrupulos detestor, timorem laudo: Timent scrupulosi quidem, sed stultè, ubi non est timendum, dum enim res nullius momenti timent, maxime sæpe non curant; stultus timor, ego enim nullam hominum conditionem esse existimo, quæ minus timeat graviora peccata, quam eam quæ hæret in nugis, & minimis nullius prorsus momenti: Ut Christus dixit de Phariseis & scribis Matth. cap. 23, quod culicem excollarent, & camelum deglutirent, quod ad mensam non auderent accedere illotis manibus, & in animo pleni essent omni spurcitia, quod peccatum putarent non lavare scutellas & calices, cum viduas bonis spoliarent; denique cum hærent in minimis, Dominum crucifixere. Sic videas interdum aliquos diebus jejunii pondus coenæ vesper-

vespertina tam religiosæ examinare, ut etiam videantur uvam passam aut ficum ad libram appendere, cum liberrime passim, per detractiones devorent carnes proximi, aut per turpia colloquia innocentium animas fædent, ac spolient. Non est iste timor sanctorum, sed timor hypocritarum; timor Sanctorum est, non nimium sibi confidere, sed sibi cavere in omnibus, quibus possint Deum offendere. Et hoc est quod *Paulus* ait: *Qui stat, videat ne cadat*, non enim exiit omnem humanam infirmitatem qui Sanctus est: Etiam post longas orationes, Meditationes, Contemplationes post multa jejunia, post severas corporis castigationes, remanet fomes qui possit accendi, nisi diligentissime, & cum timore Domini provideamus.

Noli unquam dicere, jam hostem vici, tot annis Deo servivi, in tuto sum: non prodest, adhuc time. Statua illa quam in somno videbat *Nabuchodonosor*, aureum caput habebat, argenteum pectus, ære munita erat, & ferro robusta, nihilominus lapillo casu devoluto, non modo icta, sed eversa, & in favillas redacta est: Non nido, inquires naturæ, sed gratiæ Dei: An tu magis abundas gratia quam *Paulus*? an lux de caelo te circumfulsit? an *Christo* collocutus es? an fuisti raptus in cælum? an mortuos excitasti? & nihilominus post hæc timuit *Paulus*: *Castigo, inquit, Corpus meum, & in servitum redigo*. Quare? quia timeo, ne cum aliis predicavero, ipse reprobus efficiar. *Petrus*, qui integram cohortem militum non timuerat, *Phariseorum* ministros qui venerant ad *Christum* capiendum armati fustibus & gladiis, & sarissis, contempserat: Qui rupis instar erat, supra quam fundata erat Ecclesia, ancillam expavit, & ad illius vocem rupes tam firma succubuit *David* choris & choreis puellarum excipitur post Triumphum, & in tanta lubricitate ætatis, militiae, Victoriæ, plausuumque impollutus evadit, ætate, bello, & curis jam gravis, procul conspicit fæminam, & corrui: *Thomas* inter Crucis tormenta perstat fidelis, in gloria Resurrectionis *Christi* fædatur, & post victoriam fugit.

Mare hæc vita est; non una navis, postquam evaserat scopulos, in ipso portu naufragium passa est. Propterea ex-eremo sua clamat *D. Hieronymus Epist. ad Heliodor.* Expedite rudentes, suspendite vela, parentur anchoræ, Crux figatur in malo, noli tranquillitate fidere, magnos hic campus montes habet, & ut ait *Seneca*, momento Mare vertitur, & eodem die, ubi luserunt navigia, sorbentur.

Sic etiam, instar aëris, humanus animus, modo rores pluit, modo fulmina jaculatur, & non raro idem vapor, solis lumine coloratur in iridem, serenitatis indicium, &, mox alterius vaporis vi divulgus, ad horrorem strepit, & tonat. Denique cor nostrum officina figuli est, in qua ex eadem massa luti, modo phialæ fiunt ad ornamentum Altaris, modo ollæ ad servitium culinae.

Vide ergo an non merito clamet D. Apostolus *Paulus*: *Qui stat, videat ne cadat*. Stabant ad Mare rubum *Israelitæ*, cantabant Domino, agebant gratias plenis vocibus, & post tres dies cecidere, quando inceperunt murmurare contra Deum, quia primo non habebant aquas quas biberent, deinde tam amaras ut non possent bibere.

Audite modo quid fecerit *Moyse*: *Misit*, inquit Scriptura, *lignum in aquas, & versa sunt in dulcedinem*.

Disputant hic interpretes an illud lignum quod nobis incognitum est, vim naturalem dulcorandi habuerit sicut V.G. glyceriza, vel mel, vel faccharum: Aliqui putant quod sic. Alii tamen putant simul fuisse Miraculum quod illud lignum tam cito, & tantam aquarum copiam vertere potuerit in dulcedinem: *Iudei* vero putant fuisse lignum amarissimum, ergo tanto majus Miraculum, quod ex amaritudine potuerit prodire dulcedo, tantoque magis convenit opinioni in qua omnes Christiani conveniunt, scilicet quod illud lignum nihil aliud fuerit quam vera figura ligni Crucis, cujus sola memoria suave reddit quidquid in hac vita nobis amarum est. Nulla enim, inquit *Bernardus Serm. 65 ex parvis* tanta amaritudo est quam Crux *Christi* non dulcoret. *Christus* enim, inquit *Chrysostomus in Psal. 115*, ipsam etiam mortis amaritudinem, qui nihil amarius, exinanivit, & dulcedinem affudit.

Alludit *Bernardus* ad illud quod olim contigit Prophetis sub *Eliseo*, quod Regum historia lib. 4. cap. 4 sic narrat: *Eliseus reversus in Galgala, dixit uni de pueris suis, pone ollam grandem, & coque pulmentum filii Prophetarum, & unus egressus in agrum ut colligeret herbas agrestes, invenit quasi vitem agrestem, & collegit ex ea colocynthidas, & implevit pallium suum, & reversus conscidit in ollam pulmenti: Infuderunt ergo socii ut comederent, cumque gustassent de coctione, exclamaverunt, dicentes: Mors in olla vir Dei, & non potuerunt comedere propter amaritudinem.*

Ad has querelas, inquit Propheta: *Afferte farinam, cumque sub-*

*sent misit in ollam, & ait, infunde turba ut comedant, & non fuit amplius quidquam amaritudinis in olla, sed optimus sapor & dulcedo.*

Idem est de Cruce *Christi*, & amaritudine vitæ humanæ: Quam multæ ac variæ sint hujus vitæ amaritudines quis est qui non experitur? Inspice domos: Hic videbis jacturam bonorum, mors est in olla, in qua servabatur pecunia, jam amaritudine plena est: Ibi videbis agrum qui gravi morbo jam diu decubuit, mors est in olla, amaritudo in corde propter sanitatem amissam: Hic videbis magnas difficultates inter maritum & uxorem, mors est in olla, amaritudo in conjugio: Ibi videbis discolos filios, mors est in olla, amaritudo in corde parentum; quid facto opus? affer aliquid illius farinæ quæ confecta fuit in Cruce, cum *Christi* Corpus, quasi in mola contereretur, cogita quid ille fuerit pro te passus, nulla tanta amaritudo est, ut inquit *Bernardus*, quam ista farina non dulcoret: Mitte lignum Crucis in aquas amaras tribulationum tuarum, & vertentur in dulcedinem.

Si nescis qualis fuerit *Christus* in Cruce, audi quomodo illum describat *Isaias* Propheta cap. 53. *Fuit, inquit, despectus & novissimus virum, vir dolorum, & sciens infirmitatem: Verè languores nostros ipse portavit, & nos putavimus eum leprosum, & percussum à Deo.*

1. Fuit despectus, imo habitus pro vilissimo hominum; & tu quereris quod non æstimeris, aut alii contemptibiliter de te loquantur? vis ne ergo primus esse inter omnes, dum *Christus* novissimus fuit?

2. Fuit vir dolorum, toto nempe Corpore doloribus excruciat: & tu unius acus puncturam vix fers, cum deberes rejicere clavos, nec flagella, nec spinas?

3. Sciebat *Christus* infirmitatem, quia plus quam satis expertus erat: Et tu quereris de dolore capitis, vel pedis, cum deberes etiam graviores morbos de manu Dei recipere?

4. Pro alienis peccatis punitus est: Quam durum est nihil peccasse, & tanta pati? illi peccaverant à quibus cruciabatur: Et putas tu, si quidquid pateris, sine culpa, & innocentem pati?

Hæc si tecum ipse perpenderes aliquando de *Christo* in ligno Crucis pendente, mitteres lignum in tuas aquas amaras, & mox in dulcedinem verterentur, nisi gustus tuus ita corruptus sit, ut quod *Christo* dulce fuit, tibi uni videatur amarum.

Quid hac in re vis manifestius quam exemplum *Pauli*? *Repletus sum,*

*Vita nostra amaritudines Crucis Christi dulcescunt.*



*sum, inquit 2. Corinth. cap. 7, consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.*

Non ait simpliciter, habui solatium, sed repletus fui, non dicit tantum se gavifum fuisse, sed ita repletum ut gaudium exundaret, & hoc non in una alterave tribulatione tantum, sed in omni. Et quis tribulationes ejus enumeret? Virgas, lapides, catenas, exilia, carcerem, stigmata, naufragia, sitim, famem, nuditatem, gladios, timores, pugnas, pericula: Et tamen in omnibus tribulationibus illis non gaudet tantum, sed gaudio superabundat.

Unde hæc tanta dulcedo & voluptas in *Paulo* à Cruce: Ubi hoc dicit? *Galatas cap. 6: Mihi autem abest gloriari nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi.* Rursum *cap. 2: Ego Christo confixus sum Crucem.* Amor & desiderium *Pauli* patiendi pro *Christo* illum Crucem confixerat, & ex isto amore tanta dulcedo ut non crux, sed mollis culcitra videretur.

Propterea ut *Christus* hunc in nobis amorem excitaret magis, magisque desiderium illud acueret, quid fecit? Crucem in quo pendit in cælum transvexit, non præsepe in quo à Matre reclinatæ est, non mensam in qua sanguinis sui mysteria instituit, non navim è qua prædicavit, sed solam Crucem collocavit in cælo, postea ab Angelis producendam in die judicii; ut inde disceremus Crucis suavitatem quam voluit servari in cælo, ubi omnia manant lacte & melle, juxta illud *Davidis Psal. 30: Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine quam abscondisti timentibus te?*

Denique filii *Israel* profecti ex *Mara*, venerunt in *Elim*, & ibi, inquit Scriptura, *invenerunt duodecim fontes, & septuaginta palmis:* Mirabilis Deus qui hanc nostræ vitæ peregrinationem ita disposuit ut prospera succedant adversis, & rursus adversa sequantur prospera; primum fit ne despondeamus animum, alterum ut probemur.

Tentamur sed non perpetuo, nam post tentationem reficimur, & consolationes succedunt. Sic post victoriam *Maris rubri* venerunt *Israelite* in amaritudinem, post amaritudinem venerunt in *Elim* locum amænum rigatum duodecim fontibus, & plantatum septuaginta palmis, ubi habebant quod biberent & comederent. Hoc est proprie peregrinum esse, nunc incedere per vias lutosas, nunc per amænas, jam per asperos montes, jam per pulchras vales, nunc per grandinem, ventos, ac pluvias, nunc per cælum ferentium, jam per fulmina & tonitrua, jam per temperatos solis ardore

Jores, delicatus & mollis peregrinus est, qui semper, & omnia vult habere juxta commoda sua, & vota: Frustra est, numquam hoc fiet, ergo quidquid demum in hoc vitæ itinere nobis obvenerit, peragendum est, & dicendum si tenebræ ingruant, cum *Iob cap. 17:*  
*Post tenebras spero lucem, post tempestates sudum calum.*

## DISCURSUS IV.

*Murmurant filii Israel. Pluit Manna Deus de celo.*

**I**am trigessimus dies illuxerat, quo filii *Israel* egressi fuerant ex *Egypto*. Jam quinque diversis locis fixerant tentoria sua. 1. In *Senith*. 2. In *Etham*. 3. In *Beelsephon*. 4. In *Mara*. 5. In *Elim*, jam rursum jubentur castra movere, & ducente illos columna nubis & ignis, venerunt, inquit Scriptura, in desertum *Sin*, & sicuti in *Mara* non invenerant quod biberent, sic nec hic invenerunt quod comederent, erat enim desertum *Sin* plenum rubetis & spinis. Sicuti ergo in *Mara* murmuraverant quia patiebantur sitim, ita hic murmurarunt quia patiebantur famem, dixerunt enim ad *Moysem* & *Aaron*: *Vinam mortui essemus per manum Domini in terrâ Egypti, quando sedebamus super ollas carniû, & comedebamus panem in saturitate, cur eduxistis nos in desertum istud, ut occideretis omnem multitudinem fame?*

Interumne incipiunt hi homines murmurare? contra quem? contra *Moysem* & *Aaron*, inquit Scriptura; quid illi mali commiserant? *Eduxistis*, inquiunt, *nos in desertum istud, ut occideretis*, postremum est intolerabilis injuria illata tantis Viris quales erant *Moyse* & *Aaron*. Quid? illi ne vos volunt occidere sine quibus jam pridem fuissetis mortui in *Egypto*? quæ apparentia? quæ hæc loquendi infamia & furor?

Alterum est apertum mendacium, dicitis quod *Moyse* & *Aaron* vos in desertum istud eduxerint, falsum est: Vidistis enim oculis vestris Deum in columna vos præcedentem & ducentem, & viam monstrantem, ad illud desertum: Ergo non murmuratis contra *Moysem* & *Aaron*, sed contra Deum: Quid vultis habere? perimus fame: Quid inde? melior erat conditio nostra in *Egypto*, ibi comedebamus carnes & panes in saturitate: Hoc  
 X X etiam

etiam falsum est, sed esto: Tunc volebat Deus vos esse in tali conditione, nunc vero in alia, an non licet illi facere quod vult?

Sed quid reprehendo in *Israelitis*, quod etiamnum ubique terrarum & quotidie fieri videmus in omnibus pæne hominibus? Quot ubique querelæ ac murmuraciones, interea dum versamur in itinere hujus vitæ? Quare hoc? quia videtur Deus nemini posse satisfacere. Si Deus benefacit, vellemus plura, si plura conferrat, vellemus alia, si nobis subtrahat bona, desperamus. Denique optarem aliquem videre qui prorsus vivat sua sorte contentus; Certe *Severinus Boethius*, magnus ille Consul *Romanus*, & de *consol. Philosoph. Prosa 4.*, putat neminem esse.

Ejusdem opinionis erat Poëta *Horatius Satyra 1.*, & inquit rationem cur hoc ita fiat: Qui fit, inquit, ut nemo sua sorte contentus vivat? optime respondet: Quia, inquit, semper fortunam alienam aspiciamus, & semper nobis melior ac jucundior aliena videtur conditio, non tantum si inferioris sumus conditionis, sed etiam æqualis; Et hoc inde oritur quia sumus sicut filii *Israel*, qui non agnoscebant se ductos ab ipsomet Deo in desertum *Sin.*, & in tali conditione illic collocatos ut omnia illis deessent.

Numquid Deus novit quid cuique expediat? Ille te constituit in illa conditione in qua es: Servus es, vel ancilla? quid murmuras? quia nec nocte, nec die habeo quietem, quidquid ago non possum satisfacere Dominæ, illa jurgatur de mane in Vesperam: Fateor, difficile est, sed Deus te posuit in ista conditione, quia sciebat hoc tibi expedire.

Pauper es? famem pateris? stramen forte habes pro lecto, peris frigore male testus, molestum est: Sed Deus te in ista conditione constituit: Ergo si murmuras, murmur tuum est contra Deum, ille sciebat quid tibi expediret.

Conjugatus es? quid ais? aisne tibi impossibile esse in tali statu salutem operari? certo tibi constare te ad hunc statum à Deo non esse vocatum? à parentibus inductum fuisse? quod si omnia prævidisses quæ tibi evenère, numquam animum te adjecturum fuisse conjugio? sed quænam tibi evenère? mille molestiæ, mille difficultates ex omni parte: Ideone murmuras? murmuras contra Deum: Quia ille voluit te in tali esse conditione, quia sciebat hoc tibi expedire.

Spiritualis virgo es? numquid contenta es? nullo modo: Quippe ni? quia tam arida sum ut non lubeat orare, nullum habeo gustum in rebus divinis, non sapit lectio spiritualis, non Meditatio, non communio, nusquam invenio solatium, obruor tentationibus: Quid ergo vis? melius fuisset si religiosa facta fuisset: Ergone murmuras contra Deum quod te in tali statu posuerit? dic ergo aperte quod nesciverit quid tibi expediret.

Opifex es? quid agis? totos dies laborare pro victu: Velle sine aliud agere? quid velles? abundare divitiis, indulgere genio, ducere commodos dies, omnia habere ad votum? at Deus hoc noluit, voluit te ponere in tali conditione quæ tibi expediebat: Quid vis amplius? si murmuras contra conditionem tuam, murmuras contra Deum.

Eger es? Non dubito quin malles sanus esse, hoc est naturale ut quisque velit potius sanus esse quam æger: An ideo putas te eum ratione murmurare & conqueri de morbo? utrumque donum Dei est, & sanitas & morbus, voluit te Deus honorare dono ægritudinis: Quid habes contra? dicit enim Apostolus Paulus 1 Cor. cap. 7: *Vnusquisque proprium donum habet à Deo, alius sic, alius vero sic: Vnusquisque vero, sicut eum vocavit Deus, ita ambulet, & in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat.*

Non omnes conditiones conveniunt omnibus, nec ideo ille status felicior est quia tibi aridet, sed quia tibi conducibilior: Nec omne quod præstantius est, conducibilius est. Præstantior est gladius acu, & malleo, non tamen fartori aut fabro conducibilior est gladius quam acus & malleus, ut suam artem exerceant.

Itaque omnibus bene expensis, quod vix ullus vivat sua sorte contentus, hoc inde potissimum oritur quod tædeat illum difficultatum quas patitur, sicut tædebat *Israelitas* illius loci ubi famem patiebantur.

Sed hæc nostra miseria est quod intentos semper oculos habeamus in molestias proprias, raro in alienas; quod si omnium aliorum difficultates nobis notæ forent, non tam facile nos tæderet nostrarum, consequenter nec conditionis nostræ, nec status.

Patebit hoc ex illo quod contigit olim *Cretensibus*. Rogaverant illi, multis sacrificiis precibusque oblatis, *Iovem* supremum Deo-

rum qui natus erat *Cyete*, ut cives ac populares suos omnibus aduersitatibus, difficultatibus, ac crucibus liberaret. Respondit *Iupiter* hoc fieri non posse, dicens hoc repugnare conditioni vite humanæ, quæ non potest esse absque miseriis atque molestiis. Hoc audito aliud postularunt, nempe ut possent difficultates suas inter se mutuo commutare: Per melicet, inquit *Iupiter*. Hac facultate obtenta, præconis voce promulgari fecerunt, ut qui vellent, statuto die comparerent in foro, & quisque suas Cruces exponeret. Comparuere conjugati, & exposuit maritus difficultates quas habebat cum uxore, liberis, & familia: Et est ne, inquit, aliquis qui vult mecum commutare? uxor afferebat quæ patiebatur à viro; Viduæ desolationes atque oppressiones suas narrabat, & sic de reliquis: Ubi vero singuli aliorum difficultates, cum suis, quasi iusta lance, appenderent, deprehenderunt alias suas longe præponderare, suasque adhuc è minimis esse; & sic sua quisque sorte contenti, domum abierunt, solliciti ut in posterum eam patienter ferrent. Quod si hoc quisque nostrum etiam faceret, numquam nos tæderet conditionis vel status, sed cum patientia ferremus quod Deus nobis imposuit, & non murmurarem.

Quid fecit Deus cum audiret filios *Israel* murmurantes? Videte, & admiramini Dei clementiam. Jam tertio murmuraverant, & tamen Deus dissimulat, & tacet, imo etiam beneficia promittit, non propter ipsorum murmuraciones, sed propter suam gloriam, ut staret suis promissis: In verbo enim Dei *Egypto* exierant ut irent in terram promissionis, noluit ergo omnes disperdere ut se veracem ostenderet.

Quid ergo egit? audite Scripturam: Apparuit, inquit, Dominus *Moyse* & dixit ad eum: *Ecce ego cras mane pluam vobis panes de caelo, & saturabimini.* Cum ergo aurora diei crastinæ illuxisset jacuit ros per circuitum castrorum, in similitudinem pruinae, operiebatque totam superficiem terræ. Quod cum vidissent filii *Israel*, dixerunt ad invicem: *Manna! quid est hoc? ignorabant enim quid esset: Quibus ait Moyse: Iste est panis quem Dominus dedit vobis ad vescendum.* Et quia clamaverant admirabundi *Manna*, hinc panis ille vocatus *Manna* vel *Manna*.

*Manna* autem quoad exteriora erat huiusmodi. 1. Erat parvum & rotundum fere sicut grando, seu, ut loquitur Scriptura, sicut *semen*

men coriandri. 2. Quoad colorem erat nive candidius, vel, ut ajunt Septuaginta, instar Cryfalli: Cadebat autem de cælo hoc modo: Prius cadebat ros qui totam terram tegebat, ita ut nullæ aquæ apparerent aut fordes quæ Manna maculare possent: Super rorem istum cadebat Manna, & rursus super Manna alius ros instar pruinae quæ Manna tegebat: Cum autem sol oriretur, superior ille ros liquebat, & apparebat Manna, & tunc colligebant illud filii Israël.

Quoad interiorem vero virtutem, sic illam describit *Sapiens cap. 16. Angelorum esca nutritivisti populum tuum, & paratum panem de celo praestitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnis spiritus suavitatem. Substantia enim tua, dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebat, & deserviens uniuscujusque voluntati, ad quod quisque volebat, convertebatur.* Ergo in unico illo cibo erant omnium aliorum ciborum sapores, prout quisque habere volebat: Quod ita explicat *D. Hieronymus in Psal. 147.* Qui Manna comedebat, si desiderabat mala, si pyrum, si uvam, si panem, si carnes, secundum qualitatem & voluntatem comedentis, ita & sapor in Manna erat.

Vix scio unum Patrem, qui non dixerit hunc panem fuisse vitam imaginem, & figuram corporis *Christi* in Eucharistia; nec mirum, quia ipsemet *Christus* hoc dixit *Ioan. cap. 6. Patres vestri, inquit, manducaverunt Manna in deserto, & mortui sunt, qui manducant hunc panem, vivet in aeternum.*

Videte modo quanta sit convenientia inter Manna & Eucharistiam. 1. Dicitur Manna pluisse de cælo, ideo *Psal. 77* panis cæli vocatur: De Eucharistia dicit *Christus Ioan. 6. Hic est panis de cælo descendens*, ideo etiam seipsum panem vitæ æternæ appellat, utpote qui non tantum panis de cælo est, sed etiam qui nos ducit ad cælum, quia hoc pane roboramur & alimur in hac solitudine mundi ut perveniamus ad cælum, sicuti filii *Israël* alebantur Manna in deserto ut pervenirent ad terram promissionis; si quis autem ex cibo *Christi* alimentum non habet aut robur, signum est quod stomachum habeat plane corruptum, animam sordibus plenam, vel certe obliviscatur sumere Eucharistiam, unde cor habet tam aridum utcum  *Davide* dicere possit *Psal. 101. Aruit cor meum quia obliviscui sum comedere panem meum.*

2. Manna angelorum panis vocatur quod manibus illorum conficere-

ficeretur. *Christus* vero, melius adhuc dicitur panis angelorum, quia ipsi illo pane vescuntur in cælo: Sicuti enim nos illo vescimur, sed sub specie panis, sic illi eo vescuntur, sed sine ullo tegumento facie ad faciem, & hoc est quod olim angelus *Raphael* dicebat *Tobia*. *Ego cibo invisibili utor qui ab hominibus videri non potest*, scilicet contemplatione divinitatis, qua & nos fruimur, quamvis alio modo, in Ven. Sacramento.

3 Manna, inquit *Sapiens*, cap. 16 habebat in se omnis saporis suavitatem: Eucharistia, *Cyprianus* ait *Serm. de Cena*: Omnium exsuperat dulcedinum voluptates: Vel, ut ait *Bernardus*: Est dulcedo dulcedinum: Unde hoc? quia sicuti *Moses* vocat terram promissionis, terram lacte & melle manantem, sic, & adhuc magis vocari debet regio cæli, terra enim promissionis, cæli tantum erat figura; sumptio autem Eucharistiæ est præludium voluptatum celestium, nam ut ait *Matthias Wormatiensis*: Nos habemus sub Sacramento quod Sancti habent in cælis sine velamento: Ergo sicuti in cælo omnia fluunt lacte & melle, sic necesse est etiam fieri in Eucharistia: Et hoc est quod clamat *David* *Psal. 30*. *O quam magna multitudo dulcedinis tua Domine, quam abscondisti timentibus te! quam abscondisti*, inquit, scilicet sub specie panis & vini, quo Sancti palam & aperte fruuntur in cælo.

4 Manna habebat in se omnium ciborum saporis prout quisque volebat: Sic quando accedimus ad mensam divinam, petit *Christus* à singulis, quid vis? Vis liberari à tentationibus? fiat: Vis habere consolationes divinas? fiat: Vis habere fortitudinem in adversis? fiat: Vis filios habere morigeros? fiat: Vis pacem habere in conjugio? fiat: Vis habere hanc vel istam virtutem? fiat: Denique, ut aiebat *Christus* Apostolis: *Quodcumque volueritis petite, & si bene petatis, fiet vobis*: Nam ut ait *Chrysostomus*, *Christus* in Eucharistia aperuit thesaurum omnium divitiarum ac gratiarum.

5 Manna descendebat de nocte: *Christus* Venerabile Sacramentum etiam de nocte instituit, sic enim ait *Paulus* 1 *Cor. cap. 11*. *Noctem qua tradebatur Dominus Iesus, accepit panem, & gratias agens, fregit, & dixit: Accipite, & manducate: Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur*.

6 Non descendebat Manna in terram, nisi hæc prius esset purgata à vento, & rore; Per ventum, ut *Abulensis* *Exodi cap. 16* existimat, dispergebantur pulveres, per rorem, qui semper prius descendebat

debat quam Manna, tegebantur sordes, & tunc descendebat Manna. Sic antequam *Christus* in animam nostram descendat, oportet illam esse omni ex parte puram & mundam ut nihil sordium appareat, sed omnia rore gratiæ resperfa, ut nihil sit quod displiceat fonti illi totius puritatis ad quem accedimus: Hinc solebat olim Diaconus alta voce clamare sub Missa, *Sancta sanctis*.

7 Non datur Manna filiis *Israel* nisi cum jam deseruissent olivas carniū *Aegyptiacas*, aliosque sordidos cibos, quales erant cepe, allia, cucumeres, pepones. Sic non potest sapere Eucharistia iis qui adhuc carnales sunt, & qui gustum habent corruptum sordidius deliciis mundi.

8 Manna non est datum filiis *Israel* nisi post transitum maris rubri: Eucharistia non datur nisi dum transferimus per mare rubrum sanguinis *Christi* in aqua baptismi.

9 Postquam *Israelita* comederant Manna, paulo post pugnarunt cum *Amalecitis*, cum antea solus Deus pro illis pugnasset contra *Aegyptios*, pugnarunt, inquam, & vicerunt. Sic hostes animæ nostræ, & impedimenta itineris nostri quo tendimus ad cælestem terram promissionis, virtute Eucharistiæ superantur, juxta illud *Bernardi Serm. de Cena*. Duo, inquit, Sacramentum illud operatur in nobis, ut videlicet & sensum minuat in minimis, & in gravioribus peccatis tollat omnino consensum. Si quis enim vestrum non tam sæpe modo, non tam acerbos sentit iracundiæ motus invidiæ, luxuriæ, gratias agat corpori & sanguini Domini, quoniam virtus Sacramenti operatur in eo: Et juxta illud *Cyrilli Alexandrini Lib. 4. in Ioan. cap. 17*. Eucharistia, inquit, cum in nobis maneat *Christus*, sedat sævientem membrorum nostrorum legem, perturbationes animi extinguit, collisos redintegrat &c.

10 Manna erat minutum, nec erat proprie panis, sed species panis: *Christus* quasi minutus est in parva hostia, & in Eucharistia non est panis, sed species panis.

11 Manna erat simile semini coriandri, quod si dividatur, etiam minimæ partes terræ mandatæ sic germinant & fructum ferunt, sicuti integrum semen coriandri. Sic in Eucharistia etiam minimæ hostiæ partes in anima nostra tantum fructus proferunt, quam integra & magna hostia.

12 Quando filii *Israel* colligebant Manna, neque qui plus collegerat,



inquit Scriptura, *amplius habebat, neque qui minus paraverat, reperit minus*, cum enim domum essent reversi, omnes reperiebant eandem mensuram. Sic qui parvam particulam sumit in Eucharistia tantum sumit quantum is qui magnam hostiam recipit, nec qui magnam recipit, habet amplius.

13 Manna debebat in mortario tundi pilo, ut esset figura passionis *Christi*: Et nos in Eucharistia debemus commemorationem facere passionis *Christi*, in qua quasi in mortario, vel torculari, ita contusus fuit & fractus per verbera & flagella, per crucem & clavos, ut sanguis toto corpore exprimeretur.

14 Quando filii *Israel* primum videbant Manna, cibum ignotum, & numquam antea visum, præ stupore clamabant: *Quid est hoc?* sic merito jam clamant fideles de Eucharistia: *Quid est hoc?* & mirantur *Christum* Deum & hominem latere sub specie panis, & Deum habitare nobiscum, quod numquam prius erat auditum, nec visum.

15 Comederunt filii *Israel* Manna per annos quadraginta, hoc est, quamdiu faciebant iter per solitudinem, at ubi iam venerant in terram promissionis, cessabat Manna. Sic quamdiu peregrinamur in mundo, habemus & comedimus *Christum* in Eucharistia, sed ubi venerimus ad caelestem terram promissionis, patriam nostram, tunc non habebimus amplius *Christum* sub specie panis latentem, sed videbimus eum sicuti est, facie ad faciem.

## DISCURSUS V.

*Rursum murmurant filii Israel praesitii, & Deus dat illis aquam.*

**A**liquanto tempore manserant *Israëlitae* in deserto *Sin*, quando columna nubis se movit, & ab illâ, castra præeunte, ducti fuerunt in *Depheta*, postea in *Alus*, & jam in *Raphidim*, locus qui jacebat non procul à monte *Sinai*. Hic, inquit Scriptura, non erat aqua ad bibendum populo. Et sitiit populus, & non tantum murmurarunt contra *Moysem*, sed tam acriter in eum inveci sunt, ut *Moyse* timeret se lapidandum. Clamabant ergo: *Da nobis aquam ad bibendum; cur nos fecisti exire de Aegypto ut occideres nos, & liberaveris nostros, ac jumenta sui? & adduxisti in locum istum pessimum, qui siti*

non potest, qui nec ficum gignit, nec vineas, insuper & aquam non habet ad bibendam?

Contra Moyses: Quid iurgamini contra me? cur tentatis Dominum? & mox se proripiens de medio eorum, confugit ad tabernaculum, & corruens pronus in terram, clamavit ad Dominum dicens: Quid faciam populo huic? adhuc paululum, & lapidabit me. Audi ergo clamorem ejus, Domine Deus, & aperi thesaurum tuum fontem aquae vivae.

Tunc dixit Deus ad illum: Antecede populum, & sume tecum de senioribus Israël, & virgam qua percussisti fluvium, tolle in manu tua, & vade: En ego stabo tibi coram te supra petram Horeb, percutiesque petram, & exibit ex ea aqua, ut bibat populus: Tulit ergo Moyses virgam, & congregata multitudine ante petram, dixit eis: Audite rebelles & increduli: Numquid de petra hac vobis aquam poterimus ejicere? & percutiens virga bis silecem, egressae sunt aquae largissimae.

Tam largae fuerunt ut instar multorum torrentium inundarent, inquit David, Psal. 77 adeoque fluvium efficerent qui toto itinere illis aquam praeberet donec venirent in terram promissionis, & hoc est quod Paulus ait 1 Cor. cap. 10, scilicet, quod Petra illos sequeretur, non quidem ipsa petra, ut quidam fabulantur Iudaei, sed fluvius qui de petra fluxerat.

Jam tertio audivimus Israëlitas graviter murmurantes contra Deum. 1. In deserto Mara quia deerat aqua potabilis. 2. In deserto Sin, quia deerat panis. 3. In Raphidim, quia rursus deerat aqua. Mirabile hominum genus! numquid videbant nocte ac die Deum in columna nubis & ignis illos praecedentem, & ducentem quocumque irent? Numquid ergo videbant praec oculis hanc esse voluntatem Dei ut illa ipsis evenirent? quid ergo tandem volunt habere? an ut Deus omnia faciat prout ipsi volunt, & non prout ipse vult? quid ergo vos vultis? volumus aquam ad bibendum: Volumus panem ad comedendum.

Quid si Deus nolit? cujus voluntas debet praeferrí? vestra, an Dei? neminem puto esse qui non dicat, voluntatem Dei tamquam supremi Domini, qui omnia videt, praevidet atque disponit, debere praeferrí, sed plurimi sunt qui cum hoc verbis fatentur, contrarium factis ostendant, quando vix unquam voluntate Dei contenti sunt; quidquid enim eveniat, nisi sit juxta voluntatem eorum, numquam quiescunt, adeo ut necesse foret ut Deus assidue ad illos veniret, & peteret quod petebat olim Christus à caeco

Y y men-

mendico: *Quid vis ut faciam tibi?* Dedi tibi sufficientia bona ut honeste vivas, & tamen invides aliis quod plura habeant: *Quid vis ut faciam?* ut tantumdem tibi dem quam aliis? at ego nolo: An ego à te petere debeo quid velis, vel tu mihi dicere, *fiat voluntas tua*: Si æger es, vel minimum pateris, murmuras: *Quid vis ut faciam?* ut tibi dem sanitatem? at ego nolo; uter debet præferri? Non sic agebat *Christus* cum patre quando dicebat in hortu: *Non mea voluntas fiat, sed tuâ.*

Confirmas humanam voluntatis cum divina.

Memini me aliquando, cum de hac materia agerem, ordinem regimenque totius mundi comparasse magno ac universali horologio alicujus magnæ civitatis: Non erit abs re si modo memoriam discursus illius breviter refricem, ut tanto firmiter inharere animo quomodo nos conformare debeamus voluntati divinæ, quod ego existimo esse unum ex præcipuis fundamentis totius vitæ Christianæ.

Dico igitur 1. Dei providentiam dirigere mundum, omniaque ordinare instar horologii, habet enim omnes horas atque minuta ad ultimum usque in sua potestate. Sicut enim ait *Christus Act. cap. 1. Pater meus Cælestis posuit in sua potestate tempora & momenta.* *Eccl. Sapiens ait cap. 11. Disposuit omnia in mensura, numero, & pondere.*

Hic habes perfectum horologium, habes pondera, habes mensuram, habes & numerum horarum ac minorum. Hujus horologii tantam curam gerit providentia Dei ut numquam possit errare. Horologia civitatum non ita, sæpius enim errant vel negligentia directoris, vel vitio instrumentorum: In horologio vero divino, omnia tam precise, & constanter procedunt, ut nulla sit hora, nullus horæ quadrans, nullum momentum, quæ non habeant certam suam mensuram.

Videte hoc in variis Scripturæ exemplis. *Ioannis Cap. 1.* significabat B. Virgo filio suo vinum deesse in nuptiis *Cana*: Respondit illi *Christus*: *Nondum venit hora mea.* Hoc nihil aliud erat dicere, sine me agere, statuta est certa hora ut faciam miraculum, quando illa advenerit, tunc faciam.

*Ioan. cap. 7.* miserant Principes Sacerdotum & Pharisei satellites ut *Christum* comprehenderent, sed nullus misit in illum manus, quia *nondum venerat hora ejus*, inquit *Ioannes*: Ergo in horologio Dei certa quædam erat hora statuta, quæ *Christus* comprehendere debebat.

Denique idem Evangelista ait *cap. 13.* *Iesus sciens quia venerat hora eius ut discederet ex hoc mundo*, cœnam fecit cum discipulis: Ergo certa hora erat statuta qua debebat mori. *Iudæi* spatio trium annorum toties occasionem habuerant ut illum caperent, & occiderent: Incedebat enim publice per plateas, concionabatur in templo, docebat in Synagogis, accumbebat cum illis ad mensam; sed tunc nondum venerat hora eius: *Civis Nazareni* illum jam duxerant in verticem montis ut illum inde præcipitarent, sed ipse transiens per medium illorum ibat, quia nondum venerat hora eius. Interea fluxerat horologium Dei quando tandem hora advenit, scilicet tertia post meridiem, 25 Martii: Hæc erat hora quam Deus in suo horologio statuerat ut filius eius moreretur: Ecce quam præcisè Dei horologium procedat in suis horis atque momentis.

Sed habent etiam singuli homines suum horologium, nullus enim est qui non habeat suos affectus & concupiscentias: Mei autem affectus, inquit *Augustinus*, sunt pondus meum: Concupiscentiæ rotulæ sunt quæ affiduè moventur ab illis ponderibus: Quocumque enim feror, inquit rursum *Augustinus*, illis feror. Sed horæ quæ nos in nostris horologiis statuimus non possunt recte procedere, nisi præcisè usque ad ultimum minutum conveniant cum horologio Dei. Ad hoc se accommodare debet quidquid in mundo est, sicuti se omnes accommodant ad commune horologium urbis, opifices ut vadant ad opera, pueri ut vadant ad scholas, religiosi ut surgant & orent, nautæ ut navigent &c.

Quod si quis velit horologium suum disponere tantum juxta phantasiam suam, & non respicere ad horas quas statuit Deus, omnia inverso modo procedent.

Exempli gratia, incidisti in aliquam difficultatem, & libenter haberes ut horæ quam velocissime currerent, ut quam primum liberareris. Frustra est. Si enim Deo placet suas horas suspendere, & diutius relinquere in mœnore, tu quoque debes horas tuas suspendere, & te Deo accommodare. Si enim incipias murmurare & dicere, quare tamdiu hæreo in hac miseria? quando erit finis? quando veniet hora qua liberabor? Horologium tuum male dispositum est: Vis enim horologium Dei, quod numquam potest errare, disponere juxta tuum, quod tot habet errores, quot habet inordinatos affectus & concupiscentias.

Sine Deum agere, & accommoda te ad horas ipsius, non potes errare,



tia: quæ numquam potest errare, five enim mature veniat, five tarde, semper venit in tempore, quamvis multis videatur in tempore non venire, quia ipsorum voluntas non convenit cum voluntate illius.

Itaque si fides providentiæ divinæ, non habes quod timeas: Quando enim hæc providentia defuit mundo? numquam. Capiamus ergo Deum interdum diutius expectare quam nos optamus, semper suo tempore venit: Si non veniat illa hora quam tu statuisti, quia horologium tuum non est bene dispositum, veniet illa hora quam ipsemet statuit in horologio suo, quod numquam potest errare.

Quapropter, inquit *Paulus 1. Cor. cap. 10*: Nolite murmurare, sicut filii *Israel* murmuraverunt. Quando enim illi putabant omnia esse desperata, & se morituros præfati; ecce adest Deus, & plus facit quam quisquam poterat sperare; quis enim credidisset ex arida rupe posse fluere aquam quam pro illo tempore biberent, sed tam abundantem, ut illos ubique, & tot annis instar fluvii sequeretur?

Ipsimet Deus duxerat illos per talem viam quæ tam molesta erat propter inopiam aquæ, nemo melius noverat vias per quas ducendi erant ad terram promissionis, quam ipse: Et nos quotquot sumus, peregrinamur ad cælestem terram promissionis, ipse nos ducit & vehit, & volumus nos Deo leges statuere per quas vias nos vehere debeat?

Quod si nos vehat per vias molestas, debemus cogitare quod illæ sint breviores; Si nos vehat per vias plenas tædio, debemus cogitare quod illæ sint optimæ. Hoc est quod *Sapiens ait Prov. c. 3. Deus diriget vias tuas: Tuas vias*, inquit, ut ostendat, quod te particulariter velit vehere per vias molestas ac tædiosas, alios non. Debes tuis viis esse contentus, & voluntatem tuam conformare divinæ: Quis est qui auderet petere à Deo, quare aliter agis mecum quam cum aliis? ergone plus sapere vis quam auriga tuus quasi tu melius vias nosse quam ipse? Aut putas fortasse quod Deus rationes non habeat ut te potius vehat per vias difficiles, quam alios?

Si quærerem ex aliquo qui assidue iter facit. Quare vadis modo navi, modo curru, modo pedes? Proculdubio posset rationes adferre, ac dicere: Jam vado navi, quia viæ terrestres non vacant periculo propter latrones. Jam curru, quia periculosa est aqua propter

pter tempestatem, & aestum. Jam pedes, quia serenum est caelum, volo aliquid exercitii facere. Tu ne potes tot rationes adferre tui itineris, & putas Deum rationes non habere cur te ducat per illam viam vel istam, alios vero non?

Cum esses in prosperitate Deus vehebat te navi pro commo- tuo, ferebatur navicula negotiorum tuorum secundo vento, & ma- lacia, absque ullo infortunio; forte exiguus aliquis nimbus inter prosperam navigationem exortus est, parva aliqua jactura bono- rum, vel alia difficultas quam non praevideras vel expectaveras, forte egisti cum Deo sicuti aliquando agunt vectores cum nautis quando subito tempestas exurgit, navis quassatur modo in unam, modo in alteram partem, & haurit aquam, exoritur clamor in na- vi inter vectores, & clamant: Nauta, invigila, perimus; at nauta qui novit ventos & auram, nolite, inquit, turbari, non est pericu- lum; si pergant vociferari, irascitur nauta, & ait: Ergone existima- tis mihi meam vitam minus esse caram, quam vestram vobis? si tu in tua prosperitate ita egeris cum Deo, quasi ipse non invigila- ret, nec sciret quomodo navim tuam deberet dirigere, vide quid contigerit: Cogitavit Deus, hic homo non est aptus qui iter faciat navi, & qui vivat in prosperis, quia si minimus nimbus infurgat, vi- detur illi mundus perire, ergo currui illum imponam, ut plus mo- lestiae ferat, videamque an sustinere possit iter arduis lapidibus ob- situm: Forte vidit te adhuc magis contra haec murmurare ac queri. Tandem cum videret te esse tam delicatum ac mollem ut nec incommoda navis, nec currus pati posses, voluit te istam mol- litiem dedocere & te peditem ire per difficillimas atque immes- siles vias, ut sic te duceret ad terram promissionis caelestem, ad quam numquam forsitan pervenisses, si te duxisset semper per vias priores.

Denique sine te regi ac duci à Deo, conforma voluntatem tuam voluntati illius, quocumque ille te duxerit, quidcumque in via ob- venerit, salvus eris.

## DISCVRSVS VI.

*Pugnant filii Israel contra Amalecitas, & Victoriã referunt.*

**I**am transferant filii *Israel* Mare rubrum, manducaverant Panem de celo, & biberant aquam de petra, quando invaserunt illos *Amalecita*, & extremum illorum agmen, præsertim eorum qui hæsi in via refederant, cæciderunt.

Erant *Amalecita* populus qui habitabat in deserto, habebantque Regem vel Principem nomine *Amalec*, qui erat nepos *Esau* fratris Patriarchæ *Jacob*.

Itaque causa hujus belli videtur fuisse antiquum odium *Esau*, & posterorum ejus contra *Jacob* ejusque posteros, quia ille præripuerat *Esau* primogenita, & benedictionem Paternam. Timebant enim sibi *Amalecita* à tanto exercitu *Israelitarum*, & verebantur, ne jam impleretur illa Benedictio quam *Jacob* à Patre suo *Isaac* obtinuerat, fore scilicet ut esset Dominus fratrum suorum, illique servirent populi, & tribus eum adorarent. Irruerunt ergo in posteros *Jacob*, ut transitum illorum impedirent ad terram promissionis.

Hic populus primus fuit post transitum Maris rubri qui bellum intulit *Israelitis* ne ad terram promissionis pervenirent.

Et hic rursus habes vivam figuram peregrinationis nostræ ad cælum. In primis *D. Paulus* 1. *Corinth. cap. 10* dicit transitum Maris rubri figuram fuisse nostri baptismi: Sicuti enim, statim initio itineris *Israelitarum* omnes *Egyptii* cum Rege suo *Pharaone* in Mari rubro submersi fuere, sic omnia peccata, præsertim originale in parvulis, statim initio vitæ, submerguntur, per baptismum, in rubro Mari sanguinis *Christi*. Verum, sicuti post transitum Maris rubri alii hostes supererant, scilicet *Amalecita*, qui pugnant contra filios *Israel*, sic & nos post baptismum, alios hostes habemus qui bellum contra nos gerunt.

Audiamus *D. Gregorium lib. 9. Epist. 39*: Maris, inquit, rubri transitus figura Sancti baptismatis fuit, in quo hostes à tergo mortui sunt, sed alii contra faciem in eremo sunt inventi: Sic omnes qui in Sancto baptismo tinguntur, eorum præterita peccata merguntur: Sed in eremo alios hostes invenimus, quia dum in hac vita

sumus,



sumus, priusquam ad promissionis Patriam pertingamus, multæ tentationes nos fatigant, & ad terram viventium tendentibus, intercludere festinant.

Præcipuus, & maxime ferox inter hostes, est diabolus, de quo ait *Petrus Epistola 1, cap. 5*: *Sobrii, inquit, estote, & vigilate, quia adversarius vester diabolus, tanquam Leo rugiens circuit quærens quem devoret.*

Patuit hoc evidenter in *Christo*, prout narrat *D. Matheus cap. 3 & 4*. *Venit, inquit, Iesus à Galilea in Iordanem ad Ioannem ut baptizaretur in eo, & jam baptizatus, statim, inquit Marcus cap. 1, secessit in desertum, & ecce, inquit Matheus, tentator, hoc est diabolus, ad eum accessit, ut illum variis tentationibus oppugnaret; tria in illum direxit jacula; primum gulæ, cum dixit: Dic ut lapides isti panes fiant. Secundum vanæ gloriæ, cum illum è deserto Ierosolymam vexit, & statuit supra pinnaculum Templi, & dixit: Si filius Dei es, mitte te deorsum, scriptum est enim: Angelis suis mandavit de te, & in manibus tollent te. Tertium jaculum erat impietatis, cum illum assumpsit in montem excelsum valde, & ostendit ei omnia Regna mundi, & omnem gloriam ejus, & dixit: Hæc omnia tibi dabo si cadens adoraveris me.*

Quod si malignus ille spiritus tantum ausus est in *Christum*, cum tamen suspicaretur illum esse filium Dei, quid non audebit contra homines?

*Christum* semel aggressus est, & uno dumtaxat loco, nos vero ubique, & semper, dicit enim *Petrus, circuit, semper in motu est, quærens quem devoret*. quid præterdit? impedire iter nostrum versus celum, sicut *Amalecitiæ* volebant impedire iter filiorum *Israel* versus terram promissionis.

Quid nobis factu opus? quod fecit *Moyfes*. *Moyfes, inquit Scriptura, ascendit super verticem collis cum Aaron fratre suo, & Hur nepote suo, & cum Iosue pugnaret armis contra Amalecitas, ipse pugnavit oratione: Et ut Scriptura ostenderet orationem Moyfis potentiorē fuisse quam arma Iosue, ait: Cum levaret Moyfes manus, vincebat *Israel*, sin autem paululum remisisset, superabat Amalec. Sedebat autem *Moyfes* in saxo: *Aaron* vero & *Hur* sustentabant manus illius ex utraque parte, & factum est ut manus ejus non lassarentur usque ad occasum solis: Fugavitque *Iosue* Amalec & populum ejus in ore gladii.*

Si ergo diabolus sit hostis noster qui nos oppugnat sicut *Amalec* filios *Israel*, ut jam ostensum, noli quærere quibus armis vincendus sit.

Oratione  
superandus  
diabolus.

sic ac fugandus, res enim patet per se, non esse arma potentiora quam orationem cum firma fide: Laudat enim D. Apostolus Paulus *Hebr. cap. 11* fidem *Moyſis*, qua, præter orationem, hostes *Israelis* devicit.

Orationem esse potentissima arma ad superandum diabolum, docuit nos i. *Christus* ipse *Luca cap. 22*. Cum enim nocte Passionem præcedente dixisset Apostolis: *Ecce Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum*, cum jam ivisset ad hortum, & invenisset tres Apostolos dormientes, docuit quibus armis diabolo possent resistere, dicens: *Orate ne intretis in tentationem*: Quia, ut ait, *Bernardus Serm. 49 de modo bene vivendi*: Oratio est prima virtus adversus tentationum incurſus, per orationem superantur dæmonia. Et *D. Chryſostomus*, Oratio telum acerrimum est ad dæmonum impetum propulſandum. Nec enim video cur oratio minorem virtutem haberet ad fugandos hostes spirituales, quam hostes corporales quos innumeri pæne duces exercitus, cum parva interdum manu, per orationem debellavere.

Quod anima est corpori, hoc fides ac fiducia est orationi, sicut enim anima dat vitam corpori, sic fides ac fiducia est quasi tota vita & spiritus orationis. Propterea quando *D. Iacobus* Apostolus *cap. 1*, nos excitat ad orandum, *Postula*, inquit, *in fide nihil hæsitans, qui enim hæſitat, similis est fluctui maris, qui à vento movetur & circumfertur, non ergo æſtimet homo ille quod accipiat aliquid à Domino*. Hoc ipsum nobis inculcat *D. Petrus* cum ait: *Vultis victoriam referre de dæmone? Resiſtite*, inquit, *& ſtate fortes in fide*. Magnum virtutum cæterarum pretium est, magna vis, sed fidei majus robur, & comparandis victoriis opportunius. Dixerat *Paulus Ephesus*: *Accipite armaturam Dei*, præcingite vos baltheo veritatis, induite loricam iustitiæ, sed his non contentus: *Sumite* inquit, *in omnibus scutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere, orantes omni tempore*. Jungite ergo fidem firmam orationi, & sic procedite in campum contra diabolum & mundum, & prævalebitis, & omnia ipsorum tela confringetis.

Si petam à Deo quibus armis tot fideles dæmonis mundique sagittas evaserint? respondebit mihi ore *Pauli Hebr. cap. 10*: *Iustus meus ex fide vivit*, ac si dicat: *Miraris tot inter hostium tela justum saluum & inecolumem? ex fide vivit*, hoc debet scuto fidei, quo se contra omnia tela defendit: **Ubi fides orationi conjungitur nihil timendum,**

Zz

mendum,

mendum, quamvis totus in nos infernus cum mundo conspiceret. Et hoc est quod *Christus* aiebat *Marci cap. 9*: *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti.* Sic enim agitur inter Dei virtutem & humanam infirmitatem, sicuti videmus agi inter cælum & terram: Non sufficit ad segetem producendam virtus astrorum, hac enim & saxa perfunduntur, & saxei montes, & ne quidem ibi fenum oritur; Terra debet conformari cælo ut germinet herba. Hoc porro agitur nobis fides, quod in humo fertilitas: Adeoque si fides in nobis languat, infirma est omnis potentia, maxime orationis, quantumvis magna.

Recordare Apostolorum excitantium Salvatorem dormientem. Prævaluerat pœnè mare contra creatorem suum, & jam fluctibus hauriendus putabatur, qui fluctibus tulerat legem: Quomodo hoc quia fides Apostolorum vacillabat, cum timerent præsentem *Christum* se perituros. O discipuli! inquit *Origenes Hom. 6. in diversas*, Dominum Salvatorem vobiscum habetis, & periculum timetis? Vita vobiscum est, & de morte solliciti estis? Quid mirum? ideo timebant quia infirmam fidem habebant.

Contra vero *Petro* delatum fuit imperium terrarum & cæli, non ob jejunium, aut lacrymas, sed nec ob amorem in *Christum*, sed tantum ob fidem; quando *Christum* Dei filium confessus, statim renuntiatus est Ecclesiæ fundamentum & Princeps cæli.

Itaque si vis de hostibus animæ tuæ reportare victoriam sicut *Moyse* de *Amalecitis*, ora, sed firma cum fide fiduciaque in Deum, omnia enim possibilia sunt credenti, ut *Christus* ait, ostenditque non uno exemplo.

Nihil in mundo est magis indomabile mari, quod solus Deus imperio suo frænare potest. Illud tamen Fides sub pedibus calcavit. *Petrum* testor, qui quamdiu fidem habuit mare calcavit, ac ubi fides ejus elanguit, cœpit turbari & pæne vinci à mari ac submergi. Propterea *Christus*, cum alio tempore Apostoli illum dormientem in tempestate excitarent: *Quid timidi estis*, inquit, *modica fides?* necdum fidem habetis? non dicebat: *Quid turbamini cum navim habeatis omni apparatu instructam?* nec vela vobis desunt, nec remi, sed & gubernaculum vobis ad manum est ad frangendas tempestatis vires, & fluctuum impetum. Horum ne meminit quidem. Quid quod nec de reliquis virtutibus meminit. Non dixit illos charitate munitos esse contra fluctus, nec castitate eos dixit securos

securos esse ab æquore, sed nec de spe loquitur. Una fides in Apostolis exigitur ut triumphant de mari ferocissimo elemento.

Sed à mari veniamus ad terram, ibi audiemus *Christum* dicentem *Matth. cap. 17*: *Si habueritis fidem dicetis monti huic: Abi hinc, & transibit.* Ergo non mare tantum, sed etiam montes cedunt potentia fidei, quid ergo impossibile est credenti?

Quod si per montem, cum *D. Hieronymo*, dæmonem intelligamus Principem mundi. Ecce quanta vis fidei, ut possit dæmonem expellere, quamvis sit jinstar montis tam magnus, & tam firmis radicibus fixus.

Denique si firmam fidem haberemus junctam orationi, quidquid habemus pro hoste, uno istu tantis viribus superaretur. Pro hoste passim habemus miseras, adversitates, morbos, paupertatem, vexationes, jacturas, persecutiones, infamiam, si vere crederemus hæc omnia nobis immitti à Deo, vel ad majorem ejus gloriam, vel ad nostram salutem, quantas & de illis hostibus, & de nobis ipsis referemus Victorias?

## DISCURSVS VII.

*Deus præparat filios Israel ad suscipiendam legem quam erat daturus.*

Am incipiunt mysteria. Castrametati fuerant filii *Israel* aliquanto tempore in deserto *Raphidim*, ubi fluxerant aquæ de petra ut sitim levarent, ubi cæciderant *Amalecitas*: Jamque, inquit Scriptura, erat mensis tertius quo egressi fuerant de terra *Aegypti*, quando columna nubis se levavit de Tabernaculo, & ad ejus motum, illi pariter castra moverunt, & venerunt in solitudinem *Sinai*, ibique ad annum morati sunt.

Hæc fuit, inquit *Hieronymus*, duodecima eorum mansio, ubi media pars *Exodi*, & totus *Leviticus*, & *Numerorum* præcepta, descripta sunt. Itaque interea dum illi commorantur in *Sinai*, oportebit nos ea quæ narrantur in libris *Leviti*, & *Numerorum* usque ad Caput decimum, miscere cum libro *Exodi*.

Primum quod *Moyse*s cum venisset in Solitudinem *Sinai* quæ sic vocatur ab ejusdem nominis monte, ascendit in istum montem ad

Z z 2

Deum,

Deum, Vocavitq; eum, inquit Scriptura, de monte & ait: Hec dices domui Iacob, & annuntiabis filiis Israel: Vos ipsi vidistis quae fecerim Aegyptiis, quomodo portaverim vos super alas aquilarum, & assumpserim vos. Si ergo audieritis vocem meam, & custodieritis pactum meum, eritis mihi in Regnum Sacerdotale, & gens Sancta. Hae sunt verba quae loqueri ad filios Israel.

Descendit moyses de monte, & convocatis majoribus natu populi, proposuit omnes Sermones quos mandaverat Dominus: Responditque omni populus simul: Cuncta quae locutus est Dominus, faciemus.

Tunc rursus ascendit moyses in montem Sinai, & retulit Deo responsum filiorum Israel: Dixit ei Deus: Iam nunc veniam ad te in caligine nubis: Vade ad populum, & sanctifica illos hodie & cras, laventque vestimenta sua, & sint parati in diem tertium, in die enim tertia descendet Dominus coram omni plebe super montem Sinai.

Hic incipit Deus prae parare corda filiorum Israel ad suscipiendam legem Dei quam paulo post est daturus.

Timor Dei  
initium  
Sapientia.

1. Incipit à timore, cum dicit: Vos ipsi vidistis quae fecerim Aegyptiis, quot & quantas plagas illis immiserim quia volebant mihi obedire: Vos ergo obedite legibus meis nisi velitis eodem modo puniri, & timete, quia nullus impius evadet manus meas. Bene incipit Deus à timore, quia, ut ait David Ps. 110: *Initium sapientiae timor Domini.*

Hinc clare patet illorum insania qui nihil aliud clamant quam charitatem Dei: perfectam charitatem exigunt à peccatoribus qui jam recenter emergunt è sordibus in quibus multis interdum anni jacuere sine ullogustu rerum caelestium, voluntq; illos ad illum gradum statim ascendere ad quem etiam sanctissimi ac perfectissimi qui plurimis annis Deo servierunt, vix adhuc pervenere: Quis ille modus? nullum opus bonum fieri volunt nisi ex puro Dei amore: Quid ergo clamat David: *Initium Sapientiae timor Domini?* Si initium ergo vitae Christianae fundamentum; & quid est charitas Dei, perfectim tam perfecta qualem tales homines exigunt etiam à peccatoribus qui primum incipiunt vivere Deo? illa charitas est supremum virtutum omnium vertice: Ergo qui docet ab amore incipiendum, vult ut homines incipiant aedificare à testeo, nullo prius posito fundamento, quod quam insanum sit, nemo non videt.

Non hoc nos docuit Deus quando volebat filios Israel prae parare ad legem suscipiendam, sed ante omnia proposuit illis poenas quibus castigarat Aegyptios, ut doceret illos primum timere: Hoc

primum fundamentum fuit quod ab illis jaci volebat ut supra hoc cæteras virtutes ædificarent.

Sic & nos docuit *Christus Luca cap. 21*, ubi Apostolis suis primo ob oculos ponit terrorem judicii, & tunc illis prædicit fore ut trahantur ad reges & præsidēs, conjiciantur in carceres, multasque alias persecutiones patiantur. Primo ponit timorem tanquam fundamentum Ecclesiæ, quando illis proponit terribilem judicii diem, postea prædicit tyrannorum immanitates: Rideo ergo eos qui nihil aliud habent in ore quam amorem Dei. *Christus*, interea, sapientia Dei, quæ docendo falli non potest, firmaturus Apostolos, Heroas mundo proterendo assuetos, contra tyrannorum supplicia extremæ diei terrorem proponit. Quid ergo homines illi aliis blandiuntur ut existiment abjiciendum timorem, & sola nos charitate satis armari?

Si hoc verum est, ad quid ergo clamat *David: Timete Dominum omnes Sancti*? Si enim timor, etiam omnibus Sanctis, necessarius est, quanto magis peccatoribus qui primum è peccatis suis emergunt? Si illis timendum qui jam in ædificio perfectionis profecerunt, quanto magis illis qui primum incipiunt jacere fundamenta, cum expresse dicat *David* initium, hoc est, fundamentum sapientiæ esse timorem Domini. Quot annis laboravit *Theresia*, quot *D. Ignatius*, quot alii similes Sancti, ut pervenirent ad apicem charitatis divinæ, & tu exigis à peccatore se convertente ut in momento, vel spatio paucorum dierum eo perveniat? Ego sane sic existimo, aut quod non intelligas naturam perfecti amoris, aut quod velis peccatorem à conversione avertere dum illi hoc impetras quod tanto labore constitit maximis Sanctis.

Alterum quod Deus exigebat à filiis *Israël* ut se præpararent ad legem ejus suscipiendam, erat, ut essent memores beneficiorum quæ ab ipso acceperant. *Vidistis*, inquit, *quomodo portaverim vos super alas aquilarum, & assumpserim mibi*.

Vult dicere: Sicut aquila tam alte volat ut sit extra telorum jactum, & extra omne periculum, sic etiam portavi te. Multa enim hæc tibi imminebant pericula, submersionis in mari rubro, famis, sitis, belli, sed omnia meo ductu evasisti illæsus. Et quod majus est, *ego assumpsi te mibi*, hoc est, non ad tempus aliquod te liberavi, sed etiam deinceps sum liberaturus. Hæc beneficia illis proposuit, ut illorum memores, tanto alacrius, & gratiori

tiori animo legem Dei suscipere, & observarent.

Dei bene-  
ficia & li-  
beralitas.

Quod si & nos beneficia quæ nobis præstitit Deus velimus ex-  
pendere & meminisse, quid erit quod non velimus pro illo præsta-  
re? inveniemus enim, inquit *Seneca*, *Lib. 4 de Benef. cap. 4*, nemi-  
nem esse ad quem non aliquid ab illo benignissimo fonte mana-  
verit: Imo tam liberalis est, inquit, ut etiam non rogatus  
donet.

Probat hoc *D. Chrysostomus* exemplo *Ioannis & Petri* qui hora no-  
na ascendebant ad templum ut orarent, sed priusquam templum  
ingrederentur, sanabant claudum qui sedebat ad fores: Ecce, in-  
quit, ante operantur quam ipsi Dominum deprecantur, effectus  
preces præveniunt, & Dominus ante effecit quam oretur.

Quam multa benignus Deus in sinum tuum coniecit quæ nec  
rogasti, nec desiderasti, nec sperasti? Cum nihil esses, eduxit te  
Deus ex illa infinita abyſſo nihili, in qua non tantum innume-  
rabilis hominum multitudo, sed etiam nobilissimorum spirituum  
latet, & æternum latebit, numquam evocanda in lucem, quo-  
rum ingens numerus majorem Deo venerationem deferret quam  
tu.

Disce aliquid à Gentili: Unde, inquit *Seneca supra cap. 6*, istum  
trahis spiritum? unde istam per quam actus vitæ tuæ disponis, lu-  
cem? non illa rogasti, nec sperasti: ultro tibi Deus ista concessit.  
Unde tibi ut inter Catholicos Catholicus nascereris? Innumeris  
periculis tum animæ tum corporis te Deus eripuit, quæ nec cave-  
re, nec prævidere potuisti, adeoque nec te inde eximere. Gratia  
Dei prævenit *Paulum*, *Mattheum*, *Zacheum*, & inter innumeros  
peccatores etiam te prævenit antequam rogares: Hoc est quod *Se-  
neca* ait: Tam liberalis est Deus, ut etiam non rogatus donet.

2 Liberalior est in dando quam promittendo, secus ac inter ho-  
mines fieri consuevit, qui aureos montes promittunt, & nihil  
præstant. Ægri à medicis depositi quæ divis anathemata, & Deo  
vota promittunt? sanitati restituti aut differunt, aut negligunt.

Jactatur quis tempestate, quæ & quanta non promittit? cereum  
instar mali offerendum statuit, periculo ereptus vel omnium ob-  
litus, vel exiguum aliquem cereum offert.

Non sic agit Deus. Promisit Deus *Moyſi* fore ut virga ejus ger-  
minaret quem in Sacerdotem eligeret, quæ postea non germina-  
vit tantum, sed etiam folia, & flores, & fructus protulit: Multo  
plura.

plura, inquit *Origenes*, *Hom. 9 in Num.* & pretiosiora largitus quam promisit.

Plena est Scriptura similibus exemplis: *Jacob* optabat filium suum *Ioseph* videre vivum, & hoc sufficit mihi, inquit: Sed non sufficiebat Deo, fecit enim ut *Ioseph* non tantum vivum videret, sed etiam principem domus *Pharaonis*, & totius *Aegypti* proregem: Multo, majora, inquit *Chrysostomus*, *Hom. 63 in Genes.* Deus illi donavit quam desideraverat.

Servus ille qui decem millia talenta debebat Domino suo *Matth.* cap. 18 rogabat Dominum ut sibi aliquas inducias concederet, & Dominus illi totum debitum dimisit quod non rogaverat.

Hoc unum rogabat latro in cruce ut *Christus* sui vellet meminisse, hoc *Christus* non contentus promisit illi fore ut illo ipso die secum esset in paradiso: Plus tribuit, inquit *Ambrosius*, *Lib. 10 in Luc.* quam rogatur: Sufficiebat latroni ut *Christus* sui meminisset cum veniret in regnum suum, hoc erat post 40 dies; sed hoc non sufficiebat *Christo*, non, inquit, usque dum venero, sed *hodie eris in paradiso*.

Denique quicquid videmus in tota rerum natura beneficia Dei sunt, nihil excipitur: Sol oritur quotidie ut possimus laborare in luce; sol occidit ut possimus à labore inter tenebras quiescere: Terra fruges profert non tantum ut possimus vivere, sed etiam deliciis gustus satisfacere: Hyeme constringitur glacie ut in sinu suo foveat semina, in vere mollescit & aperitur ut fructus prodeant; in æstate calore solis perfunditur ut fructus maturecant; in autumno aratur ut ad novos fructus paretur; omnia in nostrum commodum ut nihil desit ad vitam: Quantum beneficium est ætere frui ut possimus respirare? quantum maris, ut possimus ex una regione navigare in aliam; mercesque vehere ac revehere? quantum beneficium ignis ut possimus depellere frigus, parare cibos, artes varias exercere? Denique quocumque nos vertimus, sive ad prospera, sive adversa, sive ad morbos, sive ad sanitatem, sive ad divitias, sive ad paupertatem, omnia sunt beneficia Dei. Et quamvis omnibus communia, sic tamen quisque in particulari illis fruitur quasi sibi soli essent propria, & nulli alteri data.

Reflexit ad hoc *David* cum dixit *Psal. 17. Benedictus Deus meus, & exaltet in Deus salutis meæ.* Quid vis *David*? Deum ne appellas salutis dumtaxat tuæ, qui est Dominus universorum? ego, inquit, ex  
perior



perior Deum tam esse sollicitum de salute mea, meique curam gerere, ut solus videar esse in mundo, & unicum ipsius opus esse videatur, me curare: Mihi astra, mihi fulmina serviunt, illa ad solatium, hæc ad timorem: Mihi quasi soli terra famulatur & mare, illa fructus proferendo, hoc me ditando dum classes meas vehit, aut onustas: Prospera faciunt ne desperem, adversa ne superbiam.

Breviter, tam Deus meus est, ut aliorum esse non videatur. Ubi ergo sunt, qui de Deo tam sinistrè sentiunt, ut audeant ipsum non suum Deum, sed aliorum vocare? Mei, inquit, oblitus est Deus, quia alienæ tantum felicitatis est memor, interea dum *David* illum agnoscit ut suum, quasi aliorum non foret.

At, inquires, quid hoc mirum quandoquidem Deus illum fecerit regem? Verum est, sed regem dolorum: Quantis enim ærumnis coronam illius gravavit? delusus fuit à *Saule*, contumeliis affectus à *Semei* servo suo, fugatus à filio: Filia stupratur, filius occiditur, uxor eripitur, in exilium mittitur, diu fugit pastor, diu miles, diu errabundus: In deserto luctatur cum *Goliath*, in aula impetitur à rege, in exilio accusatur à Satrapis, in Sacrificio ridetur ab uxore, in triumpho despicitur à Socero, in solio exterminatur à filio, in pace à Deo percutitur: Et tamen tot tantisque vallatus miseris exclamat: *Deus salutis meæ!* cujus salutis? quam *Goliath* oppugnat, quam *Semei* execratur, quam *Absalon* odit, quam Deus affligit? Nihil refert, inquit, hæc omnia inter beneficia Dei pono: Ego de tenebris lucem educo, de luto aurum, de palea granum, de spinis rosam: Grandis plane fides! quod etiam inter tot calamitates, Deum dicat esse Deum salutis suæ, & ita suæ, quasi non esset aliorum.

Hoc est vere agnoscere beneficia Dei. Quid ergo tu dicis: Deus aliorum videtur Deus, non meus? Quare hoc? quia aliis opes plena manu concedit, & me in paupertate relinquit: Aliis sanitatem, & me in morbo relinquit: Quid tum? tam enim inopia & morbi beneficia Dei sunt, quam opes & sanitas? Scit Deus tibi profuturam inopiam, cui opulentia obesset: Est Deus salutis tuæ, quamvis adversarius videatur fortunæ tuæ: Hoc unum attendere debes an salus tua proficiat, nam sive opibus crescas, sive inopiâ, seu adversâ, seu prosperâ valetudine, quid refert? Nam & unum & alterum beneficia Dei sunt, cum salus

nia non minus per unum crescat quam per alterum.

Hoc David experiebatur, ideoque petebat à seipso: *Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi?* Non dicit quid retribuam pro prosperis, sed *pro omnibus*, hoc est, tam adversis quam prosperis; *Pro omnibus*, hoc est, quid exhibebo profusissimæ in me Dei liberalitati, quæ quidquid in divino ærario repositum erat divitiarum & gloriæ, plenissima in sinum meum manu profudit. Debitorem me habet Deus omnium suarum opum, quidquid enim habuit, hoc ego habeo. Pavi oves, vici hostes, stravi gigantes, fruor regno, abundo sobole, abundo divitiis, & in tanta felicitate non despero æterna, quia etiam pro summo beneficio reputo, quod ex altera parte tot mihi calamitates immiserit.

Quid ergo retribuam ut gratus sim? 1. *Calicem salutaris accipiam*, omnia adversa forti animo tolerabo. 2. *Invocabo nomen Domini*, non desinam illi servire propter adversa.

Denique quidquid demum acciderit, *placeo Domino*, memor beneficiorum quæ mihi præstitit, nihil enim mihi accidet, sive illud amarum sit, sive dulce, quod non reponam in beneficiis Dei.

Tertium quod Deus præparabat corda filiorum Israel ad legem suscipiendam, erant promissa: *Si*, inquit, *audieritis vocem meam, & custodieritis pactum meum eritis mihi peculium de cunctis populis*, hoc est, portio electa & dilecta: Quamvis enim omnes gentes sint meæ, vos tamen eritis mihi præ cæteris chari ac pretiosi, instar thesauri singularis vel cimelii.

1. *Eritis mihi in regnum Sacerdotale*, hoc est, excelsi & gloriosi.

2. *Eritis gens Sancta*, hoc est segregata ab aliis.

Magna promittit, ut magna ipsi præstent: Nihil enim est quod promptiores nos reddat ad laborandum, quam cum cogitamus præmia promissa: Hinc de *Moyse* dicitur, quod improprium *Christi* prætulit omnibus *Egypti* thesauris; quare? quia respiciebat in promissionem.

Dico igitur æternitatis & præmii promissi meditatione expediri vires nostras ad cursum in via salutis, & mandatorum Dei, juxta illud *Davidis Psal. 18. Exultavit ut gigas ad currendam viam*. Videbat Propheta in spiritu futurum Ecclesiæ stadium, obstupuitque pueros poene à cunis transilire ad rogos, puellas à sinu matris insilire in cruces, festinare principes à solio ad solitudines: Et unde tantus currentibus fervor?

*Cali gaudia nos animant.*

A a a

Audi:

Audi: *A summo caelo*, inquit, *egressio ejus, & occurfus ejus ad summum ejus*. *Christus* illos in cursu praecesserat, & ille in omnibus doloribus suis caelum suspexerat, & in passione sua, ut ait *Paulus*, proposuerat sibi gaudia caeli, propterea, exultavit & cucurrit ut gigas: Hoc fecere Martyres qui *Christum* secuti sunt, & ideo tam lacriter sustinere tormenta & mortem.

Quam imbecillis est femina & puer? nihilominus mater *Machabeorum*, quanta animositate adhortata est juniorem filium, pater adhuc puerum, ut non timeret tormenta tyranni? & quanta fortitudine puer ille inaudita tormenta sustinuit? unde hoc? ex caeli aspectu, dicebat enim mater puero: *Peto nate ut aspicias ad caelum*. En qua ratione etiam puer evolet ad supplicia, dum oculis ipsius objicitur aeternitas futurae mercedis.

Quid dicam de latrone in cruce? dicebat ille ad *Christum*: *Domine, memento mei cum veneris in regnum tuum*. Meminit caeli, & in crucis suae oblitus est ut nec doluisse scribatur, nec deprecatus sit, sed magno animo tulerit: Adeoque crux tormentum non est, sed caelum aspiciatur.

Hinc illa exclamatio *Davidis Psal. 121*. *Laetatus sum in his quae dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus*. O cordata laetitia principis, non in corona exultantis, nec in devicto *Golia*, nec in delato a Deo imperio, nec in divitiis, sed in spe aeternae beatitudinis: *In domum Domini ibimus*: Quid felicius? Haec spes sufficiebat *Davidi* ut fel omne miseriarum quas patiebatur, verteret in mel & dulcedinem.

*Iob* in suo sterquilinio aestimabat vermes suos ut smaragdos: Cur? audi: *Rursum*, inquit *cap. 19*, *circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum salvatorem meum*. Meminerat praemii quod accepturus erat in resurrectione.

Hanc puto ob causam nuntiam sui stellam Magis Dominum obstinasse, ut dum caelum suspiciunt, labores promptius subeant & viarum & discriminum.

Quid in deserto? nonne poterat Deus *Manna* educere de terra arenti, qui de petra aquas eduxerat? potuit, sed de caelo placuit illud demittere, ut cogarentur caelum spectare, cujus spe ariditas solitudinis fortius tolerarent.

Propterea non miror *Paulum*, omnes mundi tribulationes, quas ipse met tulerat, non pluris facere quam passionem unius momenta

Sustinuerat lapides, flagella, naufragia, sitim, nuditatem, frigus, famem, exilia, carceres, labores manuum, mille pericula terrae marique, persecutiones ab omni hominum genere, & post omnia clamat 2 Corinth. cap. 4. *Quod in presenti est momentaneum & leue tribulationis nostrae, supra modum aeternum gloriae pondus operatur in vobis, contemplantibus nobis non quae videntur, sed quae non videntur.* Sola caeli memoria omnia facilia reddebat ac leuia.

Ut quid ergo, inquiet aliquis, quando Apostoli viderant Christum ascendentem in caelum, monentur ab angelis quod manerent aspicientes in caelum? dicebant enim: *Viri Galilaei, quid statis aspicientes in caelum?* non prohibent illis aspicere caelum, sed mirantur illos adhuc stare, & non illico evolare ad cruces, ad ignes, ad labores, ad praedicandum Euangelium ubi viderant triumphum Christi ascendentis in caelum: Quia nihil potentius ad excitandum cor hominis quam caeli aspectus, & spes futurae beatitudinis.

Itaque Deus ut filios Israel animaret ad alacriter suscipienda & observanda mandata quae tertio post die illis erat daturus, promittebat illis magna, ideoque statim ac prompte respondebant: *Cum ista locutus est Dominus faciemus.*

## DISCURSUS VIII.

*Ascendit Moyses in montem Sinai, & agit cum Deo.*

**J**am tertius dies illuxerat postquam Deus praeparaverat filios Israel ad legem divinam suscipiendam; cum ecce, inquit Scriptura, *summo mane, caeperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes densissima operire montem Sinai, clangorque buccinae vehementius perstrepebat, & timuit populus qui erat in castris.*

Cumque eduxisset eos Moyses in occursum Dei de loco castrorum, steterunt ad radices montis: *Totus autem mons Sinai fumabat, eo quod descendisset Dominus super eum in igne, & ascenderet fumus ex eo quasi de fornace, eratque omnis mons terribilis.*

*Et sonitus buccinae paulatim crescebat in majus, & prolixius tendebatur: Moyses loquebatur, & Deus respondebat ei, & vocavit, Moysen in cacumen montis; quo cum ascendisset, dixit ad eum: Descende,*

*& contestare populum, ne forte velit transcendere terminos ad videndum Dominum, & pereat ex eis plurima multitudo.*

Hic incipiunt leges quas Deus præscripsit *Israëlitis* numero valde multas, durant enim per totum deinceps hunc librum, & per tres sequentes, scilicet *Leviticum, Numeros, & deuteronomium*, præterquam quod multa interferantur quæ spectant profectioem *Israëliitarum* per solitudinem. Cum ergo peregrinatio nostra in hoc mundo adumbrata fuerit per illorum profectioem ad terram promissam, feligam tantum hinc inde quæ ad historiam istam spectant, & ad nostram instructionem, pauca vero, quæ ceremonias spectant quas Deus in sequentibus capitibus, ac libris, præscripsit.

Primum ergo quod hic observo, est, quod cum *Moyfes* à Deo esset vocatus in verticem montis, dicat Scriptura: *Moyfes loquebatur, & Deus respondebat ei: Si Deus respondebat ei, ergo Moyfes primus erat qui loquebatur.*

Quærit hic Abbas *Rupertus Lib. 1 de Sapientia cap. 16* quid melius sit, ut loquatur homo & Deus respondeat? an ut prius loquatur Deus, & homo respondeat?

Si rite perpendimus, inquit, reprehensibile est eo usque differre confessionem peccati, donec dicat Deus iudex: Quid fecisti? & homo respondeat: Peceavi.

Videre hoc licet in peccatrice, & peccatore, in *Magdalena & Adamo*. De *Magdalena* ait *Lucas cap. 7. Ecce mulier que erat in circuitu peccatrix ut cognovit quod Iesus accubisset in domo Pharisei, attulit alabastrum unguenti, & stans retro secus pedes ejus, lacrymis capiti rigens pedes ejus, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes ejus, & unguento illos ungebat. Dixit illi Christus: Fides tua te salvam fecit, vade in pace.*

Ecce quam benigne agit *Christus* cum hac muliere, nihil illi pœnæ injungit propter tam gravia ac notissima scelera quæ commiserat, sed pacem illi precatur.

Longe aliter factum est cum *Adamo*, qui ubi peccaverat abscondit se à facie Dei, & tacuit: Vocavitque Dominus *Adam*, inquit Scriptura, *Gen. cap. 3, & dixit ei: Vbi es? qui ait: Vocem tuam audivi in paradiso, & timui, & abscondi me. Tunc Deus: maledicta terra in opere tuo, in sudore vultus tui vesceris pane tuo.*

Cur Deus tam severus in *Adamum*, & tam benignus in *Magdalena*

nam? ratio est, inquit *Rupertus*, quia *Magdalena* praecipue erat *Christum*, & peccata sua confessa, non vocata prius a *Christo*, illum habuit respondentem ac sibi dicentem: *Vade in pace*: Contra *Adam* vocatus prius a Deo, fugit, adeoque necesse erat Deum prius loqui & interrogare, *Adam ubi es?* ipse prius debuerat se accusare & fateri culpam suam, & non expectare donec Deus illum vocaret. *Non praecipue faciem Domini in Confessione*, ideo tam severe punitus est: *Magdalena* vero, non vocata prius, *Christum* praevenerat, ideo tam benigne excepta est.

Hoc est quod ait Scriptura: *Tu prius dic peccatum tuum: Rursus: solus in principio accusator est sui.*

Hoc faciunt iusti, inquit Scriptura, quid ergo peccatores? pluri- mi hoc non faciunt sed sunt sicut *Adam*, peccant, & fugiunt quasi dicerent Deo, tu curre post me, & sequere me, & quare me, atque ita, cum illi post peccatum deberent statim clamare: *Ubi est Deus meus?* jam illum per peccatum amisi, ubi est? surgam cum filio prodigo, & ibo ad illum, si forte illum rursus inveniam, & clama- bo: *Pater peccavi*, ego prior fatebor culpam meam, praecipue faciem eius in Confessione, ut ego prior loquar, & ipse respondeat mihi ut *Magdalena*, *Vade in pace*. Sic deberet facere omnis pecca- tor, & non expectare, donec Deus illum quaerat, & clamet: *Adam ubi es?* talis etiam erat *Eva*, talis *Cain*, qui cum debuissent statim post peccatum recurrere ad Deum, & se projicere ad pedes eius, & cum lacrymis delicti veniam postulare, expectarunt donec ipse Deus veniret ad illos, eosque interrogaret: *Quid fecistis*, ideo & ipsi quoque graviter puniti fuere: *Eva* enim dixit: *In dolore paries filios tuos*: *Caino* vero: *Eris profugus super terram*.

Tu ergo prior fateri peccatum tuum, & miserebitur tui Deus, numquam enim peccatorem projicientem se ad pedes eius legitime rejecisse. Hoc primum quod inter alia multa dicit Scriptura de *Moyse* cum esset in monte, scilicet *Moyse loquebatur, & Deus respondebat ei*.

Alterum est quod Deus agens de Sacrificiis sibi offerendis: dice- ret: *Altare de terra facietis mihi, & offeretis super eo holocausta &c.*

Hinc aliqui occasionem sumunt carpendi pretiosum ornatum altarium, & templorum magnificentiam: Ecce, inquit, non vult Deus aliud sibi altare strui quam terreum, ad quid ergo tantus ho- dieque templorum ornatu? At hi, vel stupidi sunt qui non intel- ligunt in quibus circumstantiis hoc Deus praecipit; vel male-

voli qui malint omnia alia melius ornati quam loca Deo dicata.  
 Quæritur ergo cur Deus isto tempore non voluerit aliud sibi  
 altare construi quam è terrâ, cum natura doceat nihil esse facis  
 pretiosum Deo?

Respondeo 1. cum *Theodoreto q. 44. in Exod.* Cum *Israelitæ*, inquit,  
 per 40 annos permanerint in deserto, continenter abeuntes &  
 loca mutantes, ideo vult fieri altare de terra, ne cum filii *Israel* ve-  
 nissent in terram promissionis, aris ex alia materia constructis  
 permanentibus, in illis vicini ethnici dæmonum Sacrificia cele-  
 brarent: Altaria enim de terra, momento temporis poterant ever-  
 ti, alia non item.

Respondeo 2. cum *D. Thoma 1. 2. q. 102. A. 4. ad 7.* Dominus, in-  
 quit, mandavit quod facerent altare de terra, & hoc ad detestan-  
 dum idololatriæ cultum; gentiles enim construebant altaria val-  
 de sumptuosa & sublimia: Cum autem *Israelitæ* valde propende-  
 rent ad idololatriam, volebat illos Deus, quam longe poterat, sum-  
 movere à ritibus ethnicorum.

Hicce duabus causis cessantibus, nempe cum *Israelitæ* non am-  
 plius peregrinarentur, sed firmo loco consisterent, nec tantum  
 esset periculum idololatriæ, tunc voluit Deus, digna sua Majestate  
 altaria templumque ædificare, ubi omnia niterent auro atque  
 argento.

Templorū  
 ornatus non  
 carpendus.

Hinc patet magnam esse malevolentiam, & politicam ace-  
 bitatem eorum qui templorum altariumque magnificentiam  
 carpunt; alii quidem, ne politici videantur, sub prætextu pietatis,  
 præferunt enim melius fore si daretur pauperibus: Alii  
 vero sub prætextu sumptuum, quos in vanitates, imo & res tur-  
 pes interdum effusos tolerant, atque ita malunt diabolo ac mundo  
 impendi, quam Deo.

Primi quidem ingrediuntur vestigia *Judæ*, & *Calvini*, *Judæ* qui-  
 dem, quia ille volebat ut pretiosum illud unguentum quod *Magdale-  
 na* impendebat unguendo *Christo*, divenderetur, & pretium eius  
 daretur pauperibus; Sed *Christus* illum reprehendit, ostendendo  
 quod *Magdalena* bene fecisset, *Judas* vero male locutus fuisset: Non  
 improbat quidem *Christus* pauperibus benefacere, sed magis probat  
 quod sibi fiebat.

In hoc etiam homines illi qui volunt dari pauperibus similes  
*Judæ* sunt de quo dicit *D. Ioannes cap. 12, de egenis non pertinebat ad*

1000, sic illi pauperes non curant quia saepe tam avari sunt ut vix quidquam pauperibus dent, sed non ferunt tam large effundi in Deum ab aliis, quod ipsi vix elargiri audent in usum commodumque familiae, dolentque omnes alios sibi non esse similes.

Quod modo ad *Calvinum* spectat, debacchatur ille contra Catholicos, quod in Templis suis habeant vasa aurea & argentea, aliamque suppellectilem pretiosam, hæc, inquit, pauperibus potius tribuenda sunt, his ornandi pauperes qui sunt Templum Dei vivi, *Christus* ipsemet dicit *Matth. cap. 25*, sibi fieri quod pauperibus sit.

Respondeo 1. Pauperes tam erant tempore *Christi* Templum Dei, quam modo sint: quare ergo *Christus* reprehendit *Indam* quod vellet pretium illius unguenti dari pauperibus, potius quam ungi *Christum*?

Respondeo 2. Verum est *Christo* fieri quod pauperibus fit, sed ideo illi non magis honorifice tractandi sunt quam *Christus*: Est enim magnum discrimen inter personam *Christi* & pauperum, majorisq; meriti est ac pietatis *Christum* ipsum vestire & ornare quam pauperes: Multa etiam sunt quæ hæreticorum, & hominum prophætorum judicio ridicula & absurda videntur, *Christi* tamen iudicio & pia sunt, & plena charitatis, qualia sunt ornamenta, quæ in Templis nostris in honorem *Christi* instituta, ab hæreticis ridentur, sicuti olim à gentilibus explodebantur.

Veniamus modo ad aliud genus huiusmodi hominum, qui arguunt ornamenta Templorum, & altarium sub prætextu inutiliū, vel superfluatorum sumptuum, cum ipsi interea nulli sumptui parcant ut se, filias, servos, domū, rhedas ornent, instruantque convivia; quid dicerent tales homines si quis illos argueret? responderent proculdubio hoc decere dignitatem suam vel statum: Ergone minoris faciunt dignitatem Majestatemque divinam, quam suam?

Si dicant nihil pretiosa ista ornamenta in Templis conferre ad dignitatem divinam, quare ergo voluit Deus à *Salomone* Altaria sibi fieri aurea, Templum undique auro incrustatum? quare à *Moyse* Tabernaculum ubi omnia aurea, coronæ aureæ, circuli aurei, Cherubini aurei, vestes aurei, thuribula aurea, candelabra aurea, denique ipsa emunctoria, & vas ubi emuncta extinguerentur, de auro purissimo?

Hæc aliquis carpat si velit, & dicat, ligneos calices sufficere Deo, quando



quando in Regum mensis bibitur ex argento & auro, quasi vitum Regum pretiosius sit, quam sanguis *Christi*: Dicitur sufficere ut Altaria vestiantur simplici tela, aut viliori panno, quando filiae eorum & uxores unionibus gemmisque onustae incedunt: Dicitur iniuriales esse sumptus vestire Templorum parietes marmore, quando effunduntur opes in ornamenta aularum, rhedarum, equorum fervorum, & vix audeo dicere, etiam meretricum: Quasi vero hoc unum sibi suisque pereat quod divino cultui impenditur.

## DISCURSUS IX.

*Vocat Deus iterum Moysen in montem Sinai, quid ibi actum. Interea fabricant & adorant filii Israel vitulum aureum.*

**P**ostquam *Moyses*, omnia quae prima vice in monte Deus illi mandaverat, populo promulgasset, vocavit illum Deus altera vice in montem, *Cumque ascendisset*, inquit Scriptura, *operuit nubes montem, & habitavit gloria Domini super Sinai tegens illum nube sex diebus. Septimo autem die vocavit eum Deus de medio caliginis; erat autem species gloria Domini quasi ignis ardens super verticem montis in conspectu filiorum Israel, ingressusque Moyses medium nebulae, ascendit in montem, & fuit ibi quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.* Eo tempore illi Deus tradidit decem praecipua scripta in duabus tabulis lapideis docuitque modum quo deberet construere Tabernaculum, & ceremonias consecrandi Sacerdotes & Levitas eorumque vestitum praesertim summi Sacerdotis. Quae nimis longum esset ac terribium singula enarrare.

Jam trigesimus circiter dies erat quo *Moyses* agebat cum Deo in monte, nec quidquam de eo audiverant *Israelitae*, praefumo & nebula non poterant illum videre, nullum apparebat signum reversionis: Itaque cum coepisset illos tædere tam longae morae, accurrunt turmatim ad *Aaronem*, & ajunt: *Surge, fac nobis Deos, qui nos praecedant, Moysi enim huic viro, qui nos eduxit de terra Aegypti, ignoramus quid acciderit, forte jam mortuus est, forte devoratus à beluis, forte fugit in interiora deserti, ut non ferat amplius onus nos regendi, nec ducat in terram promissionis: Fac ergo nobis Deos qui nos deinceps praecedant, & eo deducant.*

Quid? vos Deos petitis? & hoc quidem cum statis in conspectu illius montis in quem vidistis Deum cæli descendentem, & timuistis? in conspectu illius montis quem vidistis totum fulminibus ignibusque ardentem, reboantem tonitribus? Quem adhuc videtis stantem in densissimo fumo ac nebula in signum præsentia Dei? Vos Deos petitis qui vos præcedant & viam monstrant, cum habeatis præ oculis columnam & nubem quæ vos hætenus, illa de nocte, hæc de die, viam monstrarunt?

Jam tertio peccaverant *Israëlitæ* præsertim in materia rebellionis & impatientia: Semel in *Mara*; quia non inveniabant aquas dulces: Semel in deserto *Sin*, quia non inveniabant quod comederent: Denique in deserto *Raphidim* quia peribant siti, eo quod nullas haberent aquas; nihilominus tamen non tantum hætenus non puniverat Deus ista peccata, sed etiam benigne illis concesserat quod petierant: Petebant aquas dulces, convertit aquas amaras in dulces, & paulo post duxit illos in amœnissimum locum ubi invenerunt duodecim limpidissimos fontes: Petebant panem, pluit illis Deus panem de cælo: Petebant aquas, fecit tantam copiam fluere de petra ut sese dividerent in torrentes.

Peccaverant quidem prius, manserant tamen fideles Deo in fide veræ divinitatis: Sed modo eo deventum est ut & Deum negent, & benefactorem suum derelinquant, & convertant se ad monstrum idoli: Hoc enorme peccatum non dissimulabit Deus, constabit enim illis multorum millium sanguine ut postea videbimus.

Et merito, quia præter enormitatem ipsius peccati in se, duas potissimum reperio circumstantias quæ enormitatem illam magis aggravant.

Prima est, quod illud commiserint eo ipso tempore quo tam evidentia signa divinitatis, ac præsentia Dei videbant in monte *Sinai*, vel ut loquitur Scriptura, quando videbant speciem gloriae Dei inter fulmina, fulgetra, ignes ardentés, flammæ, fumos, & nebulas: Quid poterat esse detestabilius quam in ipso conspectu divinitatis, divinitatem negare?

Altera circumstantia est, quod jam tertio Deus illis non tantum pepercit, verum etiam post peccata novis beneficiis illos affecerat. Ingens ingratitude & intolerabilis.

Enormitas autem peccati in se major esse non poterat, non tan-

tantum quia erat idololatria, sed etiam species atheismi propter primam circumstantiam jam dictam.

Idololatriam fuisse extra Controversiam est, quia idololatria est cultus falsi Dei, hoc est alicujus creaturæ quæ pro Deo habetur, illi autem volebant vitulum sibi fieri quem colerent pro Deo.

Atheismus  
convictus.

Speciem Atheismi fuisse hinc patet quod cum verum Deum per manifesta signa de facto viderent, eumque esse scirent qui illos eduxerat ex *Agypto*, non illi hoc adscriberent, sed vitulo jam facto, clamantes: *Hi sunt dii tui Israel qui te eduxerunt de terra Aegypti.*

Quid enim est esse atheum nisi oculis conspicerem illum totius mundi ordinem ac cursum, & tamen non credere hæc fieri ac regi à Deo ut supremo omnium moderatore ac conditore? Per ea quæ facta sunt, inquit *Paulus*, & quotidie fiunt, potest Deus agnosci, ipsi cæli & terra, & quidquid in mundo est, inquit *David*, alta quasi voce exclamant, Deum esse: Quidquid enim vel in cælo vel in terra spectamus, necesse est ut ab aliqua suprema ratione sit factum, quandoquidem etiamnum nihil omnino sit quod non habeat suam rationem cur sic vel sic fiat. Spectemus singula.

Oculos primum conjiciamus in solem: Ille ne quidem momento cessat à motu, quotidie oritur & occidit, ortu suo facit diem, occasu noctem: Quare hoc? dies mundo necessarius erat ut homines possent laborare, aliaque sua negotia curare? Nox necessaria erat, ut à labore quiescerent, viresque labore fractas influerent ad denuo laborandum.

2. Hic assiduus motus, simul cum influentiis Lunæ ac Planetarum, distinguit inter quatuor anni tempora, hyemem, ver, æstatem, & autumnum: Ad quid hæc quatuor tempora? quia absque illis nihil poterat in mundo subsistere. Si enim semper calores æstatis fuissent, omnia arefecissent & combussissent: Si semper hyems, nihil poterat crescere: Si semper ver vel autumnus, non poterat terra fructus producere idoneos ad usum humanum.

Itaque ne quid simile contingeret, primo necessaria erat hyems quæ terram frigore suo constringeret, ut illâ congelatâ, ac nive madefactâ, gramina ac semina sub terra paulatim putrescerent, turgerent, ac pullularent. 2. Necessarium erat ut hyemem ver sequeretur, tempus mitius, quod terram prius induratam redderet mollem, & congelatam aperiret temperato calore, ut viam de

ritum daret seminibus ac granis ut sese exererent supra terram. Nec hoc erat satis, oportebat enim fructus illos maturefcere, ad hoc calor veris non sufficiebat, sed majori opus erat calore, idcirco necessaria erat æstas. Denique terra rursus aptari debebat ad novos fructus producendos, itaque arari debebat, & feri, & sterconari; Hoc fieri non poterat in hyeme propter duritiem terræ non in vere, tunc enim omnes fructus adhuc teneris, læsi fuissent, & evulsi radicibus; non in æstate, quia tunc tota terra jam maturis fructibus vestita est: Necessarium ergo erat aliud tempus quo terra adhuc mollis, & fructibus nudata possit arari, & feri: Hoc tempus est Autumnus.

Verum sicuti hæc quatuor anni tempora necessaria sunt ad fructus omnes producendos ac perficiendos, sic non minus necessaria erant ad conservationem & sanitatem corporum humanorum. Hæc enim constant ex quatuor Elementis, aquâ, aëre, terrâ, & igne, quæ quatuor diversos humores in nobis causant. Aqua naturaliter frigida est, hinc frigidus ille in nobis humor quem *Phlegma* vocamus, aër humidus est, hinc humor ille qui sanguis vocatur, terra arida est, hinc *Melancholia*, ignis calidus est, hinc *Ira* vel *cholera*.

Hos humores ita inter se temperatos esse oportet in corpore, ut unus non notabiliter alterum excedat, excessus enim notabilis morbidum corpus facit: Ergo ut corpori sua sanitas constet, necesse est ut illi humores suo tempore renouentur ac temperentur. In hunc finem ita quatuor anni tempora disposita sunt, ut tres menses in hyeme frigidi sint, tunc renovatur phlegma, tres humidi in vere, tunc mutatur sanguis, tres menses calidi in æstate, tunc temperatur bilis seu colera, tres denique menses aridi in Autumno, tunc *Melancholia* disponitur.

Ut autem hoc commodius ac suavius sine violentia fiat, inter summum frigus hyemis, & summum calorem æstatis, interjectum est ver, tempus temperatum, utpote nec nimis frigidum, nec nimis calidum, sed habens aliquid ab utroque: Similiter inter calores æstatis, & frigora hyemis, rursus Autumnus interuenit, tempus quoad temperamentum non absimile veri. Quare hoc ne si à summo frigore hyemis, veniretur immediate ad summos calores æstatis, hæc tam subita mutatio corpora turbaret. Quod autem hæc aliquando non ita fiant, non ex natura rei est,

sed per accidens. Quis non videt quanto ingenio ac ratione opus fuerit ad hæc omnia à principio sic disponenda?

Pergamus ulterius, & totam hominis constitutionem contem-  
plemur: Inter omnia animantia, inquit *Cicero*, solus homo erecto  
vultu incedit; quare hoc? ut cælum, inquit possit aspicere, & nosse  
Deum: Non enim, inquit, homines hic constituti sunt ut incolæ  
mundi, sed ut contemplatores rerum cælestium.

Habet homo quinque sensus, quorum quatuor in capite, loco  
corporis altiori, statuti sunt, scilicet visus, auditus, odoratus,  
& gustus. Ad quid hæc altiori loco? ratio clara est: Visus est se-  
ut speculator in turri, qui omnia debet explorare, hostesque de-  
tegere.

Auditus & odoratus excipere debent sonitum & odores, cum  
autem hæc ex natura ascendant, debebant illi sensus altiori lo-  
co constitui: Gustus vero proximus odorati esse debebat, qui  
hic optime iudicat de cibo, & potu. Denique quintus sensus,  
qui est sensatio, per totum corpus diffusus est, ut totum cor-  
pus omnes assultus frigoris & caloris sentire posset, seque contra  
illa armare.

Præterea, cum oculi sint quasi custodes corporis, in omnem  
partem se debebant posse movere, ut omni ex parte invigilaret  
ne quid homini posset nocere, ideo & claudi possunt ut noxia re-  
vertantur, & aperiri ut objecta etiam remotissima usque ad ipsam  
cæli firmamentum, in momento possint spectare. Aures vero sem-  
per patent, ut etiam in somnis percipere strepitum & sonitum  
possint, illæque quasi vigiliæ agant, dum oculi clausi sunt.

Denique ut verbo absolvam; postquam *Averroës* Medicus, quan-  
vis impius homo, omnes humani corporis partes per anatomiam  
inspexisset, exclamare coactus fuit, tale opus non potuisse fieri  
nisi à summo & supremo artifice.

Quid dicam de fruticibus, herbis, floribus, arboribus? nulla  
herba tam exigua quæ non habeat suas radices, suum culmum,  
suum corticem, sua folia, suas venas: Quæ ratio? radices habet  
ut firmetur in terra, & ut per illas exugat succum terræ: Venas  
habet, ut ille succus per omnes etiam minimas particulas, disper-  
gatur: Cortex servit pro integumento culmi tanquam veste qua  
defenditur contra inclementiam cæli, folia ut fructus defendunt  
vel contra nimios solis ardores, ne arefiant, vel computrescant.

Hinc

Hinc frutices qui teneriores fructus producant, quales sunt ficus ac vinea, majoribus foliis passim præditi sunt quibus fructus tegantur, ne à borealibus ventis tam facile lædantur. Reliquæ arbores vel habent truncos humiliores, vel elatiores: Fructiferæ, humiliores habent ut facilius fructus carpantur: Non frugiferæ plerumque elatiores sunt ut servire possint navibus domibusque fabricandis.

Itaque verissimum est quod ait *Iob cap. 5.* *In terra nihil fit sine causa, nec factum est.*

Qui inter tot manifesta divinitatis indicia Deum non agnoscat, tanto peior atheus est quo magis convincitur hæc fieri non potuisse nisi ab aliquo Ente supremo quod est infinitæ potentia ac providentiæ. Propterea excusari non possunt *Israëlitæ* ab Atheismo, quod cum Deum in Monte *Sinai* spectarent præsentem, nihilominus illum non agnoscerent.

Veniunt ergo turmatim ad *Aaronem*, vociferantes: *Fac nobis Deus qui nos præcedat; non audebat Aaron hoc facinus recusare, ne à tumultuante plebe occideretur, sed conatus est illud quo potuit modo optimo impedire: Dixit ergo ad illos: Tollite in aures aureas de uxorum, filiorum, & filiarum vestrarum auribus, & afferte ad me.*

Putabat fore ut hac in re facerent difficultatem, nollentque feminæ gratissima sibi & pretiosissima ornamenta detrahere, adeoque non daturas. Sed spes illum fefellit, tam enim ardebant cupiditate habendi idoli, ut mallent carere suis divitiis, quam idolo. Tulerunt ergo, inquit Scriptura, omnes suas in aures ad *Aaronem*.

Nec mora, advocatur plastes qui formam vituli format in argilla, aut simili aliqua materia, liquefacit aurum, infundit in formam, & exiit vitulus aureus: Verosimiliter formam vituli petierant filii *Israel*, quia viderant præcipuum Deum quem adorabant *Ægyptii*, vitulum esse quem vocabant *Apim*, sive *Serapim*; quem ut *Israëlitæ* conspexerunt eductum è forma, exclamarunt: *Hi sunt dii tui Israel qui te eduxerunt de terra Ægypti.*

Quod raro fit, passim mirabile est: Quod si filii *Israel* soli, & semel tantum fecissent quod hic fecere, nihil videri posset mirabilius; sed quia hoc tam commune jam factum est inter homines ut plurimi vestigiis illorum insistant, ideo mirabile esse desit, sed

ideo detestabilius illud factum esse tam commune, quod nunquam fieri debebat.

Quid fecerant *Israelitæ*? 1. Viri ac mulieres in aures suas aureas contulerant ut inde conficeretur idolum: Et sic, inquit, *Lipomus* auctor *Catenæ*, in constituendis falsis Deorum cultibus liberalissimi erant, in conservando Dei cultu avarissimi.

Sic, inquit idem auctor, plurimi Christiani sunt qui omnia profundunt ut ferviant foedis cupiditatibus suis, & nihil habent pro Deo: Vel, ut ait *D. Ambrosius Lib. 3 de Spiritu S. cap. 18.* Ad sacrilegium largiores sunt quam ad salutem. Si enim agatur de salute æterna per eleemosynas, aliaque pia opera consequenda, nihil habent, solliciti sunt ne quid detrahatur familiæ vel liberis: At si aliena uxor trahenda ad adulterium, vel concubina alenda, nulli sumptui parcunt, omnia dilapidantur, quamvis cum magno dispendio familiæ vel liberorum.

Vide quid possit insana cupiditas hominis ad sectandas foedas delicias, ut etiam summam ac potentissimam omnium cupiditatem evertat. Nihil in toto homine potentius auri pecuniæque cupidine, quæ numquam expletur, sed semper clamat, inquit Sapiens, *affer, affer*, quando scilicet agitur de Deo rebusque divinis, tunc enim dicunt se non satis habere ut dent, at ubi voluptates emendæ, tantum habent ut supereffluant, & omnia sic profundunt, ut interdum nihil retineant.

Quænam est ista humanæ naturæ perversitas ut aurum pluri faciat quam Deum verum, & tamen nihili faciat, projiciatque manibus ut impendat fabricandis cupiditatum suarum idolis?

Et post omnia adhuc clamant cum *Israelitis*: *Hi sunt dii tui Israel qui te eduxerunt de terra Ægypti.*

Voluptasum insania.

Quinam erant hi dii? vitulus aureus: Vitulus animal petulans, aureus, dives: Et vociferamini hos esse Deos qui te eduxerunt de terra Ægypti? Quis rationis compos hinc non exclamabit. O impietatem! Sed videat quisque ne dum *Israelitas* accusat, seipsum condemnet. Vide an non habeas alibi vitulum aureum quem adoras ut Deum vel deam, & à quo putas te educatum ex tædiis hujus vitæ, vel aliquando educendum: Est enim, inquit *D. Gregorius, Lib. 18. Moral. cap. 11,* cor humanum olla succensa, carnalibus desideriiis æstuans, à diabolo succensum: Numquid in ista olla seu fornace, cordis tui, fabricata est aliqua Dea, instar vituli petulantis,

ex auro quod in illam injecisti & an per illam jactas te ex servitute *Aegypti* eductum quando deliciis tuis tædia pellis, cum per hoc in majorem diaboli servitutem tyrannidemque incideris? Habesne vitulum aureum in cista conflatum ex bonis injustis, & hunc adoras ut Deum qui te liberavit à paupertate & veniet aliquando tempus cum jacebis in summis angustiis, profecturus ex hac vita in æternitatem, quid tibi tunc proderunt *quæ* isti quos magis adorasti quam Deum verum & clamabis ad me, inquit Deus per *Jeremiam* cap. 2, in die afflictionis tuæ, & dices: *Surge & libera nos*: At ego respondebo tibi & Tu amasti Deos alienos, & ambulasti post eos, ubi sunt dii tui quos fecisti? *surgant illi, & liberent te in tempore afflictionis tuæ.*

Sed videamus quid fecerit *Aaron* cum prodiret vitulus aureus jam conflatus ex prævia formâ, & audiret clamantes filios *Israel*: *Hi sunt dii tui Israel qui te eduxerunt de terra Aegypti: Edificavit,* inquit Scriptura, *altare coram eo, & præconis voce clamavit dicens: Cras solennitas Domini est.*

Non est credibile quod *Aaron* crediderit hunc vitulum esse Deum: Sed quid ageret in medio plebis tumultuantis & vociferantis? quid ageret & vitam potius exponere debebat, quam insanæ plebi consentire: Poterat illis saltem vitulum tradere, ac dicere: Vos ipsi videritis quid de eo velitis agere: Hoc ego mihi non attraho: Sed cum *Aaron* vult placere populo, eo delapsus est ut crimen idololatriæ appellaret *solennitatem Domini: Cras,* inquit, *erit solennitas Domini,* seu ut habetur in *Hebræo*, solennitas *Iehova*, hoc est, veri Dei.

Quis tam enorme peccatum *Aaroni* ignoscat & sciebat populum nihil aliud velle quam colere idolum, videbat oculis suis vitulum illum non esse Deum, & tamen prætexit illius cultum veram esse religionem, & quod immane sacrilegium erat, volebat haberi pro sacrificio quod vero Deo offerretur.

Quis horreat etiam gravissima scelera, quando religionis nomine, ac pietate velantur? Quænam inde omni ævo scelera non prodire & videte.

Petebat princeps urbis *Sichem* in uxorem *Dinam* filiam *Jacob*: Responderunt fratres *Dinæ*: Non possumus sororem nostram dare uxore homini ethnico & incircumciso: Tu ergo cum omnibus tuis permitte te circumcidi, & assumes nostram religionem, & *Dina* erit

*Vitia religionis prætextu pal- liata.*



erit uxor tua. Quis poterat credere aut videre sub tanta pietate latere tantum venenum? religionem prætendunt ut tegant quas in animo habebant cædes & homicidia: Circumciditur *Siehem* cum omnibus suis civibus, & quando propter vulnera nemo poterat se lecto movere, ingrediuntur urbem filii *Iacob*, & omnes crudelissime trucidant: Ecce quantum scelus latebat sub nomine ac prætextu religionis.

Si quis audisset *Absalonem* ad Patrem suum *Davidem* dicentem: *Vadam, & reddam vota mea qua vovi Domino in Hebron, & sacrificabo Domino.* Quis non cogitasset illum abire ut fausta omnia, vitamque longiorem precaretur patri suo? longe aberat: leonem enim occultabat sub agno quem dicebat se oblaturum Deo, *ibo & sacrificabo Domino*: Magna pietas offerre sacrificium Deo: Sed quid offeres? thus? hoc tu quidem prætexis, sed mentiris ut decipias patrem ficta pietate, nihil enim aliud animo foves nisi ignes & flammam: Quid offeres Deo? sanguinem bestiarum? sic ais, cum nihil aliud sitias nisi sanguinem patris tui: Sacrificium prætendis, & sub nomine sacrificii tegis parricidium quod animo volvis. Potestne latior via sterni ad quævis scelera quam illa pietate ac religione velare, quo etiam optimi quique possunt seduci, quando sacrilegi fiunt, dum se putant fore religiosos?

Quod si audias *Indam* proditorem loquentem *Ioan. cap. 12*; non fur est, sed patronus egenorum: Cum enim videret *Magdalenam* pretiosissimo balsamo ungentem pedes *Christi*: *Quare*, inquit, *unguentum istud non venit trecentis denariis, & datum est egenis?* O hominem impium, qui virtute misericordiæ erga pauperes, suam tegit nequitiam, non enim hoc dicebat, inquit Evangelista, quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, & volebat istâ pecunia marsupium suum implere. Hæc tamen ficta pietas tantam vim habuit ut reliquos omnes Apostolos seduceret, cum non viderent quid intus lateret.

Quid dicam de *Scribis & Phariseis*? quoties illi videbantur vel le legem *Moyse* defendere, cum maximè inhiarent pecuniis? Quoties dicebant *Christum* diem sabbati violare sanando ægros, interea dum nihil aliud curarent quam propria commoda. Barbarus est qui palam trahit alios ad peccatum, sed impius est, qui sub velo pietatis alium ad impietatem inducit. Primi caveri possunt, quia ipsorum iniquitas palam apparet: Secundi, capiti rete injiciunt

ciunt antequam advertantur. Igitur magnam animarum pestem induxit Aaron inter filios Israel, quando sub specie solennitatis divinae, invexit solennitatem & cultum idoli. Mox enim ubi illi audire proclamanter præconem: *Cras solennitas Domini est, surgentes mane*, inquit Scriptura, *obtrulerunt holocausta, & hostias pacificas, & sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere, saltare, cantare, tripudiare, aliaque lætitiæ signa ostendere ut solennitatem illam celebrarent.*

## DISCURSUS X.

*Significat Deus Moyfi in monte quid agatur in populo.*

Interea dum hæc agerentur in populo, erat adhuc Moyfes in monte cum Deo, nec quidquam sciebat, sed Deus hoc illi significavit, dicens: *Vade, descende, peccavit populus tuus quem eduxisti de terra Egypti: Recesserunt cito de via quam ostendisti eis, feceruntque sibi vitulum constabilem, & adoraverunt, atque immolantes hostias, dixerunt, Hi sunt dii tui Israel, qui te eduxerunt de terra Egypti.*

Hoc dicto, quasi totus exardescens in iras, *dimitte me*, inquit, *Moysi, ut irascatur furor meus contra eos, & deleam eos, cerno enim quod populus iste dura cervicis sit.* Deus irascitur, jam stabat quasi armatus fulminibus quæ vibraret in filios Israel, omnesque ad unum disperderet, cum subito dicit *Moysi: Dimitte me*, quid hoc, *dimitte me*? an ergo *Moyses* illius manum aut brachium retinebat, ita ut se movere non posset ad puniendum? quomodo ergo dicitur *Esaiæ cap. 13. Domine rex omnipotens, non est qui resistat majestati tuae?*

Nihilominus tamen, inquit *D. Hieronymus Epist. 12.* Quando Deus *Moysi* dixit: *Dimitte me*, ostendit se teneri posse ne faciat quod minatus est: Nam preces fervi impediabant Dei potentiam: Tanta ergo est orationis unius hominis justis potentia, ut ipsam Dei omnipotentiam quasi liget & vincat: Jam enim Deus arcum intenderat, imposueratque sagittas furoris sui ut perderet impios, & tamen furor ille, qui erat instar maris fervescens, non excessit limites suos, quia unus *Moyses* erectis in cælum manibus tanquam duobus objectis aggeribus, furorem cohibuit ne se effunderet.

Ccc

Quan-

*Virtus unius  
justi  
sufficit ad  
integrans  
civitates  
servandâ.*

Quantum arenarum rupiumque opposuit statuitque Deus, ut furias maris compesceret, recessumque fluctibus imperaret? & unus vir oratione sua sistit, tenetque intra terminos Dei furorem.

O quam felix est civitas vel Respublica, quæ justos habet qui pro illâ orent! imo unus interdum sufficit qui plagas jam paratas avertat. Patet hoc clarius luce ex *Jeremia cap. 5*. Jussit Deus *Jeremiam* clamare ad populum: *Deserta erit omnis terra, lugebit terra, & marebunt cali desuper: à voce equitis & mittentis sagittam fugiet omnis civitas, universa urbes derelicta sunt, & non habitat in eis homo*. Sed mox addit: *Circuite vias Jerusalem, & aspicate, & considerate, & querite in plateis ejus, an inveniatis virum facientem judicium, & querentem fidem, & propitius ero ei, hoc est, propter ipsum*.

Ea enim Dei clementia est, ut etiam nemine orante, fulgura deponat è manu propter unius virtutem: Una vidua *Judith* in *Assyrios* pugnat, frangitque omnes hastas *Persarum*, Sola castitate: Sic enim ait Scriptura *Judith cap. 15*. *Fecisti viriliter, & confortatum est cor tuum, eo quod castitatem amaveris*. *Judaa* universa liberata est à procella quæ illi incumbebat, fecitque *Judith* se non effunderet in oppida *Palestina*. Per unam feminam ita viros *Assyriorum* accisæ, castraque direpta, ut à minimo, inquit Scriptura, usque ad maximum omnes divites fierent de prædationibus eorum.

Ergo vir unus, & femina una, potuère integram gentem, & integram regionem defendere contra iram divinam, ejusque plagas jam paratas: *Judith* sua castitate profligatis *Assyriis*, *Moses* oratione facta pro *Israëlitis*.

Non disperdam *Jerusalem* inquebat olim Deus *Isaia cap. 65*, quare? propter servos meos, inquit: Quis ergo defendet *Jerusalem*? non astus Sapientium, non consilia Satraparum, non divinationes Haruspicum, non Philosophorum oracula, non militum robur, non firmitas mœnium, sed servorum meorum orationes ac virtutes.

Ita fit ut unus probus vir, felicitas sit unius integræ civitatis, & unus filius vel filia proba, unius integræ familiæ, propter quos Deus illis parcat, pœnasque paratas suspendit.

Quis ergo non detestetur illos qui nullo habito virtutis respectu, nescio quos homines ad majora officia assumunt ac promovent, qui suis vitiis respublicas inficiunt ac perdunt, quas unus probi hominis virtus sola magis posset servare quam om-

de improborum ingenium sine ulla virtute.

Quis non detestetur illos parentes, qui interdum filium filiamve pietati addictam, & quorum unica voluptas est, explosis vanitatibus mundi, templa frequentare Deoque servire, minus amant, (utinam non rejicerent) quam liberos qui se totos effundunt in vanitates, & ut loquitur *Paulus*, in sæcularia desideria. Fateor me invenisse aliquando unum alterumve qui felicitatem familiæ suæ adscriberet filiæ Sanctæ quæ se Deo dedicarat in sæculo, & in domo paterna: Sed longe plures esse, qui non sint hujus opinionis, patet ex eo, quod plurimi tali statui sese opponant, impediunt, ac contemnunt.

Sed supra omnes detestandi sunt illi qui verbis & factis ostendant se esse hostes religiosorum virorum; quorum non unus hoc nostro sæculo, & in nostro *Belgio* auditus est palam dicere, eos aut urbibus esse inutiles, aut certe non necessarios, posseque & respublicas & religionem absque illis subsistere; & ita quidem loquuntur illi quibus religio non magis curæ est, quam Pontifex *Calvino* aut *Luthero*.

Ergone nocturnæ diurnæque orationes tot hominum Deo servientium (quamvis nihil aliud facerent) non profunt apud Deum ut respublicas vel civitates servet à plagis, quando unica unius *Moyse* oratio servare potuit gentem tam vastam quæ constabat plusquam decies centenis hominum millibus? nisi forte illi Pseudo politici non magis curent Scripturam quam religionem.

Unde non mirum quod vir summæ dignitatis, ac celeberrimus olim Pontificis concionator acerrimis verbis, armatisque argumentis de cathedra investus fit in hujusmodi homines, quæ postea litteris mandavit: Oportet nos illum suis verbis audire loquentem, ut illi qui se juratos religiosorum hostes profitentur, videant se met esse rerum publicarum pestes, & confundantur.

Grassabatur, inquit vir ille, per *Italiam*, aliasque provincias superiori sæculo teterrima pestis, quando amplissima provincia gubernator, ut malo occurreret, multorum rogatis auditisque sententiis, neciis assensus, afflatam sibi divinitus mentem affirmavit, inditumque consilium, quo si uteretur, urbs, & omnia essent in tuto: Ego, inquit, omnes religiosos provinciæ aditu prohibendos arcendosque censeo.

Horruere omnes, his auditis, hominis crudelitatem, qua servorum

rum Dei fama gravissime lædebat: Nihilominus evicit furor gubernatoris: Vix dies castina illuxerat, cum in foro impressum pependit edictum quo omnes omnino religiosi provinciam ingredi vetabantur. Proæmium autem edicti erat ejusmodi: Eò religiosorum fraudes provectas, ut nisi procul provincia finibus universi, & indistinctè arcerentur, numquam incolumitati civium prospectum foret. Adeoque si qui intrare præsumerent, vel ergastulis includerentur, vel ad triremes amandarentur, vel aliis poenis arbitrariis punirentur.

Expavit ad hæc urbs addictissima religiosi, & cives perculli, in iram acti, vociferari clamareque cœperunt: Ita ne vero? ergo ad nos accedere licet histrionibus, scurris, religiosi non licet? licet meretricibus, *Judeis*, & servis Dei non licet? Quid de nobis dicent aliæ nationes? agafones & muliones quotidie in provincia commeant, & religiosi excludentur? quid dicent *Lutherani* & *Calvinistæ* ubi edicti nostri exemplar acceperint? En, inquit, quid de Monachis Catholici sentiant, quos tales hostes reipublicæ putant, ut ab illis pestem disseminatam suspicentur; quid? illi urbe provinciaque carebunt, quos urbium propugnatores & servatores suis orationibus obsequiisque esse oportebat. Ita cives illi pro doloris modo.

Tunc ipse met Scriptor, qui hæc narrat, hominem illum impium his verbis aggreditur: An ita de Christiana republica male meriti sunt servi Dei, ut eos in odium vulgi vocari oporteret? Qui pro *Christo* paternarum ædium sprevere delicias? qui se bonis omnibus exuere sub *Christo*? qui omni se voluptate, qua mundum fruuntur, privare cum *Christo*? qui noctes diesque in prompta sunt ut agris assistant, nullo morborum, quantumvis pestilentium, discrimine? hisce tu carceres & triremes minaris? quid ergo facient *Turcæ*?

Hactenus magnus ille Scriptor ita invehitur in hostes religiosorum quos putant noxios esse Reipublicæ; nec immerito tam acriter oratione illos perstringit: Mox enim exemplum adfert quo ostendit contrarium esse verum, dum ait: Homini, inquit isti crudeli jam mortuo successit alter, qui non modo non putavit religiosorum fraude inducendam provinciæ luem, sed credidit eorum pietate, sanctique industriâ depellendam, propterea evocavit aliunde celebratissimum oratorem quem Noscomio præfecit

ubi vir iste ita se gessit, ut incolumitatem urbi attulerit.

Hoc est quod dico, & quod dicit Scriptura, nempe quod unus vir Sanctus sufficiat ad integras urbes atque Provincias servandas à plagis divinis, ut hic patet in *Moyse* orante Deum in monte, ut parceret populo in idololatriam prolapsò. Oratio autem *Moyse* erat hujusmodi:

*Car Domine irascitur furor tuus contra populum tuum quem eduxisti de terra Egypti in fortitudine magna, & manu robusta? Ne quaso dicant Egyptii: Callide eduxit eos ut interficeret in montibus, & deleret è terra. Quiescat ira tua, & esto placabilis super nequitia populi tui: Recordare Abraham, Isaac, & Israel, servorum tuorum, quibus jurasti per te ipsum, dicens: Multiplicabo semen vestrum sicut stellas cali, & universam terram hanc, de qua locutus sum, dabo semini vestro, & possidebitis eam. Placatusque est Dominus, inquit Scriptura, ne faceret malum quod locutus fuerat adversus populum suum.*

Cum hæc postrema verba legeret in Scriptura *Julianus* Apostata, solebat dicere Deum *Hebræorum* esse mutabilem & inconstantem, quod cum statuisset punire filios *Israel*, jam mutet sententiam.

Respondet *Hieronymus* in cap. 5 *Daniel*. Hic nodus, inquit, facile solvitur *Ezechia* Regis exemplo, quem *Isaias* dixerat esse moriturum: & *Ninivitarum*, quibus dictum est: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur*: Et tamen ad preces *Ezechia* & *Ninive* Dei sententia commutata est, non varietate judicii, sed eorum conversione qui meruere Indulgentiam. Sic Deus in *Jeremia* dicit, se mala minari populo sed si bona fecerit, minas mutare in clementiam. Rursum bona agenti, bona pollicetur, sed si malus fiat, dicit se suam mutare sententiam, non in homines, sed in opera quæ mutata sunt, neque enim Deus hominibus sed vitiis irascitur, quæ cum in homine non fuerint, nequaquam punit, quod in homine jam mutatum est.

Sententia ergo Dei numquam mutatur in ipso Deo, quia sicut in illo fuit ab æterno, sic in illo etiam in æternum manebit, sed mutatur in ipsis peccatoribus quando ipsi mutantur, si enim de malo mutantur in bonum, absolvit à pœna quos prius damnaverat: Deus tamen, inquit *D. Gregorius lib. 20 Moral. cap. 24*, non mutat consilium sed mutat effectum, dum propter eorum conversionem illos non punit, quos punire decreverat si non conversi fuissent. Denique nulla est in Deo mutatio, sed tota est in homine:

Sententia Dei manet in se immutabilis, sed ejus effectus impeditur ab homine, dum ipse vitam suam mutat in melius.

## DISCVRSVS XI.

*Moyſes descendit de Monte, frangit lapideas tabulas, & comburit vitulum aureum.*

**I**Am quadraginta dies ac noctes egerat *Moyſes* cum Deo in monte *Sinai*, acceperat Tabulas lapideas, in quibus Deus sua manu scripserat decem praecepta: Cumque intellexisset ex Deo populum suum peccasse, descendit de Monte, & simul cum illo *Iosue* qui toto tempore illi adfuerat.

Cum simul procederent, audivit *Iosue* de longe tumultum vociferantis populi, dixitque ad *Moyſen*: *Vlulatus pugnae auditur in castris.* Respondit *Moyſes*: *non est clamor adhortantium ad pugnam, neque vociferatio compellentium ad fugam, sed vocem cantantium ego audio.*

En quale discrimen sit inter *Iosue* & *Moyſen*, quod enim *Iosue* dicit esse bellicosam in pugnando fortitudinem, hoc *Moyſes* dicit esse turbulentæ plebis lasciviam, & licentiam: Quomodo hoc? *Iosue* quidem in monte fuerat cum *Moyſe*, sed non egerat cum Deo: *Moyſes* vero totus inflammatus prodibat à colloquio Dei, *Iosue* alioquin erat vir probus, quamvis non ita illuminatus ut *Moyſes*, tamen quod summum scelus erat in populo, putabat esse voces de Victoria triumphantium; in hoc laudandus quod bono animo ac simplici corde interpretaretur in bonum, quod revera pessimum erat. Secus ac innumeri cæci mortales omnia bona vel animo iniquo, vel venenata lingua vertunt in malum. Sæpe quæ facta optima sunt, nobis vertuntur in scandalum.

Lingua  
mala om-  
nia bona  
vertit in  
malum.

Existimo ego quod si forte aliquis nostrum *Theodorum Dydimum* Eremitam, vidisset *Alexandriae* intrantem publicum lupanar, impudicum dixisset: Si *Abrahamum* stantem cum cultro in manu ut filium suum unigenitum jugularet, insanum putasset: Si *Paulum* Apostolum vidisset se *Judaicis* quibusdam ceremoniis accommodantem, irreligiosum dixisset. Cum tamen primus non aliam mentem lupanar intraret quam ut neptem suam, ovem perditam, inde extraheret, & ad pœnitentiam adduceret, quod & fecit: *Abrahamus* vero ex Dei mandato gladium strinxerat in filium suum *Isaac*, ut exprimeret æterni Patris amorem in filium suum *Iesum*: *P. aulus de*

aque *Iudæis* se accommodarat pro tempore ut omnes *Christo* lucrifaceret. Quid si *ionam* vidisset quis fugientem à facie Domini, dixisset fortasse: Quomodo hic potest esse Propheta Domini? si eum in Ceto projectum vidisset, punitum putasset pro scelere: Interea hæc fiebant ut exprimeret imaginem Resurrectionis *Christi*.

Sic *Simon* Phariseus ille qui invitaverat *Christum* ad mensam, cum videret *Magdalenam* jacentem ad pedes *Christi*, eosque lavantem lacrymis suis, dicebat intra se: *Hic si esset Propheta, sciret nique quæ & qualis est mulier quæ tangit eum, quia peccatrix est.*

Et *Magdalenam* peccatricem esse, & *Christum* non esse Prophetam existimabat. Neutrum erat verum. *Christus* enim & Propheta erat, ideo sciebat qualis esset mulier quæ illum tangebatur, & ideo sinebat se tangi: Nec *Magdalena* peccatrix erat, quia jam peccata sua tam copiosis lacrymis prorsus abluerat: Sic homo iste impius scandalizabatur in eo, quo maxime debebat ædificari.

*Phariseus* lacrymas *Magdalena* damnavit, *Iudas* vero unguentum illius quo caput *Christi* ungebat, & quod *Christus* optimum opus esse dicebat, hoc proditor ille perditionem vocabat: *Vi quid*, inquit, *perditio ista unguenti facta est?* Si unguentum istud projectum in cloacam fuisset, forte non habuisset *Iudas* quod carperet, sed effusum in caput *Christi* perditio appellatur: Sic non raro quæ in *Christo* impenduntur audacius mordentur ab iis qui se *Christi* discipulos dicunt, quam à *Phariseis*.

Hæc provenire non possunt ab animo puro, quo enim quis sordidior est, eo promptius de alieno opere sententiam fert, alios enim putat esse similes sibi; ideo inter margaritas & gemmas etiam sordes quantumvis minimas se deprehendere plurimi autumant: Dum enim suis sordibus delectantur, etiam delectari se volunt sordibus alterius, quamvis aut nullas habeat, aut valde exiguas.

Si similes forent columbæ quam emittebat *Noë* ex arca, tantum abesset ut gemmas bonorum operum quæ vident in proximo, haberent pro sordibus, ut etiam inter sordes invenirent quod laudarent. Quando *Noë* columbam innocens animal, emittebat ex arca, plenus erat sordibus mundus, natabant adhuc plerisque in locis sordida ac putentia cadavera, jacebant passim ossa mortuorum dispersa, terra aquis imbuta tota lutea erat, ubique fluitabant trabes arboresque exesæ, spectabantur ubique putridæ vestes, & tamen inter tot sordes invenit columba unum ramum virentis olivæ, quem



quem rostro exceptum detulit ad Noë in arcam.

Si tu innocens ac purum animal esses sicut columba, etiam inter maximas fordes proximi tui, invenires aliquid quod gratum est atque laudabile: Sed similis es corvo quem Noë emittebat ex arca, qui non est amplius reversus, quia manebat insidens cadaveribus ut se sordibus illis pasceret, sicut alienis tantum sordibus delectaris, & quando non invenis, fingis & quaris, & si quid invenis, tam exiguum est ut inter tot præstantissima alia opera videri vix possit, multo minus reprehendi aut carpi.

Quis istum hominem ferret qui V. C. Romæ intrans in Templum D. Petri, Miraculum orbis, ubi omnia marmore splendent vel argento & auro, ubi tota architectura ipsam artem superare videtur, solum conjiceret oculos in unum lapidem alibi jacentem in angulo, non rectâ mensurâ dispositum? Insanus est, qui in tanta metallorum marmorumque copia, propter unum lapidem pavimenti, cætera vel præterit, vel despicit. Sic ille est qui inter tot ornamenta virtutum quibus quis præditus est, nihil aliud advertit quam exiguum aliquod vitium, imo quod vix vitii speciem habet: Atque ita cætera omnia vel obscurare conatur, vel in malum convertere.

Talis non erat sponsa in *Canticis*, idcirco tantopere fuit laudata à sponso, cum illi diceret *Cant. cap. 1: Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum.*

Non semel, sed bis illam pulchram vocat, & tamen soli dumtaxat oculi dilaudantur: Quia hoc maxime sponso placebat, quod Sponsæ nihil displiceret in aliis. Hoc rarum est, ut quæ pulcherrima est, in aliorum vultu, nævos vel non indaget, si lateant, vel non carpat si prostent. Raro quæ pulchra est, reliquas alicujus fæditatis non arguit.

Ideo gratissima erat sponsa sponso suo tum, quod in se nullam pateretur videri maculam, tum quod nullam videret in aliis. Propterea bis dicitur pulchra, semel propter pulchritudinem propriam, semel propter pulchritudinem alienam, quam sibi in omnibus proponebat, quia in nullo vel minimum nævum videbat vel fæditatem, aut si quid forte videret, aspiciebat illud oculis eolubæ puris ac simplicibus, & in ipsa fæditate inveniebat aliquid pulchri instar rami virentis olivæ. Bis ergo pulchra, pulchra animæ sine nævo, & nullum nævum reflectens in alio, vel si quis erat in

in bonum convertentis, ita amavit sponsus in sponsam, ut vel propterea illam, sponsam suam, amicam suam, columbam suam, formosam suam, sororem suam, immaculatam suam, electam suam, hoc est, præ cæteris omnibus dilectam appellaret.

Hinc enim colligebat ipsius eximiam charitatem in Deum, de qua dicit *Paulus*: Charitas de nemine cogitat malum: Si enim nequam aliquem videt in alio, excusat, si factum excusare non potest, excusat intentionem.

Pergamus in Historia. Jam *Moses & Iosue* appropinquabant ad castra, inquit Scriptura, quando *Moses* vidit vitulum & choros, irasque valde projecit de manu tabulas, & confregit eas ad radicem montis.

Merito petet hic aliquis, quare *Moses* ita irascitur populo ut Sanctas illas tabulas ipso Dei digito scriptas confregerit? numquid prius sciebat eiusmodi vitulum à filiis *Israel* factum, & idololatricam commissam? sciebat: Intellexerat enim hoc ex ipsomet Deo, cum adhuc esset in monte, illique diceret: *Descende de monte, quia peccavit populus tuus, fecerunt sibi vitulum constabilem, & adoraverunt, quare tunc præ ira non fregit tabulas?*

Respondeo: Aliud est intelligere, aliud oculis suis spectare: Jam vero, inquit Scriptura, *Moses* oculis suis videbat vitulum & choros quibus adorabant illum ut Deum: Scelus enim visum magis irritat quam auditum: Quamdiu enim flagitia tantum ad nos deferuntur, vel interdum non credimus, vel non tam gravia aestimamus ut sunt, at ubi oculis spectantur, nec possumus illa diffiteri, & gravitatem videmus. Itaque cum *Moses* populi crimen tantum audiret, flebat, lugebat, orabat, & dicebat Deo: *Quiescat ira tua & esto placabilis super nequitia populi tui*: At ubi vidit, exarsit infuror: An ergo fædiora videbat quam audiverat? nequaquam, sed quod in auribus quasi scintilla fuerat, ubi ad oculos venit, incendium fuit.

Hinc discant Superiores, præsertim Patres ac Matres familias non debere sibi sufficere ut defectus liberorum suorum, aliorumque domesticorum, tantum ad se deferantur, illosque audiant, vel enim pejus deferantur quam sint, si deferantur ex odio vel invidia; vel extenuabuntur ab amicis illius qui accusatur: Oportet defectus illos videre, ut justum feratur iudicium, & juste puniantur. Quare oporteret parentes esse instar *Argi* illius (de quo fabulatur

D d d

Poëtæ

Poeta quod haberet centum oculos in fronte) totos oculos, ut ipsimet quidquid tota domo agatur propriis oculis spectarent, & non tantum audirent.

Sic erat magnus ille Pater familias *David* qui de seipso testatur, quod inter omnia Regni sui negotia, quotidie perambularet domum suam, ut videret quid ageretur inter servos & aulicos, & si quem deprehendebat peccantem, expellebat e domo.

Sic erat Sancta illa Mater familias de qua *Salomon* in proverbio, quæ considerabat semitas domus suæ, perscrutabatur singulos angulos, infra & supra, ut non tantum audiret, sed etiam videret quid ageretur: Quod enim videtur certum est, quod auditur tantum, sæpe incertum & falsum.

In hanc rem pulcherrimam nobis parabolam proposuit *Christus* *Matth. cap. 22*: Juvitaverat Rex quidam omne genus hominum ad magnum convivium, cumque jam omnes mensæ accumberent, intravit Rex, inquit Scriptura, ut videret discumbentes. & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali.

Sapiens Rex qui sic vigilat super convivas suos! nisi enim ipsemet lustrasset convivium, homo ille pro pœna quam merebatur, egregie cum cæteris genio indulgisset: Nullus ministrorum reflexerat illum carere veste nuptiali, aut si reflexerat, nemo illum accusaverat. Adeoque nisi superior suis ipse oculis omnia circumspiciat, scelesti aut latebunt, aut tolerabuntur: Vident facile parentum oculi fordes quas domestici alii aut non vident, aut nolunt videre.

Quid dicam de alio isto Rege de quo etiam sub parabola loquitur *Christus* *Matth. cap. 18*. quando ille coepit rationem ponere cum servis suis, invenit unum qui debebat ei decem millia talenta: Tanti debiti reus tamdiu latuerat, quamdiu Rex suis ipsemet rebus non intenderat, vix coeperat rationem ponere, cum statim tam immane debitum emerfit, quod nemo fervorum deprehenderat.

Quid loquor de hominibus? ipsemet Deus cujus oculis omnia patent, noluit ferre judicium de ædicatoribus Turris *Babylonica*, nisi prius magis particulariter vidisset quid agerent: *Descendit enim*, inquit Scriptura *Genes. cap. 11*, ut videret turrim quam edificabant. Ad instructionem nostram hoc fecit Deus.

Eundemque in finem nobis in exemplum proposuit *Moyse* descendentem de Monte cum *Iosue*; hic *Moyse* dicebat: *Violatus pagana*  
auditor

auditur in castris : Insania populi vitulum aureum adorantis , *Iosue* videbatur tumultus pugnantium : Non est ita, inquit *Moyfes*, *voce* constantium ego audio : Hic vides quanto perspicacior sit superior quam subiectus. Quis justior, quis prudentior *Iosue* ? nihilominus post quadraginta dies in Monte exactos orando, lasciviam idololatrantium interpretatur fortitudinem dimicantium. Cum ergo subditi ac domestici plerumque in aliam partem detorqueant defectus quos vident, necesse est ipsos parentes invigilare ut oculis suis defectus perspiciant, alioquin raro aut numquam emendabuntur : Sæpe enim periculosum est credere deferentibus, & temerarium plectere quod tantum auditur ex aliis.

Cum ergo *Moyfes* vidisset vitulum, & filios *Israel* circum saltantes, & Sacrificia illi offerentes in ara quam extruxerat *Aaron* frater ejus : *Accipiens vitulum*, inquit Scriptura, *combussit, & contrivit usque ad pulverem, quem sparsit in aquam, & dedit ex eo potum filiis Israel.*

Quid putas causæ fuisse quod *Moyfes* vitulum non tantum absciderit, sed etiam contriverit, nec tantum hoc, sed etiam pulverem sparserit in aquam, nec hoc tantum, sed etiam bibendum illum pulverem dedit filiis *Israel* ? numquid satis occursum erat idololatriæ si idolum dejecisset, aut contractum in partes fodisset sub terra ? non erat satis : Si enim dejecisset tantum, poterant iterum illum elevare : Si fodisset tantum sub terra, poterant illum inde rursus eruere : Si pulverem tantum sparsisset in aquas, poterant illum rursus colligere : Si arā tantum evertisset, poterant illam rursus extruere, & redire ad idololatriam : Voluit ergo *Moyfes* idolum istud ita destrui, penitusque perire, ut ne pulvisculus quidem amplius superesset, Idcirco bibendum pulverem dedit filiis *Israel* ; tunc enim nulla prorsus spes erat relabendi in idem peccatum ; hoc est quod ait *D. Ambrosius in Ep. ad Rom. Moyfes*, inquit, vitulum in pulverem redegit, ut omnia impietatis aboleret vestigia. Facile enim reviviscere potest quod non plane interiit : Quapropter ut quem peccati vere poeniteat, interitus peccati debet esse sine ulla reparatione, & sic excidi, quasi numquam fuisset, si enim adhuc reliquias servas, in animo, scintillæ sunt quæ possent data occasione erumpere in vastum incendium : Et quid prodest poenitentia ubi deest perseverantia ?

Puto hoc Deum significare, nosque admonere voluisse constantiæ, quando decem præcepta insculpsit lapidi, promptior qui-

quidem excipiendis characteribus est charta, sed facilius inde delentur. Tardius lapis inciditur, sed impressas semel litteras, nulla perfrictione, & non nisi multo tempore inde eraseris. Hoc vult Deus, ut ita perstes in ejus legibus, ut non deficias.

Hinc gravius perstrinxit *Petrum Christus* cum vacillaret in fluctibus, quam cum illum negaret in aula. Cum illum negaret, tantum respexit; cum vacillaret, severe reprehendit, dicens: *Modica falsi quare dubitasti?* An ergo pejus vacillare, quam pejerare? In Mari falsus est *Christum esse Dominum*: *Domine, inquit, salvum me fac*; in aula dicebat: *Non novi hominem*: Cur ergo solis oculis movet *Petrum* dum pejerat, & tam severe agit dum vacillat? Quia in aula perfidiæ arguitur, non inconstantia, non enim prius confessus fuerat *Christum*, & deinde negaverat. Sed in Mari aliquantisper impavidus calcaverat fluctus: At cum videret intumescere Mare, ventumque insurgere, timuit, & à constantia defecit. Ideo *Christus* levius illius perfidiam arguit quam inconstantiam.

Postea cum *Christus* vellet explorare num *Petrus* jam staret firmus, tertio petiit ab illo: *Simon amas me?* hæc trina interrogatio, inquit *Augustinus*, respondebat trinæ negationi: Ergo cum ter tepidasset coram ancilla, videbatur de audacia ac fortitudine interrogandus, & tamen *Christus* illum interrogat de amore. Sic est, sed oportet attendere ad illud quod sponsa dicit in *Canticis cap. 8: Innotis*, inquit, *ut mors dilectio*: Ergone hoc solum de Charitate dici poterat quod sit fortis ut mors? quare ergo *Paulus* 1. *Corinth. cap. 13*, tot speciosis titulis charitatem exornat? dicit enim: *Charitas patientis est, benigna est, non amulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non querit que sua sunt &c.* Quare ergo Sponsa à sola fortitudine ac constantia charitatem laudat, & quidem ejusmodi quæ similis est fortitudini mortis?

Respondeo, quia hæc excellentia præ cæteris Deo gratissima est: Sicut enim mors, quos abstulit è vita, non patitur amplius reviviscere, sed cadavera eorum sepulchro condita penitus arroduntur & exeduntur, ita ut tandem nihil profusus remaneat; non aliter Charitas vitia quæ semel jugulavit numquam deinceps finit emergere, & pestes illas animæ ita sepelit, ut nulla spes superfit recuperandæ pristinae libertatis. Recte ergo *Christus* interrogat *Petrum* an se amet ut videat ejus constantiam & firmitatem in bono; quæ diceret: Si amas me, securus sum quod non amplius vacillabis, & ad

Peccatorum  
reliquia  
penitus au-  
ferenda.

ad antiqua peccata redibis, jam enim ista ita perierunt, quasi numquam omnino fuissent.

At quæret hic aliquis: Ergone ita perire oportet peccata quæ fecimus, ut numquam illorum amplius meminerimus? Hoc non: Quamvis enim *Moyſes* vitulum aureum usque ad ultimum pulvisculum sultulisset ex oculis filiorum *Israël*, ne, si aliquid superfuisset, rursus ad peccandum provocarentur, noluit tamen auferre de illorum memoria, nam postea non semel illius peccati mentionem fecit, ut illius memores, semper illud deslerent, & tanto magis firmarentur in bono.

Sic ait *David* *Psal. 50.* *Peccatum meum contra me est semper.* Semel ipſus erat *David*, semper fleuit. Hæc enim poenitentia vis est, ut hominem ita ad se rapiat, ut vindictam sumat de scelere commisso.

Hoc ipsum etiam videre poteritis in muliere *Samaritana*. Hæc post colloquium habitum cum *Christo* ad fontem *Jacob*, regressa est ad civitatem, ibique cœpit clamare ad cives: *Venite, & videte hominem qui dixit mihi omnia quæcumque feci*: Mulier, quid ais? dicis *Christum* tibi dixisse omnia quæcumque fecisti? an ergo tibi dixit quoties Synagogam adieris? quam frequenter foras exieris animi gratia? quoties alienos lares adieris epulatura? dixit ne tibi ubi nata, ubi educata sis, qui tui parentes? dixit ne quoties egressa ad forum ut quidpiam emereres? quoties urbe egressa ut aquam haurires? numeravit ne tibi dispendia quæ fecisti in libidinem, sumptus quos fecisti in vestes? &c. Nihil horum: Hoc unum dixerat *Christus*: *Quinque viros habuisti, & nunc, quem habes, non est tuus vir.* Quomodo ergo tibi dixit omnia quæ fecisti, cum illud unum tantum facinus tibi objecerit?

Vultis scire mysterium? ita mulierem pudere cœpit illius sui flagitii, ut rerum cæterarum oblita, turpitudinem dumtaxat suam ore menteque revolveret: Miraris prima doloris sui horâ feminam obliteratis in corde rebus universis de suo tantum crimine recordatam? *Davidem* intuere inter turbas & milites, & tot regni negotia, peccati sui numquam immemorem; dicit enim: *Semper peccatum meum contra me est.*

Tu ergo tot criminum reus quid agere debes? debes illa peccata ita destruere ut nullæ amplius superfint reliquæ, ita tamen ut illorum interdum memineris, ut quamvis penitus excisa, per poeni-

nitentiam, interdum defleas. Sicuti enim interitus peccati debet esse talis ut amplius reparari non possit, ita animus peccatoris post peccatum deletum debet esse tenacissimus virtutis, ne rursus fiat inconstans & à recta via deflectat.

Contrito jam vitulo aureo, convertit se *Moyſes* ad *Aaronem* fratrem suum, & ait: *Quid tibi fecit hic populus ut induceres super eum peccatum maximum? Cui ille respondit: Ne indignetur Dominus meus, tu enim nosti populum istum quod pronus sit ad malum: Dixerunt mihi: Fac nobis Deos qui nos precedant: Huic enim Moyſi, qui nos eduxit de terra Egypti, nescimus quid acciderit. Quibus ego dixi: Quis vestrum habet aurum? tulerunt, & dederunt mihi, & projecit illud in ignem, & egressus est hic vitulus.*

Adverte hic 1. Quod *Moyſes* non populum qui aderat, sed *Aaronem* fratrem alloquitur, eumque peccati arguat: Numquid populus primo accesserat ad *Aaronem*, & postularat ab eo ut sibi faceret Deos? quare ergo non potius populum reprehendit quam *Aaronem*? quia *Aaron* illorum superior erat; ut discamus, inquit *Oleſter*, rectoribus & parentibus imputari subditorum peccata; quid ergo peccatur domi tuæ vel à tuis, tibi vitio dandum est.

Hinc *Apoſtolus Paulus* sic argumentatur *Hebr. cap. 13. Obedite propositis vestris; ipsi enim pervigilant quasi rationem reddituri pro animabus vestris.*

Parentes  
ac Superiores  
lucè  
subditorum  
peccata.

Hoc argumentum sic exponit *D. Chryſostomus* in hunc locum: Audiant principes, inquit, *Apoſtolus* dicit: Sicut obedienter oportet esse qui reguntur, sic rectores vigilantes decet esse: Periculum enim imminet: Omnium quos regis, rationem redditurus es. Miror si potest salvari aliquis rectorum.

Iisdem vestigiis insistunt alii Patres. In primis *D. Gregorius Lib. 24. Moral. Cap. ult.* Tot solus, inquit, animas habes, quot regendis subditis præes, de omnibus enim districto iudici tibi reddenda est ratio.

2. *Origines Hom. 20 in Numer.* Dicitur *Numeror. cap. 25*, quod omnes *Israëlitæ* commiserint idololatriam, iussit *Deus* omnes populi principes suspendi in patibulis. Vides, inquit *Origenes*, quæ sit conditio principum, non solum pro suis propriis puniuntur delictis, sed & pro populi peccatis coguntur reddere rationem.

Quemadmodum enim à pastore exigitur ratio illius ovis, quæ in grege sibi commisso, periit, vel à lupo devorata est, nec admittit

titur excusatio, quia penes illum erat ovium cura, quas ex officio servare debebat. Sic etiam rationem exiget Deus ab his qui regunt, si subditi pereant, vel ab inferni lupo discerpantur.

Hæc enim omnia culpæ & negligentiae gubernantium imputabuntur, quia subditorum vitam servare, & salutem procurare tenebantur.

Timeant ergo, inquit *Franciscus Labbata*, Patres & Matres filiorum filiarumque peccata: Timeant Magistri discipulorum vitia: Timeant Domini famulorum ac subditorum delicta, illorum enim omnium illis reddenda erit ratio coram tribunali supremi iudicis. Ab omnibus enim petet Deus, inquit ille idem auctor, quod *Pharisæi* petebant à *Christo*, dicentes: *Quare discipuli tui non lavant manus suas antequam comedant?* habebant hoc illi pro gravissimo crimine, & sciebant *Christum* esse illorum superiorem, ideo non à discipulis, sed à *Christo* rationem exigebant.

Sic, inquit, à iudicibus petet Deus: Quare Ministri vestri non laverunt manus suas? macularunt enim illas accipiendo munera, & divitum scelera impunita reliquerunt propter pecunias, egenorum vero delicta non adeo gravia accusarunt.

Petet à parentibus: Quare liberi vestri non laverunt manus suas? deturparunt enim illas expendendo pecunias in libidines, in voluptates, in vanitates, in lusus, in nugas. Illi erant oves vestrae, vos eratis pastores: Dedi vobis quatuor, quinque, vel sex oves regendas, video unam alteramve abesse: ubinam sunt? quo abiere? periire? hæc tua culpa est, ergo sanguinem illius animæ jam de manu tua requiro, redde rationem: Si non possis? reus es, tibi enim imputandum est quod illi peccarunt.

Si ita res agitur, quid mirum quod *David Psal. 18* alta voce exclamet: *Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce servo tuo.* Primo petit mundari à propriis peccatis, deinde ab alienis: Sed, si aliena sunt, quid habet sibi ab illis timendum? respondet *Euthymius*: *David*, inquit, rex erat, & noverat reges ac Dominos obnoxios esse subditorum peccatis.

Denique contra rectores inclamat Deus *Ve*, hoc est, minatur æternam damnationem: si negligentes sint, & gregis sibi commissi curam non gerant: *Ve*, inquit *Ezech. cap. 34*. *Pastoribus Israël, quod infirmum fuit, non consolidastis; quod agrum, non sanastis, quod confractum, non alligastis; quod abjectum, non reduxistis; quod perierat,*



rat, non quaesistis. Hoc vobis dicitur quotquot estis animarum pastores, vobis enim imputabitur si quod illæ damnum fuerint passæ, adeoque vos non minus plectendi estis quam ipsæ.

Adverte 2. Ideo *Aaronem* merito à *Moyse* fuisse correptum, quia non gesserat se ut Superiorem decebat, debebat enim fuisse fortis, & animose resistere *Israëlitis* petentibus ut faceret sibi idolum; sed tam languidus ac pusillanimis fuit, ut non tantum consenserit quod petebant, sed etiã aram extruxerit idolo quod non petebant.

Optime quadrat in illum quod clamat Propheta *Zacharias* cap. 11. *O Pastor, & idolum!* Idola, ut ait *David*: Oculos habent, & non vident, aures habent, & non audiunt, linguam & guttur habent, & non clamant. Ergo cum *Aaron* esset pastor, idolum factus est: Habebat enim oculos, sed non videbat enormitatem peccati quod volebant committere filii *Israel*: Aures habebat, sed non audiebat illos aliquid petere quod destruebat honorem ac majestatem: Linguam & guttur habebat, sed non clamabat contra illorum impietatem, debebat manibus ac pedibus se illis opponere ut tantum crimen impediret.

In hac re defuit etiã *Heli* Sacerdos respectu filiorum suorum: Audi quid de illo narret Scriptura *Lib. 1 Reg. cap. 2*. Jussit illi dici Deus: *Quare calce abjecisti victimam meam, & munera mea qua præcepit ut offerantur in templo, & magis honorasti filios tuos quam me? ecce dies veniunt, & præcidam brachium tuum.* Si rem penitius inspiciamus, videbimus non Sacerdotem *Heli*, sed filios suos hujus sceleris reos fuisse: Illi enim primitias sacrificiorum absumebant, & tamen illorum pater punitus fuit à Deo, quia non satis fortiter illos objurgarat: *Quare inquebat, facitis res hujusmodi quas ego audio, res pessimas, ab omni populo? nolite filii mei: Non enim est bona fama quam ego audio, ut transgredi faciatis populum Domini: Quamvis Heli hoc modo filios suos increpauisset, pœnas tamen subjiit. Quid ita? audiamus Chrysostomum *Lib. 3 Advers. vituperat*: Minas, inquit, *Heli* addere debuerat, & à suo conspectu filios amovere; & verberibus afficere, sed cum intempestive illis parceret, & suam perdidit, & illorum salutem. Audiamus etiã *D. Hieronymum *Lib. 1 Advers. Pelag. Heli**, inquit, corripuit filios, & punitus est, quia non tantum corripere debuit, sed abjicere, & è templo expellere, inquit *Theodoretus*: Superiorem fortem esse oportet contra vitia subditorum, &*

pariter

parentes contra peccata liberorum, & omni vi ac conatu illis resistere, ut impediatur, & quia hoc *Aaron* non fecerat, sed condescenderat voluntati pravæ *Israelitarum*, ideo tam acriter fuit oburgatus à *Moyse*, dicente: *Quid tibi fecit hic populus, ut induceres super illum peccatum maximum?* quasi diceret: Quod probrum est istud, quod tu, qui Superior eras, non fortius te gesseris, debebas vitam tuam potius amittere, quam permittere ut subditi tui tam enormiter contra Deum peccarent.

## DISCURSUS XII.

*Moyse* punit *Israëlitas* propter peccatum *Idololatriæ*.

**M**oyse non contentus infame illud idolum vituli penitus destruxisse, & *Aaronem* in præsentia totius populi tam acriter perstrinxisse, posuit se, inquit Scriptura, in porta castrorum, hoc est, in primo aditu, clamavitque alta voce: *Si quis est Domini, jungatur mihi: Congregatique sunt ad eum omnes filii Levi: Quibus ait: Hac dicit Dominus Deus Israel: Ponat vir gladium super femur suum: Ite & redite de porta usque ad portam per medium castrorum, & occidat unusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum: Feceruntque filii Levi juxta sermonem Moyse, cecideruntque in die illa quasi viginti tria millia hominum.*

Hæc procul dubio est horribilis pœna; tot millia coedi, & quidem à propriis fratribus, cognatis, & amicis, propter unum peccatum, & quidem nemine resistente, nemine contradicente.

At ego dico: Numquam supplicium grave est, ubi scelus non est leve: Agnoscebant filii *Israel* gravitatem peccati sui, propterea nemo resistebat, sed omnes timor invaserat mixtus dolore.

Sic cum *D. Petrus* uno alterove verbo, quasi fulmine, *Ananiam*, & uxorem ejus *Saphiram* occidisset, timor exortus est in Ecclesia, & nullus hiscere ausus est: Præstabat vox *Petri*, quod *Neronis* gladius non potuisset, uno ictu duos interficit, & omnes timent; imo isto ictu Ecclesia mirabiliter aucta est. Ita severitas, si reum plectit, medicina est, si vero innocentem vulneret, venenum & laniena est: Non mirum ergo si fulminante *Petro*, nullus turbatur, nullus

Ecc se

se opponit, imo Ecclesia crescit, quando *Petrus* ejus membra, quæ putrida erant, absciderat.

Tradebat *Paulus* impudicum aliquem *Corinthium* Satanæ: nihil ex horrore supplicii inter Neophytos murmur, nulla in ejusdam damnatoque indignatio: Quin ita eum *Paulus* brevi emendatum intellexit, tantoque dolore confectum, ut quem Satanæ tradiderat, inter amplexus suos reciperet. Numquam aliter peccator loqueret, dum plectitur, modo gravitatem vel unius delicti agnoscat. Numquam enim detrectat æger ferrum aut ignem ubi pus ferret, quisquis enim illum secat aut urit, non vulnerat, sed curat.

Veniebat *Christus* in templum, factoque de funiculis quasi flagello, violatores templi cæcidit, dure excepit, audacter expulit, oves fugavit, nummos effudit. Nullus illi sese opposuit: Et tamen cum aliquando curvam feminam sabbato curasset in Synagoga, acerbè fugillatur: Nam, ut ait *Lucas cap. 13. Archisynagogi indignans, quia Sabbato curasset Iesus, dicebat turbe: Sex dies sunt in quibus oportet operari. In his ergo venite & curamini, & non in die sabbati.* Cur ergo tam meticulosi sunt *Pharisæi* coram *Iesu* in templo ut non audeant hiscere quando vendentes expellit è templo, & tam acerbè quando curat feminam in Synagoga? an Synagoga sanctior est templo? nequaquam: Sed quamvis ignominiosum sit eam flagellis, tamen quia sciebant illos qui cædebantur, reos esse gravius peccati, adeoque justè pœnam mereri, filebant: Quisquis enim sanctuarium Dei convertit in speluncam latronum merito cæditur, nullo patrono, pro peccante, loquente, nullo cædenti obfistente, idque non supplicium appellandum est, sed sacrificium.

Ipsemet *Absalon*, qui fratrem suum jugulaverat, patrem reventabatur cum illum amandasset in exilium: Cum enim illum tæderet exili, mallebat mori quam patrem non videre, dicebat enim *Lib. 2 Reg. cap. 14. Obsecro ut videam faciem regis, quod si memini est iniquitatis meæ, interficiat me. Quem regem Absalon, videre optas? Duvidem: Illumne qui te cædit? qui te expulit? qui te etiam rebellem pati non potest? illum ipsum volo videre: At fratricidam execratur. Non curo quod Patri exosus sim, nec agrè fero, qui fratrem trucidavi, dum enim culpam confidero, fatcor me pœnati meruisse, & jure à patre plecti.*

Hæc eadem fuit causa cur nemo *Israelitarum*, *Moyfi* intra unum

diem viginti tria millia hominum occidenti, fuerit reluctatus, & tamen populus ille tam erat effrænis, tam audax, ut non vereretur interdum clamare & murmurare contra cælum: Alias non tantum soleret *Moysem* & *Aaronem* objurgare, sed etiam lapidare: Jam vero omnes se continent, omnes silent, quia poterat *Moyfes* illis respondere: *Peccastis peccatum maximum*. Tam enorme vulnus non poterat nisi tali sectione curari.

Quis jam conqueri possit de Deo si interdum gravissimis poenis integras urbes, regna, & provincias, peste, fame, bello castiget, quando maxima pars incolarum, rei sunt gravissimorum delictorum? Hoc unum possunt clamare: *Omnia qua fecisti nobis, Domine, in vero iudicio fecisti, quia peccavimus tibi, & mandatis tuis non obedivimus.*

Mirati sumus *Israelitarum* silentium in perferendo tam horribili supplicio, non minus mirabilis videtur fortitudo Levitarum, qui illud iussu *Moyse* inferebant. Sed tantum potuit ducis præsentia, qui ultionem quam imperabat, suo ductu auspicabatur. Tantum quippe valet Superiorum præsentia & exemplum, ut quæ impossibilia poene videntur, animosè ac fortiter executioni mandentur. Præeant duces in bello, præeant superiores in cœtibus, præeant parentes in domibus, & mox ad difficilia quæque superanda subiecti sequentur, nisi aut pudorem omnem excusserint, aut nullius animi sint. Verissime dixit *Chabrias*: Terribilior est exercitus cervorum duce leone, quam leonum duce cervo. *Aaron* timidus erat ut cervus cum cederet idololatri, & perdidit castra tot insignium bellatorum, qui erant instar leonum.

Sed *Moyse* erat instar leonis, sub tali duce invadunt Levitæ eadem castra, & ex cervis leones effecti sunt. Quod habet locum in bello, etiam habet in familiis.

Imperent parentes & præeant liberis, nihil erit quod non audebunt: Quod si tantum imperent, & non præeant, parum efficient. Imperaverat aliis sponsa in *Canticis cap. 2*, dicens: *Capite nobis vulpes qua demoliuntur vineas*, vulpes erant vitia, vinea erat domus ipsius, volebat tollere vitia è domo sua, imperabat aliis ut hoc facerent, *capite nobis*, inquit, sed non præibat: Cum ergo domum ipsius perlustrarem ut viderem captas vulpeculas, nullam captam inveni. Unde hoc? quia imperaverat tantum, & non præcesserat: Adeoque non debebat tantum clamare: *Capite vulpes*,

Ecc 2

sed

sed dicere, *capiamus*, ego faciam vobiscum, & ego ad istam expeditionem vos ducam. Ubi Superior non præsens, & præsens non est, ibi non facile vulpes quæ vineas corrumpunt, capiuntur, aut eliminantur.

Quando diabolus seminavit inter triticum zizania, agri Dominus aberat: Quando aberat *Jacob*, tunc fratres vendidere *Iosephum*, & commisere adulteria, sic non potest pater etiam à Patriarchis abesse quin pessimis sceleribus corrumpantur: Nihil dico de *Dina* filia *Jacob*, quæ violata est patre absente: *Abel* à *Caino* jugulatus est cum *Adam* procul abesset: *Absalon* *Amnonem* fratrem suum trucidavit in Epulo ad quod *David* pater ejus venire noluerat: Quando nam discipuli dispersi fuere? quando *Christus* raptus erat in pratorium: Si nec Apostoli constitere sine præceptore, quomodo stabunt, etiam milites crucis, sine duce? Etiam excubante *David* irruebant lupi & ursi in gregem ipsius, quid ergo non metuumdum est gregibus illis, quos nec *David* præsens, quique eis præsunt, non excubant, sed negligunt? Hinc illæ lacrymæ quibus deploramus & familias, & alios hominum cætus corruptos, & plenos vulpeculis quæ illos demolitæ sunt. Si omnes superiores essent ut *Moses*, nullus subditorum esset qui non incitaretur ad magna.

Altero die postquam tot hominum millia fuerant trucidata, *Incutus est*, inquit Scriptura, *Moses ad populum*, & ait: *Peccastis peccatum maximum: Ascendam ad Dominum, si quo modo quivero eum deprecari pro scelere vestro.* Timebat *Moses* ne post tot hominum millia jugulata, Deus ceteros omnes per partes deleteret.

Cum ergo rursus ascendisset in montem, sic Deum allocutus est: *Obsecro, peccavit populus iste peccatum maximum, feceruntque sibi Deos aureos: Aut dimitte illis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro vite.*

Mirabilis oratio & modus loquendi in quo Sancti Patres & interpretes non unam difficultatem inveniunt, & ideo in opinionibus non conveniunt.

1. *S. Hieronymus Epist. ad Algasiam*, & *D. Gregorius lib. 10 Moral. cap. 7*, per librum Vitæ de quo petit *Moses* deleri, intelligunt librum vitæ præsentis, adeoque dixerit *Moses*: *Aut dimitte istud peccatum, aut occide me, & tolle me de hac vita.*

2. Alii sic accipiunt ut dixerit, aut dimitte, aut tolle me de hoc officio ut non sim amplius legislator populi.

Sed hæc non satisfaciunt, reperio enim in variis Scripturis quod liber vitæ significet librum illum, hoc est, memoriam & mentem divinam in qua Deus conscripsit omnia nomina salvandorum.

3. Ergo *S. Augustinus* q. 147 putat *Moyſis* verba sic intelligi debere: Aut dimitte populo hoc peccatum, aut dele me de libro vitæ æternæ; sed certus sum quod me non delebis, ergo restat ut dimittas & parcas populo.

4. Abbas *Rupertus* hoc loco videtur mihi genuinum & verissimum sensum invenisse: Hæc, inquit, erat oratio *Moyſis*: Si non dimittis populo, dele me de libro vitæ æternæ: Malo enim inde deleri quam populum perire, hunc enim pluris facio, & plus diligo quam meipsum, malo ut unus ego delear quam tot hominum milliones, malo ut tua gloria à toto populo celebretur quam à me solo, malo totum populum salvari, quam me: Aut ergo utrumque scribe in libro vitæ, & salva, aut si alterutrum vis delere & perdere, me unum potius dele quam totum populum.

Denique *S. Chrysostomus* in cap. 9 *Rom.* *Bernardus Serm.* 12, in *Cant.* *Theophylactus acumenius, Casianus*, & alii dicunt *Moyſen* non tantum serio optasse, sed etiam postulasse à Deo ut illum potius privaret æterna beatitudine, Deique conspectu, quam populum perderet.

Hinc alia difficultas exurgit, nempe an alicui liceat sibi optare damnationem ut alios salvet. Videtur enim hoc esse contra charitatem Dei, qui enim optat damnari, aut privari visione Dei, optat Deum non amare in altera vita, ubi charitas est perfectissima.

Respondeo *Moyſen* ita abreptum fuisse amore in suum populum, ut de hisce circumstantiis non cogitaret, hic enim simpliciter comparabat suam propriam beatitudinem, cum beatitudine tot millium hominum, mallebat autem beatitudine sua carere, quam Dei gloriam periclitari, non solum apud gentiles, sed etiam apud *Israelitas*: Gentiles, quia illi Deum vocassent crudelem si totam istam multitudinem populi in deserto occidisset; *Israelite* vero, qui omnes in æternum periissent, blasphemassent Deum in inferno. Existimabat ergo *Moyſes* melius esse ad gloriam Dei ut ipse solus periret quam omnes: Eiusdem opinionis videtur fuisse Apostolus *Paulus* quando optavit anathema esse pro fratribus suis.

Cætera quæ sequuntur in libro *Exodi*, nihil particulare habent quod spectet ad instructionem vel mores: Per septem enim postrema capita nihil aliud describitur quam tota Architectura Ta-

bernaculi cum omnibus suis partibus & ornamentis. Liber *Leviticus* qui sequitur, & est tertius liber Scripturæ, agit de Sacrificiis, earumque varietate & distinctione. 2. De personis offerentibus, earumque præparatione ac dispositione. 3. De temporibus Sacrificio destinatis, nempe de festis. 4. De votis. Hunc librum dictavit Deus *Moyfi* in deserto cum *Israelitæ* adhuc morarentur juxta montem *Sinai*. Ingentem habet materiam & variam; seligemus ea quæ maxime possunt servire ad mores.

## P A R S I V.

*In Librum Levitici.*

### D I S C U R S U S I.

*Præscribit Deus Moyfi ritus holocaustorum primo ordinem, bonum &c.*

**A**ntequam veniamus ad rem ipsam, oportet scire quid sit Sacrificium. Dico igitur: Sacrificium est oblatio rei sensibilis à legitimo ministro facta Deo, per realem immutationem, ad testandum supremum illius dominium, & nostram subjectionem.

Dico *per realem immutationem*, quia in hoc distinguitur Sacrificium ab oblatione, quod in hac res integra offerebatur Deo, in Sacrificio vero res occidebatur si esset animata, si inanimata, confundebatur, conterebatur, comburebatur, vel effundebatur, & sic immutabatur, vel occidebatur.

Hinc sacrificare *Græcè* dicitur *θύειν*, *Hebraicè* *Zabach*, utrumque significat occidere, vel mactare.

Occisione autem ostendimus Deum esse omnium Dominum, ac præsertim necis ac vitæ quando offeruntur animata.

Res vero inanimatæ quæ offerebantur, vel erant liquidæ, ut sanguis, oleum, vinum, hæc effusione offerebantur: Vel erant solidæ, ut panis, similitæ, sal, thus, manipulus spicarum virentium, triticum.

cum. Hæc levabat Sacerdos in altum, varieque immutabat. Nam panis difsecabatur in partes; simila, sartagine, clibano, vel craticula coquebatur, sal urebatur, thus fundebatur, manipulus spicarum urebatur, triticum conterebatur.

Denique Sacrificiorum tres erant species: Prima erat holocaustorum; secunda victimæ pacificæ; tertiâ hostia pro peccato. Quibus adde quartam, nempe Sacrificium similæ aut panis quod Hebræicè vocabatur *mincha*, & figurabat Sacrificium *Christi*.

Videamus modo quomodo Deus hæc omnia ordinaverit, & cum omnibus ceremoniis, ac circumstantiis dictaverit *Moyse*: Incipit ab holocausto quod erat triplicis generis, primum in quo offerebantur boves, in secundo oves, & capræ, in tertio aves, scilicet turtures & columbæ.

Sic ergo incipit liber *Levitici*: Vocavit Dominus *Moysem*, & locutus est ei: Loquere filiis *Israel*, & dices ad eos: Homo qui obtulerit ex vobis boves & oves, si holocaustum fuerit, masculum immaculatum offeret ad ostium Tabernaculi testimonii, ad placandum sibi Dominum, & cætera quæ sequuntur.

Hic agit primum Deus de prima ac præcipua Sacrificii specie, hoc est, de holocausto, boum, ovium, vitulorum &c. in quo tota victima ita cremabatur ut nihil remaneret præter pellem, ut per hoc significaretur summum Dei in res omnes dominium, omniaque referenda ad ipsum, ipsiusque gloriam. 2. Per hoc offerentes testabantur se totos pertinere ad Deum, & se totos Deo consecrare.

Videamus 1, quod spectat ad litteralem sensum & ceremonias horum Sacrificiorum. Ac primum quidem, holocaustum debebat esse masculum, & immaculatum: Divites offerebant bovem vel vitulum, qui vero vitulum habere vel emere non poterant, offerebant, agnum vel hædum, pauperes qui nec agnum nec hædum, offerebant turturem, vel pullum columbæ.

3. Hostia debebat duci ad ostium Tabernaculi. 4. Offerens imponebat manus super caput victimæ. 5. Sacerdos eam mactabat & jugulabat, sanguinem phiala excipiebat, cumque fundebat per altaris circuitum, mox pellem detrahebat, deinde victimam concidebat in frusta, eamque altari imponebat, ac supposito igne & lignis comburebat. In hisce autem Sacerdos sacrificans aliorum Sacerdotum ac Levitarum operâ juvabatur præsertim cum multæ simul victimæ erant offerendæ.

Sed



Sed cum non sit dubium quin hæc omnia tantum essent figure, juxta illud *Pauli* dictum: *Omnia illis in figura contingebant*, non est etiam dubium quin multa pro futuro tempore spiritualiter significarent.

1. *Rodolphus* per holocaustum, dicit significari eos qui se corde & corpore totos mancipant divinis obsequiis, quorum, inquit, triplex est genus: Unum ipstar bovis corpore robustum, qui labores suos impendunt ad proximos juvandos. Alterum instar ovis, hoc est, eorum qui operum innocentia, morumque simplicitate alii prælucent. Tertium instar avium qui divinis scientiis & contemplationi vacant, ut Deum perfectiùs cognoscant.

*Rupertus* Abbas primos comparat cum *Iob*, qui totus erat in juvandis proximis sive pauperibus per eleemosynas, sive afflictis per solatia, sive viduis ac pupillis defendendo illos in judicio. Secundos comparat *Noë*, qui inter peccatores innocentia eminebat. Tertios comparat *Danieli* qui sapientia divina excelebat inter mortales.

Denique *Ribera* lib. 4. de Templo cap. 3. per holocaustum vituli intelligit *Christum*, qui, ut *Paulus* ait: *Tradidit semetipsum pro nobis oblationem Deo*. 2. Per oblationem agni intelligit oblationem & mortem Martyrum, quæ dignitate proxima fuit oblationi *Christi*. 3. Per holocaustum turturis & columbæ intelligit eos qui per jugem carnis macerationem, gementes ut turtures, innocentes ut columbæ, se totos Deo immolant.

Hi omnes sunt masculi per fortitudinem, immaculati per sanctitatem. *Christus* vero in particulari immolatus fuit ad ostium Tabernaculi, hoc est, juxta portam urbis *Ierosolymitana* in qua erat Templum Domini. 2. *Christus* offerendo se Patri sanguinem suum fudit in circuitu altaris Crucis suæ, ut sciremus omnes orbis partes & nationes participes futuras ipsius Crucis & sanguinis. 3. Pellis *Christo* detracta est, quando vestibus omnibus spoliatus fuit, corpus flagris & clavis concisum, & pellis dilacerata, & ossa denu data, juxta illud *Psalmi* 21: *Foderunt manus meas & pedes meos, & diriverunt omnia ossa mea*. 4. Ignis quo *Christus* quasi combustus fuit, erat charitas ipsius, quæ magis urebat interius, quam naturalis ignis urit exterius.

Sed quod præ cæteris hic appendo & confidero, est, quod Deus nullam sibi victimam in holocaustum offerri voluerit, sive esset

bos, sive vitulus, sive agnus, sive hædus, sive turtur, sive columba, nisi penitus immaculatam, quod sic explicatur *Levit. cap. 22: Omnis macula non erit in eo, si cacum fuerit, si fractum, si cicatricem habens, si scabiem, non offeretis.*

Hoc postea reprehendit *Malachias* Propheta *cap. 1* dicens: *Si offeratis cacum ad immolandum, nonne malum est? & si offeratis claudum & languidum, nonne malum est? offer illud duci tuo.*

Primæ quæ in orbe terrarum oblatae Deo primitiæ fuerunt, erant *Abelis & Cain*, sed dispares plane ac diversæ: *Cain*, inquit *Scriptura Gen. cap. 4, offerebat de fructibus terre*, sed vilioribus, meliores sibi reservabat, fortasse, inquit *Fernandus hoc loc. offerebat decidua & semi-putrida poma, vel grana minutiora: Abel vero, inquit Scriptura Gen. cap. 4, offerebat de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum, hoc est, optima quæque. Ideo, inquit Ambrosius lib. 1. de Cain & Abel cap. 10, respexit & acceptavit Deus munera Abel & rejecit munera Cain.*

Hinc trahit *Fernandus* hanc instructionem moralem: *Caino*, inquit, perfimiles mihi esse videntur, quicumque impiâ avaritia erga Deum viliora illi offerunt, sicut parentes qui filium aut filiam deformiorem specie, aut quovis alio naturæ vitio laborantem in Dei obsequium, ad spirituale in sæculo statum, vel religionem, quodam modo non offerunt, sed abjiciunt, aut detrudunt; cum tamen Deus ipse severe vetuerit ne *Indei* sibi victimas offerrent ne in minimo quidem defectuosas, aut ulla macula deformes. *Maledictus*, inquit *Malachias cap. 1, qui immolat debile Domino.*

Sed fusius hoc argumentum pertractat *D. Hieronymus*, peritissimus Virgines instituendi Magister: Sic enim scribit *Epist. 8 ad Demetriadem* nobilissimam ac speciocissimam Virginem: Solent miseri parentes, & non plenæ fidei Christiani, deformes, & aliquo membro debiles filias, quia dignos generos non inveniunt, virginitati tradere: Certe qui religiosiores sibi videntur, parvo sumptu, qui vix ad alimenta sufficiat, Virginibus dato, omnem censum in utroque sexu sæcularibus liberis largiuntur, ut scilicet dum alii serviunt Deo, illi in sæculo dominantur, genio indulgeant, ac lasciviant de portione, cujus partem detrahunt Deo.

Quod si ingens piaculum est vitiatam hostiam, aut mutilum aut scabiosum animal aris imponere, ut illos qui hoc faciunt, maledictos dicat Scriptura, quale nefas erit, sola mundi rejectamenta

Fff

Deo

Parentes  
non pos-  
sunt of-  
ferre Deo  
liberos de-  
fectuosos.

Etos dicat Scriptura, quale nefas erit, sola mundi rejectamenta Deo donare? si quis inter liberos defectuosus, numini consecraret, & dicere, illis optime quadrabit cucullus vel velum ꝑ obolem vero primogenitam, vividam, ingeniosam, speciosam, ac solertem, ad generis splendorem servare & interdum vi retinere pro sæculo.

In hos parentes aut tutores sic invehitur Deus per *Malachiam*: si offeratis cæcum, nonne malum est? & si offeratis claudum & languidum, nonne malum est? offer illud duci tuo si placuerit ei.

Offer filium tuum claudum, vel cæcum, vel stupidum, Regi aut Principi, ut illi serviat inter Ephæbos, nonne illudi sibi putabit, & protinus cum indignatione à conspectu suo arcebit? Offer Regine filiam luscam, ac deformem, ut inter filias honorarias admittatur, nonne illam rejiciet? offer viro honorato equum strigosum, macer confectum, & vide quid inde gratiæ referes.

Teipsum appello: Numquid tu similes famulos aut ancillas admittes? & non erubescas tu solos liberos tales offerre Regi Regum, ac Reginæ cæli Deiparæ? quod tu, inquit *D. Cæsarius Hemil.*, non vis pati in servo, hoc tu justum existimas ut facias Domino tuo?

Stupro quando audio Regem *Nabuchodonosorem Danielem cap. 1.*, dicentem ad præpositum Eunuchorum, ut introduceret pueros in quibus nulla esset macula, decoros forma, eruditos omni sapientia, cætos scientia, doctos disciplina, ut illi servirent in Ephæbos: Itane vero non vult Rex terrenus alios servos nisi prorsus immaculatos, decoros, ingeniosos, & erunt parentes qui Deo non alios velint obtrudere nisi defectuosos, ut sibi ac pro sæculo servent, in quibus nullus defectus nec macula est? optima sibi, deteriora Deo? quis hoc concipiat alicui posse incidere nisi qui, ut *Hieronymus* ait, non est plena fidei Christianus?

Sunt quidem nonnulli parentes qui non recusant, etiam optima dare Deo, sed postquam viderint mundum, ut loquantur, hoc est, perdiderint innocentiam, animam impuris affectibus, corpus libidine macularint: Hoc Pater *S. Augustini* filio suo suadebat, ut scilicet moras ne ceteret, & juventuti indulgeret: Sed quid hoc est aliud dicere, inquit *Augustinus*, quam, prius vulneretur, postea curabitur. Et tamen quam sæpe hoc & audivimus, & adhuc interdum videmus ut persuadeatur adolescentibus, remaneant in sæculo, cum sæcularibus conversentur, probentur, & sæculum probent, an sint  
fuerit

futuri constantes, interea amandantur in Galliam, vel alio, ut illic discant suo malo, quod in domo Paterna ignorabant. Hæc secum expendens magnus ille Theologus *Leonardus Lessius*, nullum, inquit, perniciosius consilium in hoc genere suggeri potest: Hoc enim non est aliud quam sub honesta specie probationis, spiritum velle extinguere, & eum qui in portum salutis, locumque securum parabat evadere, laqueis mundi implicare, & tentationum procellis exponere? qui enim sic suadent, perinde faciunt, ac si alicui maris inexperto, qui artem nauticam discere velit, suadent ut fragili cymba det se in altum, & probet utrum in illis fluctibus & tempestatibus, cymbam poterit ab interitu servare: Vel si mercaturam cogitanti suadeas ut prius fortunas suas aleæ jactu exponat, & periclitetur, quales in posterum eventus sint expectandi. Potestne stultius aut perniciosius quid excogitari?

Quid enim à recta ratione, & vera prudentia magis alienum, quam tanto periculo velle probare, quod multo certius, & absque periculo cognosci potest?

Si hortulanus aliquis accepto semine nobilissimo ex Oriente missio, quod summa cultura egeret, depangat illud loco saxoso & spinoso, solis ardori, & omnibus aëris injuriis exposito, ut probet an exrescere posset, stultum diceres; multo magis insanit qui adolescentibus aspirantibus ad statum ecclesiasticum, vel religionem, tale consilium suggerunt. Est enim inspiratio divina, & ad religionem vocatio divinum quoddam semen cælitus in terram transfusum, ut in omnem virtutem adolescat, & fructum vitæ æternæ producat.

Denique post omnia, quid sperandum nisi ut probando mundum sese commaculent, & si in proposito persistant cum istis maculis Deo offerantur, & sic directè peccetur contra Dei præceptum, qui ne quidem ullum animal cum macula voluit sibi offerri, quanto minus hominem qui se culpâ & instigatione parentum, commaculavit, cum se prius innocentem Deo poterat offerre.

Quod de adolescentibus dixi, hoc idem dicendum de senibus, qui cum omnes juventutis annos in deliciis egerint, tandem in ultima ætate incipiant cogitare de serviendo Deo, de quibus sic ait *Ambrosius in Psal. 118 Serm. 9*: Quid laudis potest habere si effatum corpus voluptatibus. & jam senectutis gelu frigidum, ad sera devotionis officia, deposito, jam seignior, vigore, convertat? ð rem indign-

Vita pars  
deterior  
Deo non  
offerenda.

dignam! exclamat *Petrus Cellensis Epist. 6*: Fæces, inquit, senectutis vestræ immolatis altissimo, qui adolescentiæ vestræ florem in rebus nugatoriis (& voluptatibus, & fæditatibus) expendistis.

Potestne aliquid absurdius cogitari quam mundo & carni dare purissimum pollinem tritici, & furfures Deo? mundo propinare generosissimum vinum & mustum, Deo vero vappam & fæces? mundo dare purissimum aurum, scoriam Deo? mundo margaritas & gemmas, Deo conchylia? mundo fructus primævos, & succulentos, Deo putridos & corruptos? Mundo flores recentes, Deo marcidos? mundo Veris rosas, Deo devexæ ætatis aridas spinas?

Quærit *Dionysius Carthusianus in cap. 1. Levit*: Cur Deus prohibebit pisces offerri in sacrificium, cum id permiserit in cæteris animalibus? respondet: Quia morantur, & latent in aquis, & inde extracti protinus moriuntur. Hinc patet Deum respicere sacrificia illorum, qui se primum extrahunt vitii ac mundo in senectute, brevi morituri.

Idem argumentum profequitur *D. Chrysostomus in Psal. 11*: Quis est, inquit, vestrum qui velit ancillam vel servum, vetulos, fractos laboribus, robore destitutos? nemo; tales enim inepti censentur ad serviendum: Quod si, inquit *Chrysostomus*, vos ejusmodi ne quidem velitis, putatis Deo gratos esse qui cum juventutem peccatis exhauserint, languidam & enervatam senectutem, ac vitæ facem virtuti reservant?

Quid inde potest boni sperari? nam ut *Seneca ait Epist. 108*: Quæ admodum ex amphora primum quod effluit, sincerissimum est, quod gravissimum, & turbidum, subsidit, sic in ætate nostra quod optimum, in primo est, & hoc effundunt plurimi in suas delicias, & facem sibi reservant. Meliora prætervolant, deteriora sequuntur: Quid ergo senes qui reliquam ætatem dedere mundo vel carni, aliud Deo offerre possunt quam fæces & deteriora.

Numquid *Iob dicit Cap. 20*, quod ossa nostra implentur vitii adolescentiæ nostræ? hinc senex, inquit *Hieronymus Epist. 3*, qui reliquo vitæ tempore malè vixit fasce peccatorum onustus progreditur, difficulter enim eraditur, inquit *Epist. 7*, quod rudes animi perhibeunt: Quis lanas nigro colore unctas, ad pristinum candorem revocet? Quisquis ergo virtutis fundamenta non jecerit in juventute, non facile virtutem ædificabit in senectute.

Ideo clamat *Ieremias Propheta Thren. cap. 3*: Bonum est viri cum

præterit jugum ab adolescentia sua, ne, si post decursæ juventutis annos, inquit *Gregorius*, in *Psal. 6 Pænit.* jugum tulerit, peccandi consuetudine exagitetur, eosque patiatur impugnationum tumultus, quibus quotidie victus existat: Qui enim sanctitatem primum orditur in fine vitæ, luctari forte poterit, sed valde difficulter evadere.

Considerate arborem summo Vere germinantem: Hæc si flores ventorum vi, vel pruina superveniente amiserit, frustra fructus expectantur in autumno: Licet enim imbres copiose fluant è caelo, licet stercora radici apponantur, licet tempora belle procedant, licet non desit solis influxus, nec cultoris industria, si Vere flores excussit, numquam proferet fructus: Ita agitur nobiscum: Quisquis enim primæ ætatis, innocentiaque flores projecit, in extrema ætate non proferet fructus, vel certe non dignos: Imbuatur optimis documentis, rigetur imbribus concionatorum, fecundetur justorum exemplis, frustra tamen fructus expectantur ex eo corde unde flos decidit.

Agit *Christus Matth. cap. 7.* De domo in quam venti fluviique irruerunt, & tamen non cecidit, quare? quia fundata erat supra petram: Agit deinde de domo quæ ceciderat, quid ita? quia fundata erat super arenam: Ergo victoria vel ruina pendet à fundamento.

Cogitate statuam *Babylonicam*, habebat hæc luteos pedes, ergo non diu stabit: Sed lutei illi pedes habebant ferrea crura, & ærea femora, deinde pectus ex argento, & huic pectori tam firmo ac solido impositum erat aureum caput: Quid timendum tam validæ statuæ? sed quid non timendum tam infirmis ac fragilibus pedibus? quid plura? unus exiguus lapis sponte devolutus è monte totam istam molem subvertit: Sic etiam si lutea fuerit adolescentia quæ totius vitæ fundamentum est, valde difficile erit reliquas ætates æreas vel argenteas facere, difficillimum omnium, facere auream senectutem.

Hoc satis significat *Isaias* Propheta quando *cap. 40* clamat: *Omnia caro fanum*: Quid erat opus hoc tam alte clamare? volebat ostendere nos omnes herbam esse, non arbores: Arbores inseri possunt, ita ut pomus ferre possit pyra vel cerasa, aliosve fructus pretiosiores: Sed quis unquam lactucam insevit rapis? quis lolium in frumenta convertit? Qualis herba oritur, ita moritur, ergo & homo

qui foenum vel herba est, sicut primos annos exegerit, ita & postremos traducet.

Ergone, inquiet aliquis, desperatum est de senibus qui se in ultima aetate convertunt? nequaquam, quia praestat semel quam numquam. Verum est, sed respondeo cum *Seneca de Brevitate vitae cap. 4.* Audies, inquit, plerosque dicentes: Anno quinquagesimo in otium secedam, sexagesimus annus ab officiis me dimittet: Sed quem tandem longioris vitae praedem accipis? quis ista sicuti disponis, ire patietur? non pudet te reliquias vitae tibi reservare? Quam seruum est vivere incipere cum desinendum est? quae tam stulta mortalitatis oblivio, in quinquagesimum aut sexagesimum annum differre sana consilia? & inde velle vitam inchoare quo pauci pervenerunt? Opus aliquod subtile ac pretiosum, quale est acu pingere, vel filum ducere per subtiliorem telam, non bene perficitur ad cereum lampademve nocturnam. Ita *seruum est*, inquit *Seneca*, ad cereum vitae nostrae jam fatiscentem, & brevi extinguendum, opus illud animae tuae pretiosissimum, vivis & Sanctis coloribus depingendae, caligantibus oculis velle elucubrare.

## DISCURSUS II.

*Præscribit Deus ceremonias quæ servari debebant in oblatione avium.*

**O**rdinatis ceremoniis quas Deus servari volebat in offerendis animalibus quadrupedibus, delabitur ad ceremonias quæ servari volebat in offerendis volucribus.

Hasce ita describit Scriptura: *Si autem, inquit, de avibus holocausti oblatio fuerit Domino, de turturibus aut pullis columbae, offeret eam Sacerdos ad altare, & retorto ad collum capite, ac rupto vulneris loco, decurrere faciet sanguinem super crepidinem altaris, vesiculam vero gutturis, & plumas projiciet prope altare ad orientalem plagam, in loco in quo cineres effundi solent, confringet ascillas ejus, & non secabit, neque ferro dividet eam, & adolebit super altare, lignis igne supposito.*

Nihil erat quod non mystice aliquid significaret. singulariter tamen unum hic inter cætera animadverto, quod plumæ columbarum deberent projici in locum ubi cineres recondebantur.

Hoc

Hoc certo certius aliquid significabat; quid ergo hic mysterii & audiamus quid dicant interpretes.

1. Columba est avis quæ præ cæteris propendet in venerem: Per hoc significantur luxuriosi. 2. Reflexere naturalistæ vix quidquam esse formosius propter colorum varietatem, quam plumas quas columba gerit in collo: Per hoc significantur vanitatibus dediti. 3. Per plumas volant aves in altum: Per hoc significantur superbi. 4. Per cineres significatur pulvis ille ex quo facti sumus, & in quem revertemur post mortem: Omnia simul, significant nihil esse efficacius ad frangendam luxuriam, ad tollendam vanitatem, ad deprimendam superbiam, quam projicere plumas in cineres, hoc est, interdum mortis memoriam refricare ut gratum nostri sacrificium offeramus Deo.

*Christus*, inquit *D. Gregorius*, *Hom. 32 in Euang.* cælestis medicus singulis quibuscumque vitiis obviantia adhibet medicamenta, nam sicut arte medicinæ calida frigidis, frigida calidis curantur, ita Dominus noster contraria opposuit medicamenta peccatis, ut lubricis continentiam, tenacibus largitatem, iracundis mansuetudinem, elatis præciperet humilitatem.

Ita est: Nullum est peccatum quod non habeat medicinam sibi particularem, qua possit sanari. Sed est quædam medicina generalis quam medici *Græco* vocabulo panaceam, *Hispani* *Sanatodos* vocant, hoc est, quæ possit omnes morbos curare: Si petam à *Sophocle* quanam sit illa medicina? respondet: Mors supremus omnium morborum medicus: Bonum inventum, quia omnes corporis morbi morte evanescent, sic nullum est vitium animæ quod non facile morte sanetur, si illam interdum serio recogitemus, & plumas nostras projiciamus in cineres nostros ex quibus constamus, & in quos debemus aliquando reverti.

Mortu memoria omnium vitiorum medicina.

Ac primum quidem luxuria. Quis enim rationis compos ita deliret ut iis succumbat illecebris, quarum & status nullus, & continens cursus, & incerta post cursum statio? magna est voluptatis & fluminis comparatio: Si enim *V. G.* incipias *Scaldim* navigare non procul à fonte, vehêris per amœnissima prata, inde venies ad fertilissimos agros, camposque omni arborum genere confitos, & aspectu procul montium ac silvarum deliciosos: Verum post omnia devenies tandem in pelagus, inveniesque te medias inter balanas, ventorumque ac fluctuum furias, & navis tua aliquando



doillidetur in scopulos, aut fluctibus haurietur. Eo evadit inter tot amœnitates & delicias priores inchoata navigatio. Ita cum luxuriosis agi certissimum est, nam post omnes delicias quibus frui sunt, omnia terminantur in mortem, omnia projiciuntur in cineres: Fallit libido mortales sui ostentatione vultus quem ita convestit ut initia appareant, finis vero tegatur: Tu finem detege, considera cineres, recogita mortem, & invenies præstantissimum pharmacum quo morbus ille sordidus animæ tuæ curetur: Suminus, desperatus es, nec enim video quid aut quis te possit curare.

Conjice oculos in eos qui hac medicina curati sunt, dum se in mortuorum cineres conjecere. Puella *Alexandrina*, teste *Cassiano de spiritu Fornic. cap. 3* ut libidinis flammam extingueret duodecim annos in sepulchro delituit, & morte sibi quotidie versante ob oculos, sic pura permanfit ut ne cogitatione quidem animam macularit.

Presbyter quidam *Nivellanus*, nomine *Guido*, ut refert *Cantipratanus Lib. 2 cap. 3* sepulchrum adiit, & inter vermes ac putidas carnes se volutans, victor evasit.

Vivebat in eremo, inquit *auctor vite PP.* vir quidam religiosissimus; cui sæpe recurfabat femina illi olim non ignota, forma præstantis. Diu laboraverat ut hæc à se cogitationes amoliretur, animose certaverat, & variis modis superare contenderat, nec tamen aliud sibi videbatur quam quod victus esset. Contigit tandem ut intelligeret feminam illam mortuam esse: Quid agit? id tandem consilii reperit, tugurium suum Deo committit, & ad defunctæ feminæ sepulchrum properat, & noctu saxum à tumulo tollit, terram egerit, & ad cadaver penetrat, tum seipsum ita alloquitur: En, inquit, thesaurum tuum, en tuas delicias, quare non auferrem tibi carissimam? dixit, & fecit, partemque mortualis velaminis, sanie ac tabo fluentis secum abstulit, & regressus in casam suam, illam sub oculos posuit assidue aspiciendam: Ita generosus hic athleta tamdiu foetore se cruciavit, dum sordidas cogitationes animo penitus extirparet.

Hisce adijunge sanctissimum virum *Iob*, qui de seipso testatur *cap. 31. Pepigi*, inquit, *scelus cum oculis meis, ut ne cogitarem de virgine.* Mira res! tantus princeps inter omnes delicias divitiarum mundi enutritus, tantum abest ut cum femina peccaret, ut no

unica quidem cogitatio de femina illi incideret: Quid fuit quod luxuriam à tanti principis animo tam procul abigeret? frequens cogitatio mortis, ac sepulchri: Audio enim illum non semel istorum mentionem facientem in scriptis suis, & fatentem se illorum memoriam sæpius renovasse: *Cap. 7. Ecce nunc in pulvere dormiam.* *Cap. 17 ait: Solum mihi superest sepulchrum:* Ibidem dicit: *Induta est caro mea putredine, & sordibus pulveris.* *Cap. 21 dicit: Homo ad sepulchra duceatur, & in congerie mortuorum jacebit.* *Cap. 14 dicit: Homo cum mortuus fuerit, ubi quæso est? homo cum dormierit non resurget à somno suo.* Rursum *Cap. 21 ait: Iste moritur robustus & sanus, alius vero moritur in amaritudine anime sue, & tamen simul in pulvere dormient, & vermes operient eos.* Non poterat non castissime vivere, qui toties mortis, & sepulchri, & pulveris meminerat: Et hic est medicus qui ultimam manum apponit peccato luxuriæ, juxta illud *Sophoclis: Mors ultimus morborum medicus, si ille te sanare non potest, nemo sanabit.*

Quid dicam de remedio vanitatum mundi? plumæ columbarum quæ offerebantur projici debebant in cineres; quid sunt vanitates mundi nisi plumæ, leves, & omnia levitas? appone plumas illas cineribus in quos convertêris, & facile omnia contemnes, juxta illud *Hieronymi Epist. 103. Facile contemnit omnia qui se cogitat morturum.*

Vade, inquit *Augustinus, Serm. 66 ad fratres, vade puella & juvenis qui nihil aliud somniatis quam vanitates, & formas, & vestium, & sensualitatum, & recreatiuncularum, ite ad ossa arida quæ jacent in cœmeteriis vel sepulchris, illa tibi prædicabunt, & dicent: O miser! quantum pro cupiditate hujus sæculi discurris? attende ad me, & considera me: Hoc quod tu es, ego fui, & quod ego sum modo, tu eris. Omnia vanitas, quia ut vides, omnia morte evanescent.*

Quam potens hæc sit medicina curandis vanitatibus, aut certe moderandis, exempla docebunt.

Dixerat ad populum concionator quidam *Parisis* Missus, in quadam civitate per quadragesimam, quâ finitâ, Dominam quandam, non minus forma quam sanguine nobilem nec minus in omnem vanitatem effusam adivit, ut illi valediceret: Rogavit illa hominem, ut proxima qua rediret vice, speculum *Parisiense* secum conferret, ut promissit alter, secumque aliquot elapsis mensibus speculum tulit, contulitque se ad domum illius nobilis Dominæ: Ingressus domum,

G g

jubet

jubet convocari omnes domesticos, dicens se contulisse speculum *Parisiense* exquisitissimi artificis. Domina statim jubet adesse filias, famulos, ancillas, omnesque domesticos: Tum concionator, amoto quo speculum texerat velo, in omnium conspectum producit horrificam calvariam quam in cœmeterio ex multis selegerat, & sic illos affatus est: Tu, inquit, ô Domina, speculum effragitasti, et speculum non ad concinnandos crines, sed ad reformandos mores: Fuit illa olim quod tu es modo, ubi jam vides geminas cavernas evacuatas à vermibus, steterunt duo pulcherrimi oculi: Crinium illud jam depile exornavit crispata cæsaries: Ubi jam genæ illæ quæ instar rosarum, ubi labia quæ instar coralli rubebant? ubi dentes illi qui sua albedine superabant nives? Quod tu es modo, fuit illa, eris & tu brevi quod illa est modo. Obstupere ad hæc verba, & conticuere omnes: Tantoque præsertim in Domina aspectus ille cievit motus, ut præsentia sperneret, & inciperet cogitare futura. Unde jam non tantum sui dissimilis, sed jam plane alia, mundo ac vanitati mortua, talem ab illa die instituit vitam, qualem se duxisse optaret quando erat moritura.

Audi aliud. Refert *P. Petrus Cotton* in concione de morte, domine illam quandam vanitati impense deditam, ac meliori forma quam moribus, omnem quam Confessarius imponebat penitentiam respicere solitam, V. G. ut interdum modo uno die, modo altero abstinere à conversatione quotidiana, vel semel à comædia, vel à crispandis crinibus, aliquid interdum demeret de consueto ornatu, pauciores interdum horas se comendæ impenderet & similia, non poterat eo adduci: Tandem induci se passa est, ut quoties manus ablueret, secum ipsa cogitaret: Hæc caro comedetur à tineis, hæc niveæ manus, hi digiti esca vermium erunt: Fecit, & brevi mutata in aliam, omnibus vanitatibus mundi valedixit. Ecce, ultimus illius medicus erat memoria mortis.

Accipe tertium quod narrat *Vincentius Tom. 3 Spec. Moral. Fol. 699*. Adolescens quidam filius *D. de Mingorri*, adscriptus erat à patre militiæ ubi hoc unum spectabat ut mundo placeret per honores, & vanum nomen, quando casu ad monasterium *Clarevalle*se, *divi Bernardi* sanctitate celebre, venit, & illic omnia attente contemplantus, mortisque memor, omnes mundi vanitates contempsit, & ad *Christi* castra in religione ista confugit. Quod ubi parens intellexit, exardescens in iras, concito gradu advolat ad monasterium,

tium, eique minatur excidium, ni confestim dimittant filium suum. Advocatur filius, qui sic patrem affatur; Una, inquit, mi Pater, in regione vestra mihi displicet consuetudo, quod illic juvenes æque moriantur ac senes: Rogo ut illam consuetudinem abroges, sin minus, ego hic persistam vivere, ubi non timeam mori juvenis, senex exoptem: Stetit ad hæc verba attonitus pater, itaque permotus est, ut & ipse eandem quam filius religionem amplecteretur, ut ibi viveret, ubi non metueret mori. Tantam pauca verba de morte vim habuere, etiam in homine militari, ac mundi mancipio.

Ergo etiam homo ethnicus nempe *Martialis Poëta Lib. 2 Epigram.* 49 optime illos mundi asseclas monet, dicens: *Pete vina, rosas cape, cingere nardo: Ipse jubet mortis te meminisse Deus ut omnia ista contemnas, & cureris: Mors enim ultimus morborum omnium medicus.*

Denique tu superbe, projice plumas illas tuas quibus volas in altum ut cæteris emineas, projice, inquam illas in cineres tuos, & dic cum *Ecclesiastico cap. 10.* *Quid superbis terra & cinis? omnis potentatus brevis vita, rex hodie est, & cras morietur: Et cum morietur homo hereditabit serpentes & vermes.*

Hic tibi dicitur quod *Job* ait Deum dixisse ad mare cum illud crearet, nempe: *Hic confringes tumentes fluctus tuos.* Ubi? ad montes saxosos qui verticem attollunt in cælum? non: Ad durissimas rupes aut scopulos qui sese efferunt usque ad nubes? nequaquam: Ubi ergo? ad arenam & pulverem: Hic confringes tumorem tuum.

Cor hominis est mare tumens, juxta illud *Isaiæ cap. 57.* *Quasi mare fervens, cujus fluctus redundant.* Quos fluctus non tollit superbia hominis, quot ventis inflatur? quid illos poterit frangere, quid frangere? arena & pulvis: Audi *Damianum Opusculo 15 cap. 23.* Si, inquit, superbiæ spiritus inflat, sepulchrum ad mentem revoca, necessario illic rigida cervicis tumorem ponimus, ubi cinerem nos procul dubio, pulveremque pensamus.

*Memento ergo homo quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* Hic videbis quod *Seneca*, ait *Epist. 91.* Impares nascimur, pares morimur: Dum vivimus conditione distinguimur, dum mortui in sepulchro jacemus, nullum discrimen: Quid ergo superbis terra & cinis? si dives es, non minus pulvis es quam mendicus, si nobilis es,

& tu pulvis eris sicut & rusticus; si in magna dignitate constitutus es, quid habes amplius quam pauper mechanicus? uterque pulvis eris post mortem; si omnes te adorant ac reverentur, omnia ista tandem in pulverem recident, ergo nihil habes amplius, quam qui in mundo contemnitur: Quid ergo superbis? post mortem, simul in unum dives & pauper, inquit David Psal. 48, inspice sepulchra, obambula cœmeteria & templa, & vide si magnum dignoscere possis à parvo, divitem à paupere, regem à mendico, doctum ab idiota, omnia isthic jacent mixta inter se: Quid ergo tibi persuades quod non sis sicut cæteri hominum, sed cæteris major & excelsior: Non enim, inquit Seneca, quis major est quia in alta basi consistit, nec nanus ideo major quia in alto monte stat: Mors nos alia ulna metitur: Illa nos exuit dignitatibus, honoribus, divitiis, atque ita exutos omnes calceat eadem mustricula, omnes tondet, ut loquimur, super eundem pectinem ad calvariam usque, atque adeo, ut inquit Seneca, de Consolat. cap. 20, mors, ubi res fortuna male divisit, exæquat omnia: Fortuna enim multis male divisit, divitias avaris, formam luxuriosis, honores superbis, plurima bona pessimis, dignitates ineptis, sed mors, finita vita, omnes facit æquales: Nullæ in sepulchris apparent coronæ, nulla sceptræ, nullæ purpuræ, nullæ pretiosæ vestes, nullæ divitiæ, hoc unum omnibus omnino mortalibus cujuscumque status aut conditionis fuerint commune est, vestis mortuaria, ligneus loculus, & locus quinque aut octo pedum, & tandem nihil omnino ex omnibus superest nisi pulvis & cinis. Quis superbiet, quis dicet, non sum sicut cæteri hominum, si hæc recogitet?

Vel ipsi gentiles hac consideratione altos spiritus demisere, & tumentes superbiæ fluctus hic confregere: Philippus enim Macedo, cum aliquando in Palæstra inter luctandum prolapsus surrexisset, & in pulvere corporis sui formam impressam vidisset: Papæ: inquit, quam parvam terræ partem sortiti, orbem appetimus. Severus etiam, Romanorum Imperator, totus ambitiosus, jam moriturus urnam ad se deferri iussit, in qua cineres erant recondendi, & diu contrectans & contemplatus, dixit: Tu virum capies quem totus orbis non capit.

Si gentiles ad hosce pulveres fregere tumentes fluctus suos, quid Christiani? lego apud Lipsium in Monitis cap. 14 de Maximiliano Imperatore quod triennio ante mortem, capulum fenebrem ex

quedo

querno ligneo arcæ Viatoriæ inclusum circumferri secum iusserit, ut assidue monumentum illud præ oculis haberet, seseque humiliaret, dicens. Cogita mori: Quid te dilatas & extendis? quem tot Provinciæ & Regna non capiunt, hic locus capiet.

## DISCURSUS III.

## De oblationibus simila.

PRIMO, de oblatione simila sic loquitur Deus Moysi: *Qui obtulerit similam, fundet super eam oleum, & ponet thus, ponentque filii Aaron Sacerdotes, pugillum simile & olei ac totum thus super altare & offerent. Si vero panes obtulerit, erunt absque fermento, conspersi oleo, nec quidquam fermenti ac mellis adolebitur in Sacrificio Domini: Quidquid obtuleris Sacrificii, sale condies, in omni oblatione tua offeres sal. Si autem obtuleris munus primarum frugum tuarum Domino, de spicis adhuc virentibus, torrebis igni, & confringes in modum farri, & sic offeres, fundens supra oleum, & thus imponens, & offeret Sacerdos.*

Quis credat Deum tam exoticas & minutas in hisce Sacrificiis ceremonias instituisse, nisi aliud ad instructionem nostram voluisset significare? sic est, inquit Paulus Rom. cap. 15: *Quaecumque enim scripta sunt, inquit, ad nostram doctrinam scripta sunt.*

Ego igitur sic existimo i. per oblationem simila, Deum voluisse significare, oblationem cordis sive animæ nostræ: Sicut enim in farina nihil præstantius simila, sic in homine nihil præstantius anima. Sed volebat Deus similam sibi offerri vel coctam in clibano, vel tostam in craticula, vel frixam in sartagine, & sale conditam: Omnia hæc nihil significant aliud quam mortificationes animæ nostræ de quo sic ait David: *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies.*

Hanc præ cæteris oblationem ab homine exigit Deus tanquam sibi gratissimam, sic iussit proclamari per Salomonem Prov. cap. 23, ubi ait: *Præbe, fili mi, cor tuum mihi*, in quæ verba sic discurret Hugo de *S. Victor lib. 3 de Anima*: In omni creatura, inquit, quæ sub sole est, nihil humano corde sublimius, nihil nobilius, nihilque Deo similis, quapropter nihil aliud quærit à te nisi cor tuum: Non victimas pecudum, non vestes tuas pretiosas, non villas & prædia, non ianuares aut monilia, non divitias tuas postulat, quia ut ait David,

Mortifica-  
tum cor  
petit Deus.

Ggg 3 bono-

bonorum nostrorum non eget, sed hoc unum. *Præbe fili mi, cor tuum mihi.* O mirabilis Deus! Tua est plenitudo terræ, & universa quæ cæli ambitu continentur, quid petis, à quo expectat omne animal benedictionem? Pete non ab homine, sed à Patre tuo, ille dabit tibi Regnum, dicit enim apud *Davidem Psalmo 2: Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Quid ergo adhuc petis à nobis? Hoc unum peto ut præbeas cor tuum mihi in Sacrificium. Hoc petit ab omnibus quod quis potest dare, & omnibus commune est: Si enim ab omnibus peteret elemosynam, pauperes non possent dare; si jejunium, infirmi non possent dare, si longas orationes, ægri non possent dare, hoc petit quod nemo non possit dare, cor nostrum, animam nostram, hanc sibi offerri vult in Sacrificium, sed sicuti olim simila, offerebatur, quæ prius vel coquebatur in clibano, vel torrebatur in craticula, vel fixa erat in sartagine, talem animam & cor vult sibi offerri juxta illud *Davidis Psal. 50: Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum non despiciet.* Non petit cor sensuale, non commodis deditum, non voluptuosum, non iracundum, non invidum, non superbum, non vanum, sed contritum & mortificatum, quod fortiter passionibus illis resistit, & quantum potest, superare conatur. Nihil illo sacrificio gratius *Christo.*

Patet hoc præsertim in Sponfa, quæ quoties in Canticis mentionem facit Myrrhæ, toties significat mortificationes suas, quia vix ulla herba acerbior Myrrha. *Cap. 4.* dicit *vadam ad montem Myrrhæ,* hoc est, mortificabo me in summo gradu. *Cap. 1* dicit: *Fasciculus Myrrhæ dilectus meus mihi,* hoc est, omnes sponsi mei mortificationes in unum colligo, ut illas simul cum illo patiar. *Cap. 5* ait: *Messui Myrrham meam,* hoc est, tantas mortificationes subivi ut illas possim demetere, & colligere in multos manipulos sicut agricolæ in melle metunt & colligunt triticum. Quam gratum fuerit hoc Sacrificium sponso suo *Christo,* hinc patet quod ultro ad illam accurreret non media die, sed media nocte, non sereno cælo, sed inter nimbos & pluvias, pulsaverit ad ostium, vocaverit illam verbis blandissimis, ut aperiret seque intromitteret, diu steterit sub frigido cælo, inter tenebras, & hæc omnia ut tam sibi gratis sponsæ Sacrificiis frueretur.

Non ignorabat hoc etiam *David:* Cum enim quadam vice *Psal. 115* secum ipse disquireret, dicens: *Quid retribuam Domino pro omni-*

has qua retribuit mihi? Tu, ô magne Deus! è campo ad Regnum, è casa ad solium, ex caula in aulam me vocasti, pedum in sceptrum, petasum in diadema, fagum in purpuram commutasti? *Quid retribuam?* tu mihi vires dedisti in Leones & ursos, & tua ope immanem illum gigantem prostravi: *Quid retribuam?* tu me toties ex hostium insidiis, & crudeli Saulis manu eripuisti. *Quid retribuam?* tandem post omnia exclamat *Psal. 72: Deus cordis mei offero tibi cor meum, sed mortificatum, calicem enim salutaris accipiam, potabo me illo calice amaritudinis ac mortificationis quem Salvator mundi bibet in Passione sua, hoc præstantissimum David Sacrificium existimavit quod offerret Deo, pro omnibus quæ ab illo acceperat.*

Adeoque sicuti Deus volebat sibi à *Judeis* offerri, simillam, quod est præstantissimum in farina, sed costam, vel tostam, vel frixam igne, sic dum per *Salomonem*, petit cor nostrum, vult sibi offerri quod in nobis præstantissimum est, sed mortificatum, confractum, & contritum, quod potissimum consistit in domandis Passionibus nostris.

Ab hoc Sacrificio Deo offerendo nullus non modo status, sed nec ullus homo excipitur. Quia sicuti nullus homo est qui liber sit à Passionibus, sic nullus est qui illas non debeat mortificare. Propterea quando *Christus* dixit *math. cap. 10: Qui non accipit Crucem suam, & sequitur me, non est me dignus*, non dixit hoc ad Apostolos, aut septuaginta discipulos tantum, sed ad cunctos fideles, inquit *Leo Serm. 9, de Quadrag.* patet ex *Marco* qui *cap. 8*; dicit *Christum* hoc etiam dixisse ad turbas, hoc est ad homines cujuscumque conditionis sicut vel status.

Solent quidem aliqui sæculares sic loqui quasi mortificationes ad solos religiosos spectent; turpissimè errant: Ego enim existimo quod magis spectent ad conjugatos quam ad alios, quia illi habent pane quotidie majores ac plures occasiones in quibus Passiones contra ipsos insurgunt, & vincunt nisi mortificentur, & frangantur: Quot illic occasiones iracundiæ jam ex parte uxoris, jam ex parte mariti, jam ex parte liberorum, jam ex parte aliorum domesticorum? quot occasiones tædij quando aliqua non succedunt ex voto? quot occasiones odii in inimicos qui vel lites intentant, vel aliis modis persequuntur? quot occasiones invidiæ dum fortuna aliis nobis similibus fovet, & nobis contraria est? quot occasiones avaritiæ dum aliqui etiam ditissimi tanta cupiditate pecuniis



niis inhiant ut vix cogitent de pauperibus, vel de alio bono opere faciendo, & sic de ceteris.

Interea Deus non minus cor petit à sæcularibus quam à religioſis, aliisque ſpiritualem vitam agentibus, ergo illi non minus debent Paſſiones ſuas mortificare quam hi, nec enim Deus vult cor habere immortificatum, ſed contritum, humiliatum, fractum inſtar illius ſimilæ quæ offerretur in veteri Teſtamento.

Quod ſi aliquis dubitet an tale cor vel anima Deo oblata, vere ſit Sacrificium, audiat quid dicat D. Apoſtolus *Paulus Rom. cap. 12: Obſecro, inquit, vos fratres per miſericordiam Dei, ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem, Sanctam, & deo placentem.* Per hanc hoſtiam nihil aliud intelligunt Patres quam mortificationem qua cor noſtrum, & anima noſtra, & corpus noſtrum redduntur pura ac Sancta, & digna quæ Deo offerantur. Si enim, inquit *Chryſoſtomus Hom. 20 ad Rom.* Cor noſtrum & membra noſtra hoſtia ſunt quæ ſibi Deus offerri vult in Sacrificium: Ergo mortificandæ ſunt, neque enim offerri illi poteſt oculus niſi qui mortificatus eſt in petulantia, neque manus niſi quæ ſe abſtinet ab iniuſtitia, neque lingua niſi quæ ſe abſtinet à turpibus colloquiis, neque caro, niſi quæ mortificavit concupiſcentias ſuas, & illicitas voluptates, neque cor niſi quod fregit impetus iracundiæ, & flammam impuri amoris: Nihil ergo mali reſpiciat, oculus, & factus eſt hoſtia, nihil turpe loquatur lingua, & facta eſt Sacrificium, nihil iniqui committat manus, & facta eſt holocauſtum. Ita *Chryſoſtomus*: Igitur mortificatio Paſſionum vere eſt Sacrificium Deo.

Hanc veritatem adhuc magis confirmat illud quod lego *lib. 1 Reg. cap. 23*: Optabat *David* ſitibundus bibere ex aqua ciſternæ quæ erat juxta portam *Bethlehem*, mox aliqui generoſi milites cum periculo vitæ perrumpentes caſtra hoſtium qui *Bethlehem* obſidebant, hauſtam ex illa ciſterna aquam, attulerunt ad *David*, at ille accepto calice, *noluit bibere*, ſed ut ſe mortificaret, effudit in terram, & mox addit Scriptura: *Libavit eam Domino*: Audin? iſtam mortificationem *Davidis*, ipſamet Scriptura Sacrificium vocat. Quod ſi tam exigua mortificatio à Scriptura laudatur ut Sacrificium, quantum & quam dignum offerret Deo Sacrificium qui omnes ſenſus ſuos ac Paſſiones mortificat?

Hoc tam gratum Deo eſt Sacrificium, ut *Ludovicus Bloſius Abbas* dicat *Inſtit. Spirit. cap. 2*: Quando quis propter Deum, ſenſuali-

tati voluntatique propriæ, etiam in rebus minimis reluctatur, ac se mortificat, rem Deo magis gratam facit, quam si multos mortuos ad vitam revocaret.

Hinc fit, ut, sicut olim simila quæ Deo offerebatur tosta vel frixa, oleo debebat conspergi atque perfundi, numquam etiam desit oleum suavitatis ac consolationis, animæ quæ per mortificationem Deo sacrificatur.

Quid in hanc rem clarius dici potest, quam quod ait *David* se esse expertum *Psal. 93*: Domine, inquit, secundum multitudinem dolorum meorum, consolationes tue letificaverunt animam meam. Erat *David* vir mortificationum; *Psal. 34* dicit: Ego inducbar cilicio, rursus: Humiliabam in jejuniis animam meam. *Psal. 76* inquit: Nocte surgebam, & meditabar. *Psal. 118* ait se frænasse oculos suos ne videret vanitatem.

*Psal. 37* dicit quod inimici sui multa mala adversum se dicerent, sed mortificabat linguam suam ne obloqueretur, factus sum, inquit, sicut mutus non aperiens os suum, mortificabat aures suas quasi nihil audiret, tanquam surdus non audiebam. *Psal. 103*, dicit se panem & cibos suos cinere aspersisse ut mortificaret appetitum suum: Quoties mortificavit Passionem iracundiæ ac vindictæ cum *Saul* illum persequeretur, cum *Absalon* filius ejus illum eijceret aula, cum *Semai* illi malediceret: Denique tota vita *Davidis* erat quasi continua mortificatio, sed numquam, inquit, in ulla mortificatione mihi defuit oleum divinæ suavitatis: Nam juxta numerum mortificationum mearum, inquit, erat numerus consolationum quibus Deus lætificabat animam meam.

Habet quidem omnis mortificatio amaritudinem suam in se, quia molesta est carni & repugnans appetitibus nostris: Ideo, inquit *Bernardus Serm. 1 de Dedicat*: Multi illas abominantur & fugiunt, quia Crucem quidem vident exterius, sed unctiois oleum quæ interius latet, non vident. Agit hic *Bernardus* de illis Crucibus quas in aliquibus Templis ab Episcopis dedicatis pictas videmus, Cruces quidem sunt in forma exteriori, sed oleum quo Episcopus illos inunxit, non apparet. Tunc suos religiosos sic *Bernardus* alloquitur: Crux, inquit, nostra inuncta est, suavis & delectabilis est mortificatio nostra, & ut ita dicam, amaritudo nostra dulcissima.

Cum ergo Deus hoc unum petat à nobis ut demus illi in Sacrificium, simillam naturæ nostræ, hoc est, animam nostram, dicens:

H h h

Præbe,

*Præbe, fili mi, cor tuum mihi sed contritum, mortificatum, humillimum, quis hoc recuset? si enim arduum est sensus suos frangere, si durum Passiones frænare, numquam deerit Deus quin omnia illa oleo suavitatis suæ ac consolationum cælestium perfundat.*

## DISCURSUS IV.

*Voluit Deus in omni Sacrificio offerri Salem.*

**P**Ræter ea quæ hætenus enarravimus de triplici Sacrificiorum genere, eorumque ceremoniis, voluit Deus ut in omni Sacrificio offerretur sal; sic enim *Levit. cap. 2* imperat *Moyse*. *In omni oblatione tua offeres sal.* Rursum: *Quidquid obtuleris Sacrificii, sale condies.*

Si res ipsa tantum inspiciatur, mirabile videtur quod Deus tam minutum quid imperarit, quasi nullum Sacrificium aut munus sine sale posset subsistere: Mirabile tamen non est, si velimus attendere quid Deus per hoc voluerit significare.

Quid hoc est? respondent *Theodoretus, Procopius, Radulphus, Beda, Rupertus, Eucherius, Cyrillus, Bernardus*, alique, Deum per salem voluisse significare prudentiam & discretionem.

Hinc etiam Ethnici, ut *Plinius* testatur *lib. 31 cap. 7* nullum Sacrificium absque sale offerri volebant, tantoque in honore salem habebant ut irreligiosum putarent si quid laberetur in terram, idque cum respectu ad prudentiam quam præ ceteris virtutibus æstimabant.

Hoc Poëtæ illorum hac fabula declaravere: *Peleum*, inquit, virum fortem, dii variis muneribus honoravere in nuptiis: *Vulcanus* enses illi dedit, *Venus* scyphum aureum, *Neptunus* equos, *Jovis* pallium, *Minerva* tibias, denique post omnia, tanquam munerum omnium præstantissimum, *Nereus* illi Salem dedit.

Confirmant hæc & *Christus* ipse, & *Paulus* Apostolus: *Christus Marci cap. 9* dicit Apostolis suis: *Habete in vobis sal*, ubi nihil aliud ab illis hic exigit quam prudentiam & discretionem in omnibus: *Paulus* vero *Coloss. cap. 4* dicit: *Sermo vester semper in gratia* *sal* sit conditus, & ut ostenderet se agere de prudentia, rationem addit cur hoc velit, *ut sciatis*, inquit, *quomodo vos oporteat unicuique respondere* Quasi diceret prudentiam esse regulam omnium actionum nostrarum. Denique communi *Latino* proverbio de imprudente homine, qui caret iudicio, dicitur: *Non habet micam vel granum salis.*

De virtute prudentiæ magna volumina confici possent, nos præcipua & breviter seligamus ea præsertim quæ spectant ad mores & praxim. virtus prima

Sed ante omnia videndum quid sit prudentia & quotuplex. *S. Ambrosius lib. 1. Offic. cap. 25* dicit esse investigationem veritatis, sed hoc etiam vel magis convenit scientiæ: *S. Thomas 2.2. q. 47* dicit esse qua futura ex præteritis & præsentibus judicamus, sed hoc potius spectat ad providentiam. *S. Augustinus lib. 83 qq. quest. 32*, rem propius attigit dicens: Prudentia est cognitio rerum appetendarum & fugiendarum. Consentit *Aristoteles lib. 6 Eth. cap. 5*. Prudentia, inquit, est habitus cum ratione activus circa ea quæ bona & mala homini sunt.

Continet prudentia in se duas potissimum alias virtutes, nempe discretionem & providentiam: Discretio est quasi statera qua actiones nostras expendimus ne quid vel præcipitanter, vel quid nimis agamus. V. G. in jejuniis, aliisque corporis asperitatibus assumendis. Quid sanctius voto, quid augustius Sacrificio, & tamen *Leptie* & vovendo impius, & impius in Sacrificando fuit, cum enim pergeret ad bellum, vovit si Victoriâ obtineret, se oblaturum Deo quod primum sibi de domo sua occurreret: Et ecce primum quod ei occurrit post relatam Victoriâ erat filia ejus unigenita quam in Sacrificium obtulit. Votum sine discretionem, & ideo stultum.

Providentia, ut ait *Cicero*, nomen habet à providendo futura, ut si noxia sint, ea fugiat, si utilia, amplectatur, qui enim in quocumque negotio futura non prævidet, & secundum ea negotia non disponit, præceps est, & temerarius.

Prudentia vero omnibus omnino statibus necessaria est: Defectu enim hujus virtutis florentissimæ quondam respublicæ, ac familiæ perire, sive quod sine discretionem regerent subditos, sive absque providentia rem familiarem. Sic ait *D. Chrysostomus in cap 3 Isaiæ*: Prudentia est robur civitatum: & illarum protectio non tam consistit in muris, quam in prudentia civium, & eorum qui regunt. Hac disponuntur ordines in bello: Ejus ductu floret Religio, & Sacerdotes in sanctitate serviunt Deo, & retinent inter homines dignitatem.

Non est hic locus ostendendi quam necessaria sit prudentia Regibus, Magistratibus, ducibus in bello: Incipiamus ergo à prudentia œconomica quæ in omnibus familiis est necessaria, sive a dea

quæ spectant totam dispositionem atque ordinem domus, sive quæ educationem liberorum.

Primæ partis exemplum nobis erit Rex *Salomon*, qui non minus sapiens Pater familias erat, quam Rex magnus: In ejus domo nihil erat extra ordinem: Sic enim disposuerat, ut ait Scriptura *lib. 3. Reg. cap. 10.* cibos mensæ, habitacula servorum, & ordines ministrantium, vestesque eorum, & officinas omnium operariorum, ut cum Regina *Saba* singula conspexisset, non haberet ultra spiritum, & exclamaret: *Major est sapientia tua, quam rumor quem audivi.*

Prudentia  
parentibus  
necessaria.

Quoad liberos, habemus exemplum in *Iobo*, qui in familiæ gubernatione prope erat incomparabilis. Habebat is cum adhuc felix esset, tres filios, & duas filias, quorum adolescentiam cum honestissimis moribus & continuis sapientiæ monitis, quæ ab illis retinerent in omni vita, & in praxim revocari cupiebat, excoluisset, hoc prudenter excogitavit, ut cuique proli familiam instrueret, propriasque domos haberent. Miratur hoc consilium *Origenes*, aitque hoc prudentissime factum à *Iobo*, ut unusquisque alterius imitatione præclaram familiæ suæ gubernationem disceret. Hoc etiam instituerat ut certis temporibus, & per vices, se mutuo invitarent ad mensam, non ad luxum, nec ad gulam, nec ad dissolutionem, sed ad amorem mutuum fovendum, & ad animorum conjunctionem, & simul uniuscujusque familiæ considerationem, in qua sola virtus & pietas spectabatur, ad honesta omnia incenderentur. Erant enim, inquit *Origenes* ista convivia, aliud nihil nisi frugalitatis temperantiæque disciplina, & schola fraterni amoris. Propterea ad ista honesta convivia non tantum filii, sed etiam filiarum Virgines advocabantur, quam honestatem non ferens diabolus domum evertit, ubi simul accumbabant, & omnes una ruina oppressit.

Singulare etiam est quod hic annotavit *Lucianus Martyr* apud *Origenem*, de prudenti familiæ regimine *Iobi*. Ait enim illum & liberos & uxorem docuisse ut Deum timerent, & justi essent inter se mutuo, adeo ut istâ familiâ nihil esset religiosius, nihil divinius. Propterea illa verba uxoris *Iob*, *benedic Deo & morere*, quæ aliqui sic interpretantur, quasi illa vellet ut *Iob* malediceret Deum, sic intelligi volebat ut illa diceret: Vides, & care marite, te mecum omnibus bonis spoliatum, greges abactos, palatia cum suppellectili incensa, liberos interfectos, nosque affligi inconsolabili calamitate, nec quidquam esse cur diutius in vita esse velimus; roga ergo Deum

Deum (sic enim *Vatablus* vertit) ut per mortem nos hac calamitate eripiat: Neque enim *Lucianus* probabile existimabat nobilissimam illam matronam, quæ tot annos usa fuerat marito præceptore, & ad omnem ab eo virtutem erat instructa, repente tam sui omniumque monitorum fuisse oblitam, in tantam impietatem incidisse ut vellet maritum maledicere Deo.

Scio quod Scriptura dicat, *Iobum* illi respondisse: *Quasi una de stultis mulieribus locuta es*: At non ideo quod vellet illum maledicere Deo, sed quod vellet illum & se istis calamitatibus liberari, ubi debuisset optare diutius vivere, ut tanto majora merita patiando colligeret.

Ex dictis videmus prudentiam *Iobi* hoc effecisse ut familia ejus esset Sancta, & quasi officina omnium bonorum operum atque virtutum.

Quid dicam de domo Senioris *Tobie*: Si Scripturam legas, nihil illa sanctius, nihil pudicius, nihil magis alienum à fordibus avaritiæ, & improbitate. Ita filium instituerat ut comitem posset habere angelum, & diabolum impudiciæ, suâ castimoniâ superaret. Nullum habebat domi famulum quem non mallet Dei servum esse quam suum. Deus illi aderat, & vires dabat, invictamque patientiam, & animi consolationem, ut cæcus videret bona cælestia, & pauper, omnibus gratiarum donis abundaret.

Denique ut paucis absolvam, si qua familia non recte sit constituta, si conjuges discordes, si liberi dissoluti, inspice rem, & videbis quod pœne unica & maxima causa sit, defectus prudentiæ ac discretionis, vel in marito, vel in uxore inter se mutuo, vel alterutrius respectu liberorum.

In marito, si erumpat statim in verba injuriosa, & excandescat in iras, quando uxori verbum aliquod excidit quod videtur asperius: Magna imprudentia! prudens enim vir aut dissimulabit propter imbecillitatem naturæ foemineæ, aut certè aliquo suavi responso rem moderabitur, ne uxorem magis irretet.

Hoc omnibus maritis inculcare conatur *D. Chrysostomus Hom. 26 in 1 ad Corinth.* Considera; inquit, mulierem debile vas esse, tu autem propterea caput familiæ es, ut uxoris feras imbecillitatem: Si ergo uxor quidquam, præsertim parvi momenti peccaverit, quod prudentis viri coleram non meretur, consolare illam, & noli mærorem augere.

Sic fecerunt Sancti ac prudentes viri: *Abraham* inprimis, cui improperebat uxor eius *Sara* quod ipse in causa esset quod *Agar* ancilla sua, contra se tam audax & insolens fieret. Hæc injuria, inquit, tibi imputanda est, quia illam non castigas; quid ad hæc *Abraham*? Quare, inquit, te turbas? *Ecce ancilla tua in manu tua est, utere ea ut libet.* Hæc indulgentia in uxorem, inquit *Chrysostomus*, *Hom. 38 in Genes. pace domum replevit.*

Sic cum uxor *Tobiac* acerbis animo, & lingua acerbiori diceret marito suo: *Manifestè vana facta est spes tua, & elemosina tua modo disparuerunt:* Ne verbo quidem *Tobias* respondit, sed, *ingemuit*, inquit *Scriptura*, & *cæpit orare cum lachrymis*, & ad Deum confugit, cui rem totam commisit, ne majoris furoris daret occasionem. Hæc prudentia si desit in marito, nemo mirabitur familiam plenam esse discordiis, & paulatim omnem inter conjuges amorem sæpè verti in odium, quia prudentia falsus est: Sicuti ergo necesse est carnem corrumpi quæ non salitur, sic familiam corrumpi necesse est ubi maritus caret prudentia.

Idem est de uxore: Si enim illa nihil possit, aut velit dissimulare in marito, si non norit tacere dum vel ipse in colera est, vel bene potus, si impropere illi quando aliquod negotium sine ejus culpa non bene successit, & sic novam afflictionem addat afflicto; quid hoc est aliud quam hominem ad desperationem adigere? magna imprudentia & indiscretio: Prudens mulier considerabit tempora quibus possit cum fructu alloqui virum: Quis fructus alloqui hominem mentis impotem vel præ furore, vel præ potu? silebit ergo pro illo tempore: Si non possit, totam domum turbat, & pejora inde sequuntur, quia Maritus non ferens mulieris imprudentiam, sæpè faciet pejora quam prius. Mulier prudens considerabit dolorem mariti, si quid illi sinistri euenierit, quamvis omnem adhibuerit diligentiam ut res bene succederet, adeoque solabitur illum, & cum dolente dolebit.

Hanc prærogativam dedit feminis natura præ viris, ut passim innatam sibi habeant quandam blanditiem, qua aptiores sunt ut aliquem consolentur, hoc dono naturæ debent uti potissimum cum maritum vident mœrentem; quod si contrarium faciant, signum est magnæ indiscretionis, dicit enim *Scriptura*: *Noli afflictionem addere afflicto.*

In hac prudentia præ cæteris excellit *D. Monica* mater *Augustini*, de qua ipse scribit, quod numquam obloqueretur marito irato,

ro, erat enim in summo gradu furiosus: Quod semper sileret dum potus rediret domum, quod sæpissimè contingebat, sed expectabat opportuna tempora, ut illum suaviter ac blande moneret cum jam rediisset ad se. Hac sua prudentia tantum effecit, ut ex furibundo leone fecerit agnum, ex ebrioso temperantem, & ex Ethnico Christianum.

Denique maxima prudentia ac discretione opus est & Patri & Matri in educandis liberis. Certa enim mensura necessaria est ad iuventutem regendam, & discernendum indolem unius & alterius: omne lignum non est aptum ut duros ictus sustineat: Sunt enim ligna tam tenera ac fragilia ut ad primum ictum frangantur, alia tam dura ac lenta, ut nihil inde boni confici possit nisi validis ictibus cædantur. Omnes liberi non ejusdem indolis sunt, aliqui natura flexibiles sunt, ac mites, alii vero capitosi & pertinaces: Primi regi non debent sicut postremi, nec postremi semper æque severe: Hæc parentes, si prudenter procedere velint, considerare debent, ne liberos suos, inquit *Paulus, Coloss. cap. 3*, suâ imprudentiâ & indiscretione, ad iracundiam provocent: Modo ad curanda illorum vulnera, vino est opus ut mordeat, modo oleo ut leniat. Semper blandiri est illos corrumpere, sic simiæ pullos suos occidunt; semper severum esse, est illos irritare, sic parvi leunculi verberibus aguntur in furias. Hæc parentes judicare debent juxta suam prudentiam. De hoc satis.

Jam videamus quæ prudentia unicuique homini in particulari necessaria sit in iis quæ ipsum solum spectant. Audio in primis *Salomonem* passim & ubique in suis scriptis clamantem, quod omnes peccatores sint stulti, vel imprudentes: Sic *Prov. cap. 1* ait: *Vsq. quo stulti quæ sibi sunt noxia cupient, & imprudentes odibunt scientiam* *Cap. 10* ait: *Filius stultus mæstitia est matris suæ. Cap. 17* dicit: *Natus est stultus in ignominiam suam. Cap. 7* stultum & vecordem vocat qui se sinit abduci à femina lasciva. Denique nullum est genus peccatorum quos stultos non vocet, & expertes omnis prudentiæ. Ratio est, quia cum omnia reliqua cordi habeant, hoc unum non curant quod est summum animæ bonum, scilicet in hac vita virtutem, æternam salutem in altera. Homini enim ad æterna creato, elaborandum est ut, præ omni Deum ac salutem intueatur, atque ad illum omnia sua vota, omnia consilia, omnes dirigat actiones. Hoc est quod *Christus* omnibus voluit inculcatum, cum dixit A-

Es unicuique homini in particulari.

post-



postolis: *Estote prudentes sicut serpentes.* Serpens, inquit *Epiphanius*, totum corpus periculis objicit ut tueatur & seruet caput, in quo scit vitam suam & salutem positam esse. Quemadmodum, inquit *Chrysostomus*, in *Psal. 114* serpens reliquum corpus projicit ut caput seruet, ita oportet te quoque alia omnia dare pro salute animæ, ut neque inopiæ timor, nec ambitio, nec forma, nec voluptas, nec ullæ pompæ mundanæ te ab eo avertant, quod ad salutem conducatur: Illa enim est caput, & palmare hominis bonum, in quo bene fideliterque tuendo prudentia Christiana posita est.

Igitur qui prudens est tenebit viam regiam mandatorum Dei quæ ducit recta ad cælum, si enim inde deflectat vel à dextris vel à sinistris, perit: Utrumque enim via cæli duas habet abyssos; à sinistris, abyssum tormentorum inferni, à dextris abyssum voluptatum ac sæcularium desideriorum. Quanta stultitia, vel quæ prudentia, hæc certo scire, & tamen à via deflectere ut in abyssum alterutram ruat, in unam ex qua difficillime possit evadere, in alteram, ex qua numquam in omnem æternitatem evadere possit? quis non dicat hæc esse hominis non prudentis, sed insani.

2. Homo prudens appendet animam suam quasi in bilance contra omnia quæ sunt in mundo, & omnibus bene expensis, videbit omnes divitias, honores, voluptates, & quidquid in mundo magnum ac pretiosum apparet, omnia simul sumpta non esse nisi, ut ait *Sapiens cap. 11* guttam roris antelucani quæ descendit in terram, & totum orbem terrarum non esse amplius quam momentum statera, vel, ut ait *David Psal. 1.* Tanquam pulvis quem projicit ventus à facie terræ, vel, ut ait *Salomon Sap. cap. 5.* Tanquam spuma gracilis quæ à procella dispergitur, & tanquam fumus qui à vento diffusus est. Unde cum diabolus ostenderet *Christo* in deserto omnia regna mundi, omnemque ejus gloriam, non diutius, inquit *Lucas*, illa ostendit quam momento temporis, quia omnia quæ mundus habet non sunt aliud nisi minutum, & omnia in momento pertranseunt. Animam vero hominis nihil dignius, nihil pretiosius, nihil divinius, tanti pretii est ut *Christus* dicat *Matth. cap. 16.* Quid prodest homini si mundum universum lucretur, anima vero suæ detrimentum patiatur? ergo sola anima pluris valet, ac gravioris ponderis est quam universus mundus simul cum omnibus quæ possidet: Et erit aliquis qui dicat hominem illum esse prudentem, aut sanæ mentis, qui animam suam projicit ut mundo fruatur?

3. Homo prudens abstinebit se ab omni consortio malo, ne illius vitia contrahat quibus anima inficiatur: Hinc tam sollicitè nos admonet *Salomon Prov. cap. 1. Fili mi, inquit, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas illis, ne ambules cum eis, prohibe pedem tuum à semitis eorum, pedes enim illorum ad malum currunt, & ducunt ad interitum. Quis prudens, qui hæc audit, non cavebit sibi ab impiis quibuscum debet perire?*

Ad extremum, sicut Deus voluit, & præcepit *Moyse* ut in omni sacrificio offerretur sal quod est genuinum prudentiæ signum, sic non est homo qui vivit, cui in omnibus actionibus non sit opus prudentia ad recte sancteque vivendum, ac serviendum Deo.

## DISCURSUS V.

*Præcepit Deus ut in altari semper ignis arderet.*

Sicuti Deus præceperat ut in omni sacrificio sal offerretur, sic etiam voluit ut ignis in altari semper arderet: Sic enim ait: *Ignis in altari semper ardebit quem nutriet sacerdos, subjiciens ligna mane per singulos dies: Ignis est iste perpetuus qui numquam deficiet in altari.*

Amorem divinum esse instar ignis, est omnium fere Patrum & S. Scripturæ doctrina; & recte, quia proprietates quas habet ignis, easdem habet & amor.

1. Sicuti ignis scoriam aliasque sordes separat ab auro, sic ignis charitatis, inquit *Franco Abbas, Tom. 4 de gratia Dei*, extrahit noxios carnalium affectuum humores è corde ut purum sit.

2. Sicut ignis semper tendit in altum, sic amor, inquit *Augustinus, in Psal. 121 ad superna elevat, & ad æterna inflammat, & ad ea quæ non transeunt, animam excitat.*

3. Sicuti nihil est quod ignem lædere possit, sic nihil est, inquit sponsum *in Cant. cap. 8 quod vero Dei amori possit nocere: Aqua multa, inquit, non poterunt extinguere charitatem, neque flumina torquent illam.*

4. Sicuti ignis devorat omnia, sic nihil est in mundo quod amor non superet: Non tribulatio, inquit *Paulus*, non angustia, non gladius, non mors, non vita, non persecutio, denique nihil.

5. Sicut inter elementa nihil præstantius igne, sic, inquit *Hugo*

de S. Victore lib. 2. Miscell. Tit. 48 charitas regina virtutum est.

6. Sicuti ignis quæ dura sunt mollia facit, sic amor, inquit *Themius*, *Hom.* 23 dura & aspera levigat.

Denique quando Scriptura vel nos loquimur de amore alicujus, dicimus ardet amore, sic & duo illi discipuli in *Emaus*, de scriptis dicebant: *Nonne cor nostrum erat ardens in nobis, cum loqueretur nobis in via?* & quando describitur amor sponsæ in canticis, dicitur: *Lampades ejus lampades ignis.*

Ergo jam patet ad oculum quod amor divinus in effectibus suis non differat ab igne: Hic est ille ignis de quo dicit *Christus Luc. cap. 12. Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut accendatur?* Per hunc ignem intelligunt Patres, & passim omnes interpretes, Spiritum sanctum in forma ignis missum de cælo super Apostolos: Atqui Spiritus sanctus amor est inter Deum Patrem & Filium, ergo *Christus* dicit se venisse ut mitteret amorem divinum in mundum, & hoc unum optare ut amor ille in omnium cordibus ita accenderetur ut numquam deficeret, juxta illud quod sub figura voluit Deus significare cum dixit: *Ignis in altari semper ardebit: Altare*, inquit *Gregorius*, *Lib. 25 Moral. cap. 7* cor nostrum est, in quo jubetur ignis semper ardere, quia necesse est ex illo ad Dominum charitatis flammam indefinenter accendere.

Hoc est quod *Paulus 1 Thessal. cap. 5* clamat ad omnes fideles: *Spiritum nolite extinguere*: Facite ut amor Dei semper ardeat in cordibus vestris: Nam sicuti spiritu deficiente in corpore nostro, morimur, sic Spiritu sancto sive amore divino extincto in corde nostro, perimus. Ostendam ergo. 1. Spiritum illum posse extinguui. 2. Illum aut esse in summo flore, aut si non sit, penitus interire. 3. Nostra dumtaxat culpa posse extinguui: Quæ omnia *Paulus* tribus hisce verbis complexus est: *Spiritum nolite extinguere.*

Spiritum  
sanctum  
posse ex-  
tingui.

Quod ad primum, scilicet spiritum posse extinguui, quis hoc non videt clare in *Gedeone*, *Saule*, *Davide*, & *Salomone*?

De *Gedeone* dicit Scriptura *Judic. cap. 6. Spiritus Domini induit Gedeonem*, sed spiritum illum extinxit, quando paulo post adoravit idola.

De *Saule* etiam dicit Scriptura *Lib. 1 Reg. cap. 10*, quod *insultavit in eum Spiritus Domini*, & jam versabatur inter Prophetas eratque unus ex eis: Postea tamen sic spiritum istum extinxit ut 85 Sacerdotes innocentes simul in conspectu suo jussit occidi.

De

De *Salomone* inquit Scriptura *Lib. 3 Reg. cap. 3* quod diligeret Dominum, & ambularet in præceptis *David* patris sui, & ille tamen sic amorem istum divinum extinxit ut se effunderet in omnes amores impuros cum feminis alienigenis, & illarum idolis ferviret.

De  *Davide* quid dicam? *David* virorum erat mitissimus, cum haberet *Saulem* hostem suum capitalem in manibus, eumque posset occidere, vitæ illius pepercit, sed idem innocentem *Uriam* iussit interfici.

Plena est Scriptura ejusmodi exemplis: Sponsa tanto amore febrebat in sponsum ut etiam media nocte curreret per plateas, nec verbera curaret nec vulnera, modo posset illum invenire; & cum sponsus paulo post, ultro, etiam de nocte, ad domum illius accederet, & pulsaret ad ostium ut intrmitteretur, non aperuit sponsa, nolebat enim surgere è lecto ne pedes suos inquinaret. Huc reciderat primus ejus amor ut pluris faceret pedes suos quam Deum.

*Moses* magna in Deum fiducia, virga percusserat mare rubrum, & diviserat undas, postea dubitavit an eadem virgâ aquas elicere posset de petra, cum Deus tamen illi dixisset se illi adfuturum.

Nonne jam vides ignem amoris in altari cordis nostri posse extinguui, adeoque merito *Paulum* Apostolum omnibus acclamare: *Spiritum nolite extinguere?*

Dico 2. Spiritum amoris extinguui penitus, & non flaccescere, est enim instar illius statuæ quam *Nabuchodonosor* videbat in somno, aut enim illa stabat in pleno suo decore ac fortitudine, aut ita ruebat ut vix superesset pulvis è mole tanta.

Duo nos hoc docebunt exempla, unum *Adami*, alterum *Lothi*: Tantus æstuabat in innocente *Adamo* spiritus, ut Deus revelaret illi in somnis *Christi* matrimonium cum futura Ecclesia, ostenderetque illam prodituram è suo latere, sicuti *Eva* prodibat, & formabatur è latere *Adam*. Quis tamen turpius spiritum illum plane extinxit? peccavit, aufugit à Dei conspectu, latuit, negavit, non doluit, maluit exulare, quam petere veniam. Est ne ille *Adam*, qui non multis ante diebus, vel forte horis, Dei præsentia & alloquio fruebatur, etiam cum dormiret? quomodo ergo nunc fugit à Deo? eòne deductus est, ut nec Deum dilexerit accedentem ad se? nec scelus falsus nec detestatus sit, etiam rogatus à Deo quid fecisset? quid miraris? sic enim illius amor

erat extinctus ut ne scintilla quidem una amplius superesset.

Alterum exemplum habemus in *Loth*. Quam strenue hic vir hi- nos inter angelos medius, pudicitiam *Sodomis* propugnavit: ipse solus toti civitati sese opposuit ut castitatem angelorum, qui erant in forma humana, contra cives, qui in domum illius volebant ir- rumpere, propugnaret: Quale spectaculum Deo, videre hominem tam castum, & quidem *Sodomis*, civitate, in qua à minimo usque ad maximum omnes ardebant flammis libidinis: quid ager in monte qui sic triumphavit in *Sodomis*? Vix est credibile quomodo spiritus *Lothi* fuerit extinctus: Nam qui tam strenuus & impavi- dus fuerat in castitate tuenda, egressus urbe tam detestabili, cum duabus filiabus suis peccavit in monte, atque ita spiritus ejus non intepuit, sed ita prorsus extinctus est ut ne scintilla quidem rema- neret. Quod malum ut averteret *Paulus* clamat: *Spiritum nolite extinguere.*

Ex hisce verbis denique patet quod spiritus ille nostra propria culpa extingatur.

Tuum enim est servare spiritum Deo adjuvante, tibi soli adser- bendum si perdas, neque enim vi raperis in præceptis, sed ipse te agis per abrupta. Num abreptum in scelus dices *Cainum*, quem Deus monuit ne peccaret? Quo studio architectatus est *David* ne- cem *Vrie*? Arcessit illum, litteras scripsit, excogitavit qua ratio- ne nec ille hostium tela evaderet, & ipse met linguis hominum non vapularet. Vaferrimi *Babylone* senes, quamdiu expectarunt opportunitatem peccandi? quibus se artibus instruxere ut pudici- tiam *Sufanne* expugnarent? omnia cum summa voluntatis liber- tate peracta, nihil coactum, adeoque quemadmodum illi sua cul- pã Spiritum extinxere, sic & nos, propterea dicit *Paulus*: *Nolite ex- tingueret spiritum*: Vos ipsi nolite, in vestra enim potestate est, Deo adjuvante, non extinguere, & facere ut ignis amoris divini semper ardeat in altari cordis vestri; & *ignis iste*, ut ait Deus *Mosè*, *sit perpetuus*: Quia ut ait *Bernardus Lib. de Dilig. Deo*: Modus dili- gendi Deum est, sine modo diligere. Similiter *Origenes Hom. 3. in Cant.* Mensura charitatis hæc sola est, ut tantum diligatur Deus quantum ipse vult: Voluntas autem Dei semper eadem est, nec unquam mutatur, numquam ergo mutatio aliqua, aut finis ullus esse debet, in charitate Dei. Denique *Gilbertus Abbas Serm. 19. in Cant.* Amor immensitatem æmulatur, dum nescit metam ponere affe-

affectibus suis: Sequitur ergo quod assidue nova nutrimenta habere debeat quibus foveatur: Hinc cum Deus vellet ignem in altari semper ardere, statim subjunxit: *Sacerdos illum nutriet subiciens ligna mane per singulos dies*: Nam, ut ait *Salomon Prov. cap. 26*: *Cum defecerint ligna, extinguetur ignis*: Audivimus supra *D. Gregorium* dicentem, quod altare sit cor nostrum, tu vero Sacerdos es, tuum est ergo nutrire ignem amoris in corde tuo: Quomodo hoc facies? assidue ligna subijcies, ligna autem, sunt opera tua, hæc si deficient, ignis extinguetur.

Audiamus *Gregorium*: Amor, inquit, magna operatur, si renuit operari, si otiaur, amor non est. Quocumque me verto in Scriptura, hoc unum audio, vel aperte, vel sub figuris, vel exemplis expressum, amorem divinum conjunctum debere esse labori & operi.

Numquid apertis verbis dicit *Christus Ioan. cap. 14*: *Qui diligit me servat mandata mea*? quasi diceret: Sicut ex fructu dignoscitur arbor, sic ex operibus dignoscitur amor. Si opera pereunt, perit amor: Propterea dicit *Ioannes Epist. 1 cap. 3*. *Filioli, non diligamus verbo neque lingua, sed opere & veritate.*

Videamus quid primum optet sponsa in *Canticis cap. 7*. quæ tanto amore diligebat sponsum suum ut aliquando audita sit dicere: *Nunciate dilecto meo quia amore langueo*, agra sum vel morior præ amore: Magnus amor! propterea dicebat dilecto suo: *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis*. Vide quid quærat tam amans sponsi. Non petit otiaur, non deliciis frui, non commoda sectari, sed excurrere ad labores, & agros excolere, metere triticum, colligere manipulos, sudare sub cælo: Non enim dixit tantum: *Egrediamur in agrum*, sed etiam addidit. *Commoremur in villis*, nec enim sufficiebat egredi foras, & illico repetere urbem, hoc enim potius recreationis fuisset, sed volebat commorari in villis, ut continuo labori vacaret: Noverat enim perfectum amorem esse non posse qui non strenue laboraret pro Deo.

Nec mirum videri debet si amor sponsæ, labores quærit in campis, quando etiam in cælo, qui locus quietis est, otiaur non potest: Narrat *Isaias Propheta cap. 6*, volasse ad se unum de Seraphim, qui carbonem habebat in manu, & tetigit os Prophetæ. Hinc intelliges quam sit pronus amor in opus. *Seraphimi* in cælo supremi Angeli sunt qui thronum Dei ambiunt, & tanto amore feruntur in Deum, ut inde *Seraphim* appellentur, hoc est, toti ardentes amore:

Amor Dei  
labores  
quærit.

Et ecce hic *Seraphinus* qui volabat ad *Isaiam*, mallebat solum Dei deferere, & quasi divinitate carere, quam opere, reliquit enim caelum & descendit in terram, arripuit forcipem, & tulit carbonem de altari, applicuit illum ori *Prophetæ*, & purgavit labia illius; ut que adeo amor appetens est actionis.

Mira erat *Babylonica* statuæ structura, aureum caput habebat, perfectus brachiaque argentea, fæmora ærea, ferreas tibias, & partem pedum etiam ferream: Omnia membra æque solida ac pretiosa, sed non audio ullam mentionem fieri manuum, ergo vel iis caruit, vel certe tam debiles fuere ut dignum non fuerit illarum meminisse; inde conjicio statuam illam non diu staturam: Sic factum est, unus enim lapillus totam deiecit, & omnem illam pretiositatem corrumpit, & pulvere ac luto sædavit. Statua illa referre poterat animam amore divino pretiosissima omnium virtute, ornatam, sed manibus carentem; per manus autem passim in Scriptura opera significantur, quia manibus operamur: Si amor careat manibus, hoc est operibus, non potest subsistere. juxta illud *Gregorii*: Si amor magna non operetur, amor non est. Hoc jam vos docuere tres illæ figuræ quas attuli.

Discite jam hoc ab exemplis. 1. *Christus* post Resurrectionem suam agens cum Apostolis *Ioan. cap. 21*, petit inter alia à *Petro*: *Diligis me plus his?* respondit *Petrus*: *Etiam Domine, tu scis quia amo te.* *Pasce ergo*, inquit *Christus agnos & oves meas*. Quid hoc est dicere, nisi, si amas me, applica manum labori, sequere oves meas per frigus & æstum, defende illas contra lupos, discurre per montes & valles, per spinas & silvas ut quæras errantes & reducas ad caulam.

2. Quoties *Christus* oraverat Patrem suum in montibus? quam frequenter egerat cum Deo in solitudine? numquam tamen *Ioannes* Evangelista mentionem fecerat de ejus amore: Tandem *cap. 13* dicit: *Iesus dilexit Discipulos suos, & dilexit eos in finem*. Unde hoc colligit? ex eo quod addit: *Cenâ factâ*, inquit, *surgit à cenâ, ponit vestimenta sua, & cum accepisset linteum, præcinxit se, deinde misit aquam in pelvim*. Manifestum signum quod se accingat ad aliquod opus: Quod illud? *capit lavare pedes discipulorum, & extergere linteis quo erat præcinctus*. Ingens ac mirabile opus, Deum se prosternens ad pedes piscatorum, Dominum lavare sordidos pedes servorum suorum, magistrum extergere pedes Discipulorum suorum! Ex hoc opere collegit *Ioannes Christi* amorem erga Apostolos, ostenditque

que opera esse certissima signa veri amoris, adeoque amorem non esse qui operibus caret.

3. De *Magdalena* dicitur *Luc. cap. 7: Dilexit multum*. Unde hoc patet: an ex eo quod sederet ad pedes Domini audiens ejus doctrinam, & nihil ageret, adeo ut *Martha* diceret *Christo: Relinquit me solam ministrare, dic ergo ut me adjuvet?* Tunc non dixit Scriptura de illa: *Dilexit multum*: Quando ergo? forte cum sederet ad sepulchrum Domini lachrymis suffusa? ne quidem tum: quando ergo? quando passis capillis, nudis pedibus, abjecto omni mundo muliebri, vili vestitu exiit domo sua in publicum, & per plateas in omnium conspectu recta abiit ad domum ubi *Christus* accumbebat inter *Phariseos* & scribas, omnium irrisores, nec tamen ludibria curans, ingessit se in convivium virorum, & coepit *Christi* pedes lavare lacrymis suis, & tergere comis. Tunc ait Scriptura: *Dilexit multum*: Nec mirum; tunc enim illud præstantissimum opus prodebat in lucem, summus illius amor quem gerebat in corde: Ergo verum est quod dicit *Gregorius*. Ubi amor est, ibi necesse est illum magna operari.

Hinc jam luce meridiana clarius patet stultitia & insania illius sectæ quæ hoc nostro tempore in *Belgio* & alibi, se altioris sensus homines, & contemplantes appellat; qui totam sanctitatem nescio in qua Contemplatione sic statuunt, ut quasi mente abrepti, aliud nihil respiciant nisi cælum, ad cætera omnia insensibiles. Putant charitati non licere vel ad punctum temporis, oculos, faciemque mentis à cælo defletere, quasi charitas tum abunde functa sit munere suo, si cælum spectet.

Primo enim, tunc non fuit habitus *Abraham* amasse, cum cælum, jussu Dei suspexit, stellasque posterorum suorum designatrices recensuit, sed cum ferrum strinxit in filium, illum Deo oblaturus, quo nullum præstantius opus viderat orbis: Tunc enim dixit illi Angelus Domini: *Nunc cognovi quod ames Deum*, sic enim legunt plerique interpretes: Unde hoc noverat Deus? non quod *Abraham* oculos defixisset in cælum & stellas, sed quod tale opus fecisset pro Deo, quale numquam antea vel visum fuerat vel auditum. Hoc est amare.

2. Quid clarius dici potest quam quod sponsus de amore sponsæ dicit *Cant. cap. 8: Lampades ejus*, inquit, *lampades ignis atque flammæ*: Septuaginta vero sic vertunt: *Ala ejus, ala ignis, flammæ ejus*.

Stulta con-  
templatio-  
nes.



*eius.* Hinc patet quod non amas nisi luceas, neque luces, nisi *deas*: Lampas est amor, ergo debet lucere, sed hoc non sufficit, quia debet amor habere alas ignitas & flammeas, ignitas ut ardeat, & alas ut evolare possit è corde: Tu amorem in Contemplatione constituis, sed non volas, ergo non amas.

Amor absque alis hypocrisis potius dicendus est quam amor: Hinc videmus illos qui præ se ferunt aliud nihil agere se nisi loqui cum Deo, passim pessime loqui de aliis, neminem æstimare præter se, omnes contemnere præ se, omnia carpere, omnibus contradicere, omnium aliorum doctrinam proclamare ut hæresim, suam solam ut divinam & veram; monstra superbiæ! dum uni cælo ac Deo adherere videntur, non semel merguntur in lutum & sordes. Hoc scilicet est amare Deum.

Verum sunt qui dicant: Non admodum opus est magnis operibus, modo cor ardeat amore, per hoc enim etiam minima opera maximi pretii sunt apud Deum. 1, inquit: De *Sardicensi* Episcopo dicit *Ioannes Apoc. cap. 3*, quod quamvis opera ipsius essent valde magna exterius, tamen non fuisse plena apud Deum, quia destituta erant spiritu interiori.

Respondeo, quod si Deus, etiam magna opera externa non respicit, sed tantum delectetur sanctimonia & amore interno; Quare ergo iussit dici per *Ioannem Apoc. cap. 2*, Episcopo *Ephesino*: *Prima opera fac?* quare laudavit Episcopum *Philadelphium*, dicens: *Scio operatua?* quare utrique coronam promisit?

2. Dicunt: Horologii index æstimandus non est, sed rotæ quibus illud movetur interius.

Respondeo: Sic est: Rotæ in horologio pluris fiunt, sed si index horas non designaret exterius, & si sono æris non moneremur de cursu temporis, quid juvaret procurfus rotarum?

3. Dicunt quod illa mulier de qua *Salomon* agit in proverbii *Cap. 31*: Fortis ab eo vocetur & summis laudibus efferatur propter minima opera: *Manum suam*, inquit, *misit ad fortia*, scilicet opera; quænam illa? *Digitus eius apprehenderunt fenum*: An hoc unicum est quod mulier ista agebat? ubi ergo manent cætera quæ *Salomon* narrat? nempe, quod de nocte surgeret ut gereret curam domesticorum, quod manum aperuerit inopi, & palmas suas extenderit ad pauperem, quod os suum aperuerit sapientiæ ut familiam suam in omni virtute instrueret, quod consideraverit semitas domus suæ, ne quis

poc-

peccaret, denique quod bonis operibus superaverit omnes reliquas feminas.

Quid amplius dicam? si nihil externa juvant, sed solus amor in corde in pretio est apud cælum, exurantur ergo cilicia, flagella, nemo cubet in assere, nemo vigilet de nocte, nemo se à carne abstineat, nemo jejundet, projiciat *S. Ioannes Baptista* suas locustas, & vescatur exquisitissimis cibis.

Quis dicet tales non insanire? Non potest amor divinus subsistere sine magnis operibus, si enim magna non operetur, amor non est. Et hic primus modus est quo ignis ille nutriri debet, ut semper ardeat in altari, & nunquam extingatur. Subjicienda sunt quotidie ligna bonorum operum quibus possit ardere.

Alterum medium quo naturalis ignis flammæ magis excitantur & crescunt, est ventus, sive flatus: Ventus adversitates significat, *Adversitas* vis ergo ignem amoris tui quotidie crescere? fortis esto inter adversitates, & ignis tuus numquam extinguetur, sed magis semper *facit Dei* magisque ardebit. Amor enim, si fictus non est, quo sibi duriores *amore* sentit dilectum, eo suavius illi blanditur: *Job* numquam uberius laudavit Deum, quam cum ab eo satanæ traditus est: Sic *Abraham* non Deum dilexit cum filii *Isaac* nativitatem prædiceret, sed cum illi imperaret Sacrificium istius filii: Crevit amor inter adversa: Sic & *Maria* Deum dilexit cum filium pareret Virgo, sed magis cum illo filio orbaretur, & gladius doloris ipsius animam pertransiret: Tunc enim de illa dici poterat quod in figura ipsius dicebat olim sponsa *Cant. Cap. 1*: *Fasciculus myrrha dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur*: Numquid & dixerat quod sponsus illam duxerat in cellaria sua? plâne, sed nusquam dilectum majori amore strinxit, quam cum versus esset in Myrrham, plus amavit cum illi esset amarus quam cum esset suavis; crescit amaritudine amor.

At quando de sponsa agimus, consideremus illud quod ait *Cant. cap. 5*: Cum per plateas noctu discurreret ut quæreret sponsum: *Invenerunt, inquit, me vigiles civitatis, percusserunt me, vulneraverunt me, tulerunt pallium meum. Adjuro vos filia Ierusalem, si inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei quia amore langueo.* Nota. Non ait: Nuntiate dilecto quia percussa sum, quia vulnerata sum, quia spoliata sum, quia frustra illum valde diu quæsi, sed nuntiate ei quia amore langueo. Inter vulnera, solum amoris vulnus experior: Non quæro pallium quod amisi, sed *Iesum* quæro quem diligo:

K k k

Lan-

Langueo, sed præ amore. Hæc summa amoris est inter vulnera carnis, tantum amoris vulnus sentire, dilectum quærere etiam post vulnera & jacturas: Miramur illam vulneratam vulnera non sentire? *Christi* amor, inquit *Augustinus Serm. 30 de Sanct.* persecutoris pœnam non sentit, quia charitatis flammæ non tantum dolores extinguunt, sed dolores etiam ipsas flammæ amoris magis accendunt.

*Beatus vir*, inquit *D. Iacobus cap. 1, qui suffert tentationem, quoniam accipiet coronam vitæ quam repromisit Deus diligentibus se.* Quid ait *Apostolus*? excitat ad labores, confirmat patientes, ostentans coronam quam promisit Deus diligentibus se. Quid animi ad patientiam potest adferre corona quæ non patientiæ destinata est, sed amoris? multum sane: Quia is apud Deum vere diligit qui patitur, amare enim est pati: Ideo de *Christo* dicitur: *Dilexit nos, & lavit nos sanguine suo.* Profusio sanguinis, & pati, signum amoris est: Sic etiam ait *D. Ioannes cap. 13: Cum Iesus dilexisset suos, in finem dilexit eos,* quasi diceret: Tunc vere dilexit cum in extremo passus est crucem. Propterea etiam *David* fortitudinem amoris conjunxit, cum dixit *Psal. 17: Diligam te Domine fortitudo mea,* significans, amorem nihil aliud esse quam pati, quemadmodum ad patientiam, singulari opus sit fortitudine.

Tandem ex omnibus hætenus dictis apparet, si velis ut ignis amoris semper ardeat in altari cordis tui, necesse est ut assidue illum nutrias magnis operibus, & inter adversa stes firmus, sic enim amor quotidie crescit magis ac magis, adeoque numquam, aut certe difficillime extinguetur.

## DISCURSUS VI.

*Varia Sacrificia pro variis peccatis.*

**O**rdinaverat Deus primum Sacrificia quæ vel solo honoris ipsius respectu, vel ex mera offerentis devotione offerri debebant: Nunc incipit varia Sacrificia ordinare pro variis peccatis tam in communi, quam in singulari.

1. In communi: *Sacerdos*, inquit *cap. 4, qui peccaverit per ignorantiam, offeret pro peccato suo vitulum immaculatum Domino: Si peccaverit Princeps per ignorantiam offeret hircum: Si quis de plebe, offeret capream immaculatam.*

2. In singulari. Si quis, inquit *Cap. 5.* audierit vocem jurantis, & non indicarit, vel aliquid immundum tetigerit, sive quod occisum à bestia est, sive per se mortuum, sive aliquod reptile, Si quis iuraverit se aliquid facturum, & non fecerit, rei erunt peccati, & offerent agnam sive capram. Sin autem non possit offerre capram, offeret duos turtures, vel duos pullos columbarum. Quod si nec illa possit offerre, offeret partem simillæ, orabitque pro eo Sacerdos, & pro peccato ejus, & dimittetur ei.

Præterea. Si quis per errorem prætermiserit aliquas ceremonias à Deo statutas, offeret pro delicto suo arietem.

Denique si quis negaverit se depositum accepisse à proximo quod tamen ei creditum erat, vel si rem perditam invenerit, & negaverit se invenisse &c. convictus delicti, reddet, & pro peccato offeret arietem: *Et dabit eum Sacerdoti juxta estimationem, mensuramque delicti.* Quod ita explicant *Iosephus* qui fuit Sacerdos *Judaus*, & *Philo* qui in ceremoniis experientissimus: Si inquit, confessus fuerit peccatum suum, & veniam petierit, merebitur peccati remissionem.

Hæc omnia clare nos docent fuisse Confessionem apud *Judeos* vel reipsa, vel verbo. Reipsa: Cum enim pro variis peccatis in particulari varia essent Sacrificia, vel vituli, vel capræ; vel hirci, vel agni, vel turturum, vel arietis, qui tale vel tale Sacrificium offerrebat, confitebatur reipsa se tale vel tale peccatum commisisse: Verbo vero, ut clare patet ex *Numeror. cap. 5.* ubi expresse dicitur: *Vir sive mulier cum fecerint ex omnibus peccatis qua solent hominibus accidere, confitebuntur peccatum suum.*

Hæc Confessio figura erat Confessionis nostræ Sacramentalis de singulis peccatis in particulari, quam hæretici abrogarunt, contra institutum *Christi*, contra praxim Apostolorum, contra consuetudinem omnium sæculorum, imo contra & mores Ethnicorum, qui naturæ ductu docebant Confessionem aliquam delicti necessariam esse.

1. *Christum* Confessionem instituisse manifestum est, 1. ex *Matth. cap. 16.* ubi dicit *Petro*: *Tibi dabo claves Regni caelorum, & quodcumque ligaveris super terram erit ligatum & in caelis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in caelis.*

2. Ex *Ioan. cap. 20*: Ubi dicit omnibus Apostolis: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: Quomodo*

Kkk 2

potc-

Confessio-  
nis vis.

poterant Apostoli peccata remittere nisi scirent quæ & qualia essent? & quomodo poterant illa scire nisi ipsi peccatores illa dicerent & confiterentur? alioquin absq; eo, cæco modo processissent, & remisissent quæ forte erant liganda, & ligassent quæ forte debebant remitti. Et hoc est quod ait Sapiens *Prov. cap. 28: Qui scelera sua confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur.*

Hanc etiam fuisse præxim tempore Apostolorum patet ex *Act. cap. 19*, ubi *Lucas* ait: *Multi credentium veniebant confitentes & annuntiantes actus suos: Multi autem ex eis, qui fuerant curiosa sectati, conulerunt libros, & combusserunt coram omnibus.*

Et quid hoc significat quod ait *Iacobus* Apostolus *cap. 5: Confitemini alterutrum peccata vestra.*

Quod attinet ad consuetudinem omnium sequentium sæculorum, longum esset omnes Patres recensere, audiamus aliquos.

*D. Ambrosius lib. de Instit. Virg. cap. 4.* Peccati, inquit, medicina, Confessio est.

*Tertullianus lib. de penit.* Confessio, quam peccator scit institutam à Domino, gehennam extinguit.

*Pacianus in Paranesi ad penit.* Vos peccatores, inquit, peccare non erubescitis, & erubescitis confiteri.

*S. Isidorus lib. 1, cap. 12.* Nulla tam gravis est culpa quæ per Confessionem non habeat veniam.

*D. Hieronymus in tradit. Hebraic.* Peccator confitendo quasi per scalam ascendit in cælum.

*S. Chrysostomus Hom. 3 ad Pop.* Deus promittit ignoscere peccatoribus, si peccata confiteantur.

*S. Augustinus Serm. 49 de verb. Dom.* Appareat in Confessione macula cordis tui, & pertinebis ad gregem Christi, quia Confessio peccatorum invitat medicum ut sanet.

*S. Zeno Serm. 2, ad Neophyt.* Novum, inquit, iudicii genus in quo reus damnatur si excusaverit crimen, & absolvitur, si confitetur.

*S. Bernardus Epist. 113:* Peccata in Confessione lavantur: Cum mala tua confiteris Sacrificium est Deo spiritus contribulatus, hæc sufficient quoad Patres.

Concludo cum Ethnicis *Senecalib. de Moribus* ait: Ubi est Confessio ibi est remissio: *Pythagoras* dicebat peccata esse detegenda, ut reprehensionibus curarentur. *Aristoteles* dicebat non multum differre ab eo qui peccare non potest, is qui peccata confiteretur.

De-

Denique ab omni tempore habuit *Iaponia*, instinctu naturæ suam confessionem, ubi in particulari sua peccata confitentur.

Ergone sola *Christi* lex hodie careret confessione quam in lege naturæ docuit Deus quando voluit *Adamum*, & *Evam*, & *Cainum* confiteri sua peccata quamvis ipse illa optime nosset? non haberet confessionem lex *Christi* quam semper habuit lex *Moyssis*, quam usurparunt qui à *Ioanne Baptista* baptizabantur? quæ fuit in usu tempore Apostolorum & omnibus sequentibus sæculis? quam ipsa natura etiam docuit gentiles?

Pro omni genere hominum dederat *Christus* medicinam particularem in variis Sacramentis: Baptismum pro parvulis nondum ratione utentibus, Confirmationem pro pueris qui jam ratione uti incipiunt; matrimonium pro illis qui procreare liberos volunt, Sacerdotium pro illis qui juvare animas volunt, Eucharistiam pro omnibus qui ad annos discretionis pervenerint, extremam unctionem pro illis qui ægro sunt corpore; estne credibile quod nullam talem medicinam reliquerit pro illis qui maximè indigebant, nempe pro iis qui ægri sunt animâ, hoc est, pro peccatoribus? Singulæ virtutes habebant sibi contraria vitia quæ sanarent; sed cum hæc esset longa via, & sæpè tempus non suppeteret ad illam conficiendam, oportebat esse aliquod generale remedium, quo omnia simul peccata curarentur, ne sæpè periculum foret in mora. Ad hoc *Christus* confessionem istam quæ semper fuerat in veteri testamento, elevavit ad dignitatem Sacramenti: Noluit tamen nos, sicut passim fiebat in veteri lege, peccata nostra publice, & coram populo confiteri, sed clam coram uno Sacerdote, tanto suavius ac facilius, quanto minus subiectum erubescentiæ; & adhuc inveniuntur Christiani qui confiteri clam erubescunt, cum *Iudeos* non puderet publicè confiteri?

Et quinam sunt Christiani isti quos pudet confiteri? qui vel se excusant, vel silent: Silere sacrilegium est, excusare est magna hypocrisis dum nolunt videri peccatores, sed innocentes, juxta illud *D. Bernardi*: Peccatores sumus sed nolumus æstimari: Orabat *David* Deum *Psal. 140* particulariter, ut hoc malum à se averteret, dicens: *Non declines cor meum in verba malitia, ad excusandas excusationes in peccatis.*

Duplex est potissimum hoc hominum genus. Primum, qui confessionem incipiunt sicut *Phariseus* suam orationem in templo:

Kk k 3

Deus,

Excusatio-  
nes in pec-  
catis.

Deus, inquit, ego non sum sicuti cæteri hominum, non sum injustus, non sum raptor, non sum adulter, sed jejuno bis in hebdomada, largas elemosynas do pauperibus &c. Sic multi incipiunt suam confessionem: Laus Deo: De nemine male locutus sum nemini detraxi, nemini injuriam feci, nemini precatus sum malum &c. Audio quotidie sacrum, observo jejunii dies &c. Ad quid ista præambula? non enim petitur quid non feceris, sed quid feceris mali: Ad quid ergo ista? nam sæpe contingit ut graviora peccata sequantur. Itaque se primum laudare, hoc non est aliud quam tantum peccatorem non velle videri quantum es, sed per laudes tuas colorem addere peccatis sequentibus: Et hæc quidem excusationes sunt in peccatis, sed non ita palam, nec aperte.

At alterum genus hominum se aperte excusant. Ajunt se fornicatos quidem fuisse, sed ætati, levitati, amicitia, seductioni alterius hoc adscribunt: Sic maritus interdum peccata quæ fecit, uxori imputat, vel uxor marito, plane sicut *Adam* uxorem suam accusabat ut causam peccati sui, & *Eva*, serpentem: Quomodo tales, qui dicunt se non libidine sua, sed alieno impulsu seductos, verum possunt habere dolorem? hinc tam facile relabuntur: Non debes accusare socios tuos, non tempora, non mores civitatis, ut tuo sceleri velum appendas, sed concupiscentiam tuam, illa te abduxit, ut ait *D. Jacobus cap. 1. Unusquisque tentatur à concupiscentia tua abstractus & illectus*. Hanc rapere debes in jus quæ te abripuit ad flagitium, alioquin numquam verè & serio dolebis.

Verum ne longiores discursus super hac re faciam, hominem tibi depingo, qui licet *Judeus* fuerit, te tamen doceat confiteri: Est is unus de principibus *Israël*, nomine *Sechenias*, qui, ut dicitur, *Lib. Esdræ cap. 10*, coram omni populo hanc confessionem instituit.

*Nos*, inquit, *1. Prævaricati sumus in Deum nostrum*. Ita accusat seipsum ut non excuset peccatum, aperte enim, & sine ullo involucro se fatetur peccasse.

Quod illud peccatum? *duximus*, inquit, *uxores alienigenas*, contra Dei præceptum, prohibuit enim nobis matrimonia inire cum ejusmodi feminis: Sed forte hoc vos fecistis, ut arma vestra vicinorum armis conjungeretis, & illi vobis auxilio essent in tempore necessitatis; vel concupiscentiæ æstu abducti, duxistis uxores alienigenas; vel certe coëgit forsitan vos rex *Babylonia* ubi fuistis captivi.

Nolo,

Nolo, inquit *Sechenias*, velum addere peccato. Esto illexerit nos aut spes auxilii ut alienigenas duceremus, vel coegerit nos rex, vel forma illecebra nos eo deduxerit, quæ etiam *Davidem* seducere potuit, an ideo calcanda erat lex Dei? frustra involucre teguntur peccata, quia nullum tam grande velum est quo esse licitum possit.

Hoc unum dicit *Sechenias*: *Duximus uxores alienigenas*, quidquid denique sit, sive propter hoc, sive propter illud, peccavimus, *duximus uxores alienigenas*, violavimus legem Dei.

Adeoque, inquit, *Si est pœnitentia in Israël super hoc*: Nota modestiam viri: Diu antea cum omni populo, & multum fleverat, obtulerat sacrificium, intulerat in templum vasa aurea, & adhuc videtur subdubitare de vera pœnitentia. Ubi nunc sunt illi, qui ne guttâ quidem ex oculis profusâ, vix luto peccatorum per confessionem emerfi, putant, se tabernaculum suum posituros in sole extra omne periculum?

*Si est*, inquit *Sechenias*, *pœnitentia in Israël*; quare times? aut quid dubitas? Nonne flevistis? flevimus: Nonne sacrificastis? omnino: Et adhuc times an Deus tibi possit esse propitius?

Dicis: *Duximus uxores alienigenas*: At illæ fuerunt vestræ uxores: Timeo tamen, inquit *Sechenias*, ut labecula illa queat extergi: Quapropter *percutiamus fœdus cum Deo nostro, & projiciamus universas uxores*.

Optant pacem cum cælo, & Deum placare, quis modus? non alius quam ut tollamus scandalum, fugiamus deinceps occasiones & projiciamus à nobis omnes uxores alienigenas.

Projiciamus, inquit, ne quidem illas alloquamur, aut ad discessum hortemur, nec rogemus eas, vel blandiendo, vel rationibus commovendo, sed inconsultas projiciamus.

Hic vides rursus vere confitentem & pœnitentem. Amor enim surdaster est, & audire rationes nescit. Quare *Sechenias* non tantum sibi à mulieribus istius alienigenis abstinendum dicit, sed eliminandas esse, ne illarum amore irretiti, peccato inhaereant.

Forte aliqui inter Christianos dixissent: Domi sint, sed extra thalamum: Impleamus legem, eis non utendo: Et caveamus ne, si illas ejiciamus, ipsarum nationes provocemus ad arma: Si non sint uxores nostræ, sociæ erunt & adjutrices. Nihil simile dixit *Seche-*

*Seche-*



*Sechenias*, quia sciebat non diu abfuturas à lecto, si mansissent in domibus.

Libido est ignis, si corripit stipulas, etiam frumenta aduret.

Itaque si illi qui fleverant fletu magno, & inierant foedus cum Deo, ita se separant à feminis alienigenis, ut eas ejciant: Tu qui vix unquam doles, & pactum inivisti cum morte, staturum te putas, si domi vel alibi retines *Dalilam* aliquam, quam illicito amore prosequeris? frustra confitetur qui hoc agit, ejciendum est malum ne rursus excrescat. Confitebatur *Sechenias* peccatum suum, sed cum firmo proposito tollendi deinceps omnem occasionem peccandi.

Habet ergo perfectam hic methodum confitendi etiam Christianus, quamvis in *Judæo*: Fleverat ille multum, confitebatur aperte ac plane sine ambagibus, sine excusationibus, & post omnia timebat non satisfactum nisi alienigenæ uxores, occasio peccati & scandali, ad unam omnes ejicerentur.

## DISCURSUS VII.

*Recensentur animalia immunda quæ non vult sibi Deus offerri.*

### 1. De Cygno.

Postquam Deus decem primis *Libri Levit* Capitibus recensuerat animalia, quæ, tanquam munda sibi offerri volebat in sacrificium, tandem *cap. 11* recenset aliquot species animalium, quæ vocat immunda, prohibetque non tantum sibi illa offerri, sed etiam comedi. Quia autem hæc distinctio inter animalia munda & immunda in ordine ad sacrificium, peregrina videtur, primo & ante omnia inquirenda est causa, quare hæc Deus præceperit?

Respondeo: Primam causam dat nobis *Tertullianus de cibis Judæis cap. 1*. Multa, inquit, à *Judæis* ciborum genera sublata sunt, non ut illa damnarentur, sed ut isti coërcerentur servituri uni Deo, quia ad hoc assumptos frugalitas decebat, & gulæ temperantia, quæ semper religioni deprehenditur esse vicina. Sanctitati enim inimica luxuria est. Hæc est ergo causa prima juxta *Tertullianum*, quod Deus munda & immunda animalia distinxit, ut populus iste

iste rudis continuum haberet exercitium tum temperantiæ, tum obedientiæ, tum religionis, vescendo mundis, & abstinendo ab immundis, in honorem & reverentiam Dei ita iubentis, atque ita semper coleret Deum.

Secunda causa fuit ut à sordibus & immunditiis idololatrarum, & immundis eorum sacrificiis . cibusque longius abstraheretur.

Tertia & potissima fuit, ut per hæc ad munditiem animæ excitaretur ex una parte, ex alia ad detestationem peccati: Erant enim ista animalia immunda quasi emblemata, sive symbola, quibus varia vitiorum genera exprimebantur, aliud enim apparebant exterius, aliud significabant interius. Hanc causam dat *Clemens Alexandrinus Lib. 6 Stromat. Moyses*, inquit, qui eruditus fuit in omni scientia *Aegyptiorum*, subinde in suis legibus utitur hieroglyphicorum ratione, easque tradit per symbola & ænigmata. Eiusdem mentis est *Augustinus Lib. contra Adimanium cap. 15.* Cum enim hic *Manichæus* oppugnaret vetus testamentum, tanquam à malo Deo datum, ac nominatim illas leges de abstinendo ab immundis animalibus ex illo *Matth. cap. 15. Quod intrat per os non coinquinat animam*, respondet *S. Augustinus*, hos cibos *Iudeis* non fuisse vetitos, quod per se coinquinant animam, sed præcepta ista illis data fuisse ad significationem humanorum morum, & ut futuram disciplinam spiritualis populi Christiani prophetarent.

Sed nihil clarius ad hoc confirmandum, quam quod narrat *Aristoteles Tract. de 70 Interpret. Missus*, inquit, fui à *Prothomæo Philadelpho* rege *Aegypti*, ad *Eleazarum Pontificem Iudeorum*, ut eum rogarer cur *Moyses* quædam animalia vetuisset comedi vel sacrificari, quibus aliæ gentes utebantur? respondit Pontifex illa præcepta esse Symbolica, qualia sunt Symbola *Pythagoræ: V. G. Stateram ne transgrediaris justitiam. Ignem gladio ne fendas*, hoc est, noli iratum verbo lacerare: *Cor ne comedas*; hoc est, dolore ex animo projice: *Per viam publicam ne ambules*, hoc est, noli sequi errorem multorum: *Hirundinem in domum ne recipias*. hoc est, noli admittere garrulos, & plurima talia: Eodem modo cibi illi vetiti vocabantur immundi, ut significarent immunditiem vitiorum, & animæ quæ per vitia deturpatur.

Veniamus ad rem: Inter alia animalia immunda quæ nec licebat offerri, nec comedi, ponitur cygnus.

Merito mirantur hic aliqui quare Deus hoc animal prohibuerit:

Quid enim, inquit, ista ave nitidius est? quid illius plumis candidius? quid gratius ipsius cantu, quo, ut ajunt Naturalistæ, suavissime canit cum moritur? nihil refert, inquit *Origenes*, in *cap. 11 Levit.* Quia quamvis tam albus sit foris, intus nigra carne est, vel, ut ait *Hugo Cardinalis*, Exterius in pluma habet albedinem, interius in carne nigredinem: Quid hoc? hoc, inquit, significantur hypocritæ, qui cum virtutem exterius prædicant, in animo pleni sunt vitiis: Sic etiam *D. Bonaventura Serm. 1 de S. Marco*: Plumæ, inquit, habent albas ut cygnus, prohi enim apparent exterius, sed occultam habent nigram carnem, hoc est, animam peccatis infectam.

*Christus* alia nobis similitudine expressit hypocritas quando dicit *Matth. cap. 23. Ve vobis Scribæ & Pharisei hypocritæ, quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ à foris parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia*: Exterius nitidi, inquit *Hugo Cardinalis*, interius fœtidi: Exterius longas faciebant orationes in angulis platearum ubi maximus erat concursus populi: Et sub illa sanctitatis specie depauperabant in occulto divites viduas: Exterius dabant largas eleemosynas in Synagogis & vicis: Interius nihil aliud quærebant quam gloriam apud homines: Exterius ibant pallido vultu, demisso capite, quasi multum jejunantes, interius erant pleni superbia, & aliis passionibus: Exterius præ se ferebant magnam observantiam legis *Mosæicæ*, nolebant jurari per aurum templi, nolebant accumbere mensæ nisi prius manus lavissent, toties volebant mundari calices, quoties biberent in mensa, clam vero abstrahabant liberos ab obedientia parentum: Exterius nitidi, interius fœtidi, hoc est veri hypocritæ, plumis albis, nigra carne.

Nescio an hoc malo magis noxiura mundo infernus protulerit: Nam inprimis, si rem attente consideremus, Hypocritis Filium Dei cruci affixit, & occidit: Quotquot enim huic tragædiæ manus apposuerunt, unica armati hypocriti ad exitum perduxerunt. Exordiamur à *Juda*: Carpebat hic homo *Magdalenam* quod unguentum effunderet in caput *Christi*, dicens: Poterat unguentum hoc vendi, & pretium dari pauperibus: Ecce *Judam* exterius misericordem, & sollicitum de Pauperibus, dum in animo tam immisericors est ut paret effundere sanguinem *Christi*: Vult pauperes vivere, ut ait, & vult interius patrem pauperem interficere.

2. Tam religiosus vult videri, ut non audeat omittere ceremonias agni Paschalis, interfuit enim illi cœnæ *Iudaicae*: Imo in alia Cœna, sacrificio corporis *Christi* interfuit, & communicavit brevi Dominum proditurus. Quid quod osculum pacis ne tum quidem neglexit cum Domino injiceret vincula.

3. Quasi scrupulo conscientiae ductus pecuniam retulit qua *Christum* vendiderat, falsus se sanguinem innocentem fudisse quando jam paraverat laqueum ut se suspenderet. Quid poterat hoc homine externa specie esse religiosius? sed quid poterat in animo esse scelestius? Hic homo primus fuit qui viam aperuit & stravit ad *Christum* crucifigendum.

Rem promovère Sacerdotes. Quid illi? retulerat *Indas* pecuniam pro qua illi *Christum* vendiderant, vix illam audebant attingere quia pretium sanguinis erat ut ajebant, & sanguinem ipsum fundere non erubescabant. *Non licet*, inquebant, *pecuniam istam mittere in corbonam*, quare? *quia pretium sanguinis est*. Timent inquirere arcam templi pretio sanguinis, & non timent maculare corda cruore innocentis.

Pergamus à Sacerdotibus ad Pontifices. Conquirunt undique testes, nolunt *Christum* condemnare nisi convictum ut videantur velle servare justitiam, interea non rejiciunt falsos testes: Dicunt *Christum* blasphemasse, & scindunt vestimenta sua, qui erat actus religionis: Nolunt intrare Prætorium *Pilati* die Azymorum ut viderentur servare legem *Moyse*, & non contaminarentur, interea non curant si *Christus* irridetur, conspuitur, & condemnatur die Paschatis. Denique cum fieret eis potestas à *Pilato* damnandi *Christum*, recusant, dicentes: *Nobis non licet interficere quemquam*, quid? non licet interficere, & licet magnis clamoribus & minis postulare ut crucifigatur?

Hypocrisis vestra in duplum peccatum vestrum auxit: Si occidissetis, soli peccassetis, nunc vero & vos & *Pilatum* reos facitis numinis trucidati.

Tu vero *Pilate*, quid aquam petis? abluis manus, & maculas animam: Quid proderit eluisse carnem, quando conscientiam foedas? Non audet *Christum* reum pronuntiare, ne sit injustus, & audeat crucifigere ne videatur populo reluctari.

Imo tam vult videri pius, ut cum intelligeret *Christum* esse *Galileum*, hoc est, de potestate *Herodis*, ad regem illum transmisit,

veritus alienam ditionem invadere, si *Christum* condemnasset, & non facit scrupulum illum ad crucem, supplicium latronum, damnare, quem paulo ante pronuntiaverat innocentem.

Quid plura? tunc maximè voluerunt videri religiosi in specie externâ, cum essent in animo maximè impii: Ergo omnibus auditis, tota tragedia passionis & crucifixionis *Christi*, ab initio usque ad finem, per hypocrisim subornata, incœpta, promota, & executioni mandata est. Igitur malum est quo nullum detestabilius.

Propterea *S. Ioannes* cum *Apoc. cap. 22* recenset peccata quæ homines cælo excludunt *Foris*, inquit, *canes, & venefici, & homicidæ, & idolis servientes, & omnis qui amat & facit mendacium*: Quis hoc est facere mendacium? mendacium enim loquimur, non facimus: Per hoc intelligit *Ioannes* hypocrisim, illa enim non loquitur tantum, sed etiam facit mendacium, mentitur enim vultu, animo, incessu, habitu, sacrificio, & hoc est facere mendacium: Ubique fallax. *Iezabel* jubet innocentem *Naboth* occidi ac lapidari, sed prius indicit commune jejunium, ut videretur *Naboth* ab ipso met Deo condemnatus; sic sanctitate jejunii innocentis mortem velat. *Herodes* se venturum, ait regibus, in *Bethlehem* ut *Christum* adoraret, noli credere, gladium parat infanti, non thura, nec aurum. Audio *Saulem Lib. 1 Reg. cap. 15* dicentem: *Peccavi, quia pravaricatus sum Sermonem Domini*: Non erant hæc signa animi contriti, sed magnæ superbix, quia sic loquebatur, ut *Samuel* illum coram populo honoraret, & ita evaderet ignominiam quam merebatur propter suam inobedientiam. Sic denique *Abjalon*, cum haberet in animo Patrem occidere, sacrificium Deo obtulit. Hypocrisis tota quanta est mendacium, propterea *Ioannes* inter peccata quæ cælo excluduntur, illam loco postremo posuit tanquam præcipuam quæ præ cæteris cælo excluditur.

Si hypocrisix cælo præ cæteris excluduntur, ergo nec templa ingrediantur, non in altari immolentur, cygni sunt, albas plumas habent, sed nigram animam, noluit sibi propterea Deus cygnos offerri, nec ingredi templum, nec poni in altari, habebat enim illas aves ut immundas: Non sustinet Deus in templo tales hostias.

Imo puto ego quod *Christus* ad hoc respexerit quando proposuit parabolam de rege illo qui instruxerat magnum convivium ad quod invitaverat obvios quosque quos servus invenerat in plateis, cum-

cumque jam mensæ accumberent, ingressus Rex locum convivii, vidit inter alios ibi sedentem hominem non vestitum veste nuptiali: Hoc miror quod solus Rex hoc animadverterit postquam notabili tempore accubissent.

Erat ingens numerus convivarum, & nullus hoc reflexerat? si ita, quomodo nullus illum monuit, aut apud Regem accusaverat? faciamus convivas dissimulasse; ubi manebant tot ministri mensæ, qui omnia perspiciebant?

Existimo ego hominem istum significare hypocritam, qui exteriori virtutis specie non carebat, qui fulgebat ad oculum, fordebat in corde. Ideo quamdiu fuerat inter homines, cultus apparuit, sed ubi Rex intravit, per quem *Christus* significabat Deum, qui scrutator est cordium, deprehensus est sine veste, & sine virtute: Ideoque iussit illum Rex apprehendi, & ligatis manibus ac pedibus extra convivium projici in tenebras exteriores.

Si ergo hypocritæ non tantum arcentur à cælo, sed etiam à nuptiis, cur non arceantur à Templis, ne Deo Cygni offerantur exteriori candidi plumis, interiori nigri carne? Si vetus hæc lex in vigore esset hoc tempore, quot deberent excludi Templis, & arceri ab altaribus? tot nempe qui ad Confessionem veniunt ut peccata confiteantur, & retinent in corde quod maximè dictum oportebat, tot qui veniunt *Christum* quasi osculo excepturi in Eucharistia, sed instar *Jude*, animo fætido illum prodituri; tot qui videntur *Christum* externa sua devotione avulsuri à Cruce, Deumque placaturi, dum intus pleni sunt odio erga proximum, & implacabiles, tot denique qui scrupulum faciunt in nugis, & etiam graviora passim peccata non curant, excolant culices, inquit *Christus* de *Phariseis*, & camelos deglutunt.

Optimam praxim nobis suppeditat *Augustinus* in cap. 7 *Matth.* ad similes lupos sub ovina pelle latentes, detegendos: Cum cœperint, inquit, similibus hominibus ea ipsa subtrahi vel negari quæ sua hypocritæ consecuti sunt, vel consequi cupierunt, tunc apparebit utrum lupus sit in pelle ovina, an ovis in sua.

Verissimum esse quod *Augustinus* hic ait, experti sunt duo gravissimi viri: Primus est *Discipulus*, celebris ille Concionatorum Magister, qui refert *Serm.* 100, de pœnitente filiâ quæ coram Confessario suo passim ita se humiliabat ut diceret se multorum scelerum ream esse, ob quæ non ipsa modo, sed & alii à Deo plecterentur:

Hypocri-  
tarum sum-  
perbia.

Confessarius hypocrisin subodoratus, in hæc ei verba respondit: *Revera*, inquit, credo quod ais, nam hoc idem ab aliis de te narrari audiui: Tum illa in tantam iram exarsit, ut Confessario diceret: Et, tu, & illi qui hoc tibi dixerunt, mentiuntur per collum. Enhumilitatem hypocrisis.

Simile pæne quid narrat *Nicolaus Cusanus* Cardinalis *Tom. 2. Exercit. lib. 7*: Mulier, inquit, fuit externa specie moribusque Sancta ac pia, quæ frequenter confitebatur, & peccatricem se atque improbam, nequam Dei servam, ore plenissimo profiteri non desinebat: Confessarius tractandarum animarum peritus, veritus ne, ut *S. Augustinus* loquitur, simulata sanctitas foret duplex iniquitas, post plures iteratas ejusmodi Confessiones, subjunxit Confessarius se quoque audivisse ab aliis eadem de ea dici à notis & cognatis, proinde tempus esse ut se corrigat & emendet. Quo audito illa ita turbata, irasci, ac convitia in illos spargere qui hoc dixerant, & asserere omnes splendide fuisse mentitos. Respondit illico Confessarius se nunc experiri illam vere esse improbam ac Versipellem, hominum oculis, instar sepulchri dealbati, mundam videri velle, sed tempus esse ut tandem ex illo sepulchro resurgat.

Sic seipsam sæpe prodit hypocrisis; dum enim virtutis tantum imago est, & non virtus, dum virtutem simulat quam nullam habet, dum fucos comparat ut tegat deformitatem, totum venenum in corde est, serpentes alit in animo, ideo cum *Christus* *Pharisæos* repetitis vicibus consequenter appellasset hypocritas, tandem dixit illos esse *genimina viperarum*. Quid pulchrius serpente si pellem aspicias tot colorum varietate ac macularum distinctam, sic apparet exterius, sed venenum latet interius; tange serpentem, flammæ spirabit & ignes, & tunc videbis quanta fraus sit in pelle, quæ tantum venenum habet in corpore.

Noli mihi loqui de illis qui ordinario orandi modo contempto, nescio quam contemplationem affectant, raros invenies qui non sint hypocritæ; vis hoc videre? tantum illos digito attinge, ostende ineptias, mox erumpet virus superbiæ, iracundiæ, & videbis animum omni Passionum genere plenum, qui prius tot speciosis coloribus relucebat in vultu. Non vult tales homines sibi offerri Deus, quia Cygni sunt, plumis candidi, nigri carne. Hac de re satis pergamus ad alia.

## DISCVRSVS VIII.

*Prohibet Deus sibi offerri Aquilam, Gryphem, & Milvum.*

Mirantur hic etiam Interpretes aliqui, cur Deus hasce aves non voluerit sibi offerri in Sacrificium, cum inter omnes alias excellere videantur & volatu & dignitate; aquila præsertim, quæ vocatur Regina avium, & propter excelsum volatus dicitur à Poëtis proximè appropinquare ad solem; quid ergo Deus in istis avibus reperit ut censuerit illas esse immundas?

Respondet D. *Ambrosius lib. 3. in Hexameron cap. 18*, quia illis avibus natura prædandi munus inolevit, nec tam sollicitæ sunt ut pullis suis cibum quærant, quam ut illos doceant rapere.

Præterea quantumvis alte volaverint, si prædam aliquam de longe conspiciuntur in terra, mox ex alto advolant ut illam rapiant; Denique rapaces volucres sunt, inquit *Isidorus*, ideoque immundæ, nec capaces ad Sacrificium, nec dignæ ut admoveantur altari.

Per hasce ergo aves designari avaros, in genere, & superiores in particulari, communis est interpretum opinio. Habent enim avari *Avaritia sordes.* magnos unguis ut aquilæ vel milvi, semper paratos ad rapiendum, & vix unquam mentem elevarunt in Deum quin statim advolent ad prædam.

Hoc tamen, inquit *Augustinus de verb. Dom.* inter avaros & beluas discriminis est, quod hæ tantum rapiant quando esuriunt, parcunt vero prædæ cum senserint satietatem. Avaritia vero sola insatiabilis est, semper rapit. Unde avaritia rectè vocatur insatiabilis cupiditas plura & plura semper habendi, omnia retinendi, & nemini quidquam dandi, ne quidem, inquit *Augustinus*, cum opus est, liberis: In hoc maximè similes milvis & aquilis, quæ pullis denegant alimenta, interea dum ipsæ sibi consulunt per plurimam prædam, ut ait Magnus quidam Scriptor modernus.

Hoc potissimum volo latius deducere in particulari. verbis alterius Scriptoris nostro sæculo celeberrimi, & maximæ dignitatis Ecclesiasticæ, ne, si ego propriis meis verbis discurrerem, politico- rum quorundam obloquia in me concitarem. Ferat vir ille tantus obloquia, qui scripsit, & publice coram nobilissimis auditoribus dixit de Cathedra.

Au-



Audite ergo illum loquentem & invehentem in avaros quosdam parentes, qui ne liberis quidem concedunt, quod natura, & jura concessere.

Postquam acriter in illos investus est qui filios prius mundum experiri volunt quam religiosam vitam amplectantur, quo, inquit, non explorata, sed oppressa adolescentis constantia est, seducto scilicet juvene à bonorum consuetudine, à præceptorum institutione, à frequentatione usuque Sacramentorum, & in sinum voluptatis, otii, licentiæque coniecto, tandem potestas ei fit abeundi in cœnobium; sed illa talis potestas est quam melius oppressionem & servitutem diceremus: Illis enim conditionibus in domum *Christi* adolescens secedit, quo *Jonas* in ventrem Ceti coniectus est. Arcesso tabellione, *Christique* nomine implorato, abdicare se bonis omnibus, juribusque jubetur, ut non modo fortunis se exuat quibus instruitur, sed iis quoque se omnibus abdicet, quæ ad eum pertingere aliquando possent. Nec ea transfert in sorores aut fratres tantum, sed iis quoque extinctis, recuperandæ hæreditatis jus nullum retinet: Imo quamvis consanguinei, & affines decissent, qui quovis titulo etiam remotissimo hæreditatem adirent, redire ad religiosum numquam hæreditas potest. Adeo plus substantiam suam ad exteros malunt, & ignotos pervenire, quam redire ad illos qui sunt propria ipsorum caro. Vidi ego, inquit, cum quidam ad cœnobium accessisset, litteras à parentibus nobilibus ac valde divitibus accepisse ut ocreas quantocyus ad se remitteret, quas induerat cum è domo parentum discederet: Alius è primaria *Italia* nobilitate cum *Christo* nomen dedisset, nondum elapso primo sui tyrocinii mense efflagitavit superiorem, ut familiari suo pileum, quem gestaverat cum intraret novitium, remitteret: Poterit, inquit, Superior, asservari in vestiario; tunc adolescens factus est se ad monasterium venisse cum pileo accommodato, quod parentes non satis honestum ei dedissent: Ergone aut nudati, aut nudandi sunt liberi qui accedunt ad Deum, interea dum alii qui mundum sequuntur, & sua hæreditate, & illa quæ aliis crepta est, perfruuntur?

Non ita agendum cum liberis esse mulierum prudentissima docuit *Anna*, quæ *Samuelem* filium suum obtulit Deo: *Adduxit eum*, inquit Scriptura *lib. 1. Reg. cap. 1.* ad Templum cum vitulis tribus, & tribus modis farinae, & amphorâ vini. Sed quia non satis ei erat semel liberalem

valem fuisse, per annum renovabat oblationis diem, & novis muneribus filium honorabat: *Fecerat enim illi parvam tunicam, quam afferebat statutis diebus, ascendens cum viro suo ut immolaret hostiam salentem.* Viden' ut hæc Mater non levatam onere domum suam existimaret filii sui oblatione in Templo? Obtulit eum, non abiecit, invisit proinde illum, vestivit, recreavit: Non dixit: Vivat de altari, qui ministrat altari: Si famulatur *Heli* Sacerdoti, is sua eum chlamyde vestiat. Non ita, sed filium splendidius habuit, coluitque in Templo, quam domi fecisset.

Interea parentes etiam ditissimi tam avari sunt cum Deo, ut vix ullus, ac ne ullus quidem quod sciam id pro filio religioso assignet, quod pro filio prodigo expromeret. Tandem exclamat vir ille: O portentosa avaritiæ! qui filios non norunt dum Deo serviunt, consequenter nec Deum cui se illi penitus tradidère, etiam pauper vidua duos obolos daret in cultum Dei, quos illi non semel manu versarent antequam in Deum expenderent.

Quam multi etiam retinere volunt filios suos vocatos à Deo ne abeunt in domum Dei, sicut *Laban* volebat retinere *Jacob* ne abiret in domum avi sui *Abrahe*: Mane, inquit, mecum, *experimento enim didici quia benedixerit mihi Deus propter te.* O sordidam avaritiam! tegeter saltem cupiditatem suam, & diceret: *Jacob*, noli à me discedere, ne caream te. & filiabus meis, quas duxisti in uxores: Sed avaritia dissimulari vix potest: Hinc liberi quos à Deo vocatos nolunt abire parentes, intelligere facile possunt quis illorum sit erga eos amor: Remane, *Jacob*, quia Deus benedixit mihi: Audis hoc? mihi, inquit: Putasne quod *Laban* te retineat apud se quia te diligit? Tui quidem meminit, sed seipsum diligit & opes suas, non vult privati pecunias: Sperat per te familiæ suæ stemma cohonestandum infans: Cæterum, si etiam servus aliquis hoc illi posset præstare quod à te sperat, non faceret difficultatem ut ires ad *Christi* obsequium.

Hi aquilæ sunt & Milvi, qui dum nihil aliud agunt quam rapere, nihil de rapina pullis suis participant, ergo tales indigni sunt ut adducantur ad aram, & Deo immolentur.

## DISCVRSVS IX.

*Deus prohibet sibi offerri Asinum in sacrificium.*

**H**Oc Sacrificium prohibuit Deus *Exodi cap. 13*, cum ageret de offerendis sibi primogenitis ovium, boum, caprarum, exclusit pullum asini, voluitque loco ipsius offerri ovem. Ratio autem cur noluerit sibi offerri asinum, est, quod quamvis forte animal sit, & natum ad labores, tamen tardum & pigrum. Per hoc voluit Deus significare ejusmodi homines qui ista vitia habent, ineptos esse ad suum obsequium, nec dignos qui sibi offerantur in victimam.

Duplex invenio ejusmodi hominum genus: De primo sic loquitur *Salomon Prov. cap. 26*: *Sicut, inquit, ostium vertitur in cardine suo, ita piger in lectulo suo.* Tales pigri sunt maximi peccatores de quibus sic ait *Hugo Cardinalis hoc loco*: *Habitant, inquit, in domo ruinosa, in corpore senio confecto, & vident ruinam, hoc est mortem quotidie ante oculos, & nihil agunt ut bene moriantur: Alij vident domum suam ardere, animam vident in igne libidinis, & tamen manent in lecto pigrity, nec curant illum extinguere lacrymis, & presens periculum, & futurum inferni incendium evadere. Alij vident fures intrantes in domum, cogitationes impuras, desideria inhonesta, nec semel clamant, nec movent ut illas abigant. Hoc primum genus.*

*Pigrity & tepidity in cultu divino.*

Alterum est eorum, qui prius ferventes fuerunt in obsequio Dei, & colenda virtute, & sensim eo delapsi sunt, ut pre tadio rerum spiritualium, nihil illis libeat agere ut ait *S. Thomas 2. 2. q. 55*, non orare, non legere, non sacrum audire, non conciones frequentare. De hoc ait *David Psal. 118*: *Dormitavit anima mea pre tadio.*

Quando hic torpor, inquit *D. Bernardus Serm. 63 in Cant.* Animam spiritualementem semel invasit, vigor lentescit, spiritus extinguitur, refrigerat fraterna charitas, derelinquitur timor Domini, & tandem inquit *Bernardus*, ruunt de excelsis in abyssum, de pavimento in sterquilinum, de folio in cloacam, de celo in coenum, & nisi ex illo torpore emergant, de Paradiso in infernum: Atque ita tepidity ad ima prolabimur: Dum enim fervor animæ nostræ languescit,

cit, ait nihil agimus, aut non agimus quod debemus, & tandem facimus quod non licet.

*Posuerat Deus hominem, inquit Scriptura Gen. cap. 2 in Paradiso voluptatis ut operaretur & custodiret illum.* Incepit *Eva* deambulare per Paradisum, & vagari per virentia prata, & valles amœnas, & garrere cum serpente, cum deberet laborare; defecit à suo fervore, pigra facta est, & aliud agebat quam debebat, cessabat à labore, & sequebatur delicias suas, & ecce in quæ scelera statim prolapsa est: Primo dixit Serpenti Deum sibi prohibuisse ne arborem tangeret, mendacium erat, tantum enim prohibuerat Deus ne de fructu illius comederet; mox ubi ex serpente audivit se fore ut Deum si comederet, exarsit cupiditate divinitatis, ex cupiditate aspexit arborem, & vidit quod esset pulchra oculis aspectuque delectabilis, ex visu venit ad manus, & tulit de fructu ejus, ex tactu venit ad esum, & tandem delapsa est in abyssum miseriarum, & facta est rea ignis æterni: Unde hoc? quia pigritiæ se dedit cum laborare deberet.

2. *David*, inquit Scriptura lib. 2 Reg. cap. 11, surgit de strato suo post somnum meridianum, ascendit in solarium domus suæ, & dum illic nihil agens, spatiatur, videt mulierem se lavantem, & primo peccat desiderio, deinde re ipsa: Ex quo fonte hæc scelera fluxere? ex mera tepiditate, tunc enim, inquit Scriptura, se otio dedit, cum deberet ad bella procedere, & arma tractare, sed fervor ille jam elanguerat: Hinc istæ miseriæ.

3. Filij *Israel* in deserto coeperunt ludere, & bibere, cum deberent desistere peccatum Idololatriæ quod illo ipso loco commiserant, & gravissime puniuntur à Deo.

4. *Sampson* homo prius tam fervidus, tam animosus ut Leonem discerperet, ita intepuit, ut cum deberet pugnare contra *Philisthaos*, se conjecerit in sinum *Dalila* meretricis: Quænam isthinc mala consecuta sunt?

5. *Petrus* Apostolus quanto fervore promiserat *Christo* in cæna se moriturum cum illo?

Paulo post ita deferbuit in horto, ut cum deberet orare, dormiret, & factus est perjurus. Verbo ut dicam, quisquis incipit torpere, perit: Quando enim optima quæque incipiunt depravari, pessima fiunt.

Hinc non est mirum, quod Deus legatur, nonnumquam

minora gravius punivisse quam majora.

Aspice fratres geminos in Evangelio, ambos à Patre se junctos: Alter abierat in regionem longinquam, ubi se effudit in omne genus libidinis, hic erat ille qui passim vocatur filius prodigus. Alter non longe domo in agros secesserat venaturus, & hic erat frater ipsius major.

Verum qui substantiam cum meretricibus dissipaverat, nunquam est Patri oblocutus, sed inter suos & glandes adhuc meminerat Patris cum honore, & ad illum redit, ante illum provolvitur, ejus non jam dici filius, sed mercenarius optat. E contrario Senior, quamvis minus peccarit, contumacius tamen rebellat Patri; quem non modo non convenit, sed etiam accedentem ad se rejicit inurbanè, ausus objicere parenti quod sibi filio morigero nunquam hædum dedisset, cum fratrem suum redeuntem à lupanaribus, stola nova convestivisset, & lauto excepisset convivio, Fratri invidet, irascitur Patri, non vult intrare domum.

Uter hic tibi videtur è fratribus contumacior, is ne qui omnem pecuniam tam foede dissipavit, an qui parenti sic restitit cum tanta irreverentia? proculdubio gravius peccaverat junior quia foedius & diutius, quam senior, qui semel, & non tam scandalosè: Promptius tamen, & majori cum humilitate se subjicit junior qui gravius peccaverat, quam senior qui tepidus erat & aliquid retinuerat pietatis. Hinc patet difficilius sæpe esse tepidum ad meliorem frugem converti quam pessimum. Quapropter non debemus mirari quod Deus tepiditatem interdum gravius puniat, quam majora peccata, ut jam in exemplis patebit.

*Agar* ancilla *Abrahae* tam superba evaserat ut despiceret *Saram* dominam suam, quæ illam expulit domo, cumque venisset in solitudinem, occurrit ei Angelus Domini, dixitque: *Revertere ad dominam tuam, eamque solatus, ecce, inquit, paries filium, & vocabis nomen ejus Ismael, & multiplicabo semen tuum.* Reversa, denuo peccavit, nam videns *Ismaelem* filium suum petulanter ludentem cum *Isaac*, non correxit immorigerum, tunc jussu ipsius Dei, rursus domo ejicitur sed, nunquam amplius reditura: Ecce gravius punitur dum colludit cum puero, quam dum superbit in dominam: Ergone ludus gravius scelus est quam superbia? nequaquam: Sed voluit Deus ostendere quod difficilius sit curare tepentem quam superbientem, propterea volebat in domo *Abrahae* tolerari superbiam, quia

quia major spes erat illam curandi, quam teporem qui difficilius aut raro curatur.

Hinc quoque videbis quare Deus gravius puniverit *Nabuchodonosorem* cum se jactaret de magnificentia *Babylonis*, regiae civitatis à se aedificatae, quam cum tres juvenes principes in fornacem ardentem conjiceret igne cremandos: Nam cum innocentes damnasset ad mortem, terruit eum Deus dumtaxat in somniis, quando autem se jactat de urbe sua, sceptrum ei arripitur, deturbatur è solio, & pellitur in silvas ut vivat cum bestiis, non quia tunc gravius peccaverat, sed quia tepidus erat.

Quid dicam de *Aarone*? & hic duo peccata commiserat: Fece- rat vitulum aureum in idolum, & *Israëlitis* proposuerat adorandum; quid poterat gravius fieri à Sacerdote? peccaverat etiam quando Deus jusserat virga percuti petram, ut fluerent aquae, dubitabat tantum an hoc posset fieri: Propter hanc dubitationem, forte non admodum gravem, sed animae languidae signum, mortuus est in deserto, & exclusus terram promissionis.

Quid denique non est passa Sponsa in Canticis propter unam tepiditatem & pigritiam? Veniebat sponsus noctu ad januam domus illius cum illa jaceret in lecto, pulsat ad ostium bis terve, sed cum illa non aperiret, clamat *Aperi mihi*, cum ne tum quidem aperiret, blanditur, vocat illam sororem suam, amicam suam, columbam suam, immaculatam suam. Denique cum illa nec tunc se moveret ut aperiret, ærumnas suas exponit, dicit se perplutum, & nebula nocturna perfusum, stare in tenebris: Nec tamen sponsa se movet: Quid tandem hoc erit? an forte sponsa aliis curis distenta non poterat interrumpere quæ agebat? vel non audiebat pulsantem, aut clamantem? aut vocem illius non agnoscebat? an forte orabat, aut ægrotabat? nihil horum: Quid ergo? pigritabat in lecto, & sibi ipsi dicebat: *Expoliavi me tunica mea, quomodo induar illa? lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* O sponsa! fierine potest? tantine moliminis est induere vestes ut aperias dilecto? quid interest si inquines pedes tuos jam lotos, modo sponsum tuum admittere possis in domum? frustra est, jacebat in lecto, non dormiebat quidem, sed tantum jacebat, & pigritabat, eoque teporis devenerat ut pluris faceret lectum quam dilectum, pedes quam sponsum. Hæc est illa sponsa quæ tot laudibus prius sponsum extulerat, quæ toties anhelaverat ad ejus adventum, toties illum in-

vitaverat in suum hortum, toties clamaverat, ubi est dilectus meus? quæ aliquando tantum non præ amore moriebatur cum abesset, quæ ultro per noctes illum in lecto quæsierat, quæ flo-ruerat sicut lilium inter spinas, quæ toties abierat ad montes Myrrha ut se mortificaret, & extra tumultum hominum viveret inter leones & pardos, vacans in solitudine exercitiis spiritualibus. Ubi modo est ille fervor? prorsus elanguit.

O quam caro stetit illi hic languor! ipsam audite quid passa sit. Surrexi, inquit, nempe quando ferius erat, ut aperirem dilectus meo, at ille declinaverat atque transferat, egredior domo, curro per plateas media nocte inter tenebras, quæsevi illum, & non inveni, vocavi, & non respondit mihi: Invenerunt me custodes qui circumveniunt civitatem, & percusserunt me, & vulneraverunt me, & tulerunt palium meum.

Adeone dure ac severe egit sponsus cum sponsa propter unum teporem? quid miraris? audi quid Christus iusserit dici per Ioannem Apoc. cap. 3. Episcopo Laodicea: Utinam, inquit, frigidus esses aut calidus, sed quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.

Ergone peius est esse tepidum quam frigidum? ex hoc textu apparet quod sic: Mavult enim Deus frigidum quam tepidum. At frigidus inquis, est qui nihil agit, tepidus, qui aliquid agit, sed negligenter: Nihil refert. Nam 1. ait Salomon Prov. cap. 18. Qui mollis est in opere suo, frater est sua opera dissipantis. Et Eccles. cap. 4. Noli esse remissus in operibus tuis, quia maledictus vir, inquit Ieremias cap. 48, qui facit opus Domini negligenter, ut aliqui vertunt. Numquid malles ancillam aut servum nihil agere, quam aliquid negligenter agendo, totum opus corrumpere?

2. Qui opus Dei tepide faciunt, similes illis sunt qui Christo vinum obtulere felle mixtum. Quando enim bonum opus faciunt, vinum illi propinant, sed quando tepido ac negligenti hoc animo faciunt, pretiosum vinum felle commiscunt. Adeoque sicut Christus vinum felle mixtum noluit bibere, sic dicit Deus se ex ore evomere qui tepide bona opera faciunt.

3. Tepidus calorem aliquem habet virtutis, & sæpè ex priori fervore quem habuit, majorem habet notitiam bonitatis ac majestatis divinæ, propterea majorem ab eo Deus habet averfionem, quod illum non amet prout bonitas ejus meretur, nec reveretur prout exigit ejus majestas.

4. Tepor à minimis incipit, ut supra vidimus, non enim fervidus homo facile statim in majora prolabitur, sed sensim; vel quia de minimis non ita dolemus, aut non ita curamus, sive quod in minimis gravissimorum criminum semina delitescant, juxta illud *Ecles. cap. 19. Qui spernit modica paulatim decidet*: Minora enim fervorem minuunt, & sic firmus tepidi, robur animæ labefactant, & sic firmus debiles, & fervore diminuto, & viribus labefactatis ad majora disponimur, nec valemus tentationibus diaboli ita resistere. Tepidus ergo est, qui, ut ait *D. Dorotheus Serm. 3*, dicit: Quid refert si recreationis causa verbum impurum protulero? quid refert si in die jejunii aliquantum plus comederō? quid refert si orationem matutinam aut vespertinam neglexerō? ex hoc, quid est hoc, & quid est illud, inquit *Dorotheus*, quid refert hoc, quid refert illud? datur initium ut etiam gravissima tandem contemnamus.

Denique tepidi valde difficulter curantur: Quia tepiditas, nec propriè peccatum est, nec innocentia: Similis mihi videtur aurore, quæ cum nec nox sit, nec dies, sole caret & stellis. Peccatorem jacentem in luto multis modis possumus inde extrahere: Tepidum nullus audet movere, quia non jacet, sed stat, adeoque aut nihil curandum censemus, aut si quid sit, tam leve putamus, ut non videatur operæ pretium illi manum admovere, & sic difficilis est illius curatio.

Propter omnes illas rationes jam allatas dicit Deus se tepidos, & tardos, & pigros evomere ore suo, adeoque sicut prohibuit primogenitum asini sibi offerri in sacrificium, sic rejicit à se homines illos qui tarditate & pigritia, isti animali similes sunt.

## DISCURSUS X.

### *Deus prohibet sibi offerri Lepores.*

**V**ix ullum inter animalia timidius lepore est, etiam tremit ad minimos strepitus, numquam occurret venatoribus ut se contra vim illorum defendat, sicuti faciunt leones, apri, urfi, tauri &c. Ipsi cervi aliquando, quamvis valde timidi, etiam cornibus audent resistere, sed lepus semper fugit. Ergo per leporem significatur



cantur hominés timidi, adeoque sicuti Deus leporem tamquam animal imbellem reiecit à sacrificio, sic voluit per hoc significare homines imbelles & timidos ineptos esse ad suum obsequium.

Sunt autem multæ timidorum hominum species, nulla quæ valet. Prima est eorum qui scrupulis aguntur. 2. Qui timent clamari si vexantur impuris cogitationibus. 3. Qui despondent animum si semel labantur. 4. Qui timent se nihil proficere. 5. Qui timent bene agere propter homines. 6. Qui timent ubi nihil profus timendum est, &c.

scrupuli  
& scrupulosi.

Incipiamus à prima specie, & videamus timorem scrupulorum. Hi plerumque omnia perditâ putant, si vel minima tentatione pulsantur, omnia habent suspecta, in omnibus etiam minimis se turbant & timent.

Petebat olim à se Propheta David Psal. 42. *Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me?* non dicit se turbari à malo spiritu, sed à tristi anima, adeoque si quis læto animo sit, nullum esse à tentatione periculum. Propterea addit: *Confitebor tibi Domine in cythara.* Dolorosa debet esse confessio, sed cum cythara, hoc est, non debet carere lætitia. Dicit ergo David Deum, etiam in confessione, requirere & planctum & gaudium. Quid ergo est confiteri in cythara? hoc est, plorare sine timore, in ipso dolore gaudere. Vis jam scire quis sine cythara Domino confiteatur? scrupulosi, qui post confessionem numquam securi sunt, semper timent ne male confessi sint. Mirum diaboli inventum, ut incipiant confessionem horrere, cum deberent lætari se esse confessos.

Audi rursus quid dicat David Psal. 57. *Vim, inquit, faciebant qui querebant animam meam: Ego autem tanquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum: Videsne quomodo Propheta doceat conflegendum cum dæmone? Non audire, nec loqui: Et ne putes Prophetam non fuisse exauditum à Deo, quia filebat, è contrario dicit: *Factus sum sicut mutus: Tu tamen exaudies me Domine Deus meus: Ergo vox Davidis qua in tentatione clamabat ad Deum, silentium ejus fuit: Non sic scrupulosi: Auscultant dæmoni, multa secum, & cum dæmone loquuntur lingua, oculis, manibus, nutibus, & ideo semper timent, ne male fecerint etiam optima que fecerunt. Dæmon timore non vincitur, sed lætitia, non multis verbis, sed silentio: Ridendus hostis qui fremere potest, nocere non potest nisi tu velis, tunc autem vis, quando times.**

Ego

Ego, inquit diabolus, efficiam ut iste homo nec dormiat, nec manducet; persuadebo illi quod non semel dubitaverit de fide, quod non satis pie interfuerit sacro, non satisfecerit præcepto quia toties distractus, quia Sacerdotem non viderit, vel non audierit, quod conscientiam suam non bene examinaverit, quod se in confessione non bene explicarit, & ubi incœperit turbari propter umbras peccati, mox occurrent peccata alia super alia, ut plenus timore nihil agat quod valet. Quapropter nisi quis dæmonem explodat propter similes nugas, in periculo est ne gravius cadat. Ubi dæmon, præsertim animam piam, videt timentem & turbatam propter nugas, novas quotidie infanias ac inventiones excogitat, ut habeat quibus semper cum tentatione confligat, & interea negligat ea quæ ad profectum in virtute ac pietate necessaria sunt. Non sunt hæc viæ quibus perveniatur ad Deum, inter vias enim Domini non numerantur vani isti timores, & turbationes animi, quia nullæ viæ Domini sunt absque pace, fiducia, & quiete.

Altera Scrupulorum species priore deterior est, qui timent se damnandos quia malis cogitationibus vexantur. Quid ? tu- ne times excludi à cælo, & ideo turbaris cum tentaris ? quæ ratio ? quia, inquis, captivus trahor obscœnis phantasmatum imaginibus in lutum : Egone ejusmodi phantasiis tam crebro vexatus, possim salvari ? ut video, nondum bene edoctus es in schola Dei ; *David* enim dicit extorres fore è cælo, non qui cogitationibus rapiuntur, sed qui errant corde : Nisi enim turpitudinem quam cogitas, diligas corde, potes dicere cum sponsa in *Canticis cap. 1. Nigra sum, sed formosa*, quamvis nigræ cogitationes versentur in capite, propterea non desinit anima esse formosa : Quid ergo times excludi è cælo ? Non potest *Christus* odisse tentatum, qui non semel tentatus fuit à dæmone in deserto. Sponsa non reperit dilectum suum in lectulo contemplationis, sed in plateis tentationum, cum percussa & vulnerata longius abesse videbatur à sponso, Cogitationes illæ quæ te vexant, triumphum parant. Tam enim imbecillis est hostis noster, inquit *David Psal. 67*, ut si vel capillum verticis tangas, vincatur, sufficit, inquit, tangere *verticem capilli perambulantium in delictis suis*. Quasi diceret : Ego didici tantam esse meorum hostium imbecillitatem, ut vinci possint si tantum unus capitis capillus tangatur. Ficta enim est & imaginaria illorum fortitudo.

*Puffillanti-  
mitis.*

N n n

Quod

Quod ut clarius intelligas, nota verba *Davidis*: *Perambulavit*, inquit, *in delictis suis*. Tu ambulas in innocentia tua quando illi veniunt oppugnatum animam tuam: Quid habes quod timeas, quando vincere potes si tangas tantum unum capillum? Quando vero audis *Davidem* dicentem quod *perambulent*, adhuc minus habes quod timeas: Perambulare enim nihil aliud est quam in exiguo spatio se exercere, adeoque idem spatium sæpius percurrere per transfennam, non enim audet diabolus hærere si tu generoso animo sis; si vero times, ex illo tuo timore diabolus audacior fit, & ubi tantum venerat ut per transfennam animum tuum perambulet, fixam sedem figit ut fortius te oppugnet. Noli illius vires timere, & non timebis damnari.

Tertia species timidorum est illorum qui animum despondent, si semel labantur. Invenies quidem homines severos qui dicant: Virtus si semel titubet, frangitur. Audiant illi quid dicat sponsa *Cant. cap. 2. Sicut Malus*, inquit, *inter ligna sylvarum, sic dilectus meus*. Quænam est ista similitudo, comparare dilectum suum Malo, quæ frondes amittit in hyeme, & tot mensibus quasi arida est instar trunci? quare non potius comparat illum Cyparisso vel Cedro, quæ numquam virorem suum amittunt?

Nihil minus, Malo arbori comparat, ne illi animum desponderent ex quibus interdum folium defluit.

Propterea sponsus se florem campi appellat, ubi pleraque modo arent, modo virent, ubi nullus flos videtur in hyeme, & nihil non floret in vere.

Et sane si Deus illam sanctimoniam tantum probaret quæ numquam labitur, rari scripti essent in libro vitæ *Petro* dicitur *Matth. cap. 16. Tu es Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam*, & tamen petra illa frangitur ad vocem unius ancillæ, non ideo tamen petra esse defuit, aut Ecclesia super eam fundata labat. *Myses* dubitavit an ex petra posset educere aquam, non ideo tamen defuit esse Sanctus. *Ioannes* qui in cæna recubuit supra pectus Domini, hauserat inde divinitatis arcana, in horto, orante *Christo*, dormitavit, post, victo *Christo*, aufugit, & tamen eo crucifixo, persistit sub cruce intrepidus. *Ionas* post revelationes fugit à Deo, & timuerat prædicare in *Ninive*, postea tamen summo ardore oravit in ventre Ceti, & inter Sanctos, ac Prophetas Domini numeratur. Audio *Davidem* clamantem *Psal. 9. Tu Domine exaltatus*

de portis mortis, sed addit: *Vt annuntiem omnes laudationes tuas in portibus filia Sion.* Non solum labitur *David* post innocentiam, sed etiam jacet in medio mortis; inde tamen non eruitur solum, sed etiam exaltatur, & statim dicit se transpositum in montem *Sion* quo nihil est sanctius, & post adulterium ac homicidium eo sanctitatis pervenit ut nullus illo rex fuerit sanctior.

Humanum est labi, quid ergo despondemus animum, omniaque perdita existimamus si forte semel labamur? ipse *Deus* non spernit sanctitatem labantem. *Apostoli* omnia reliquerant propter *Christum*, & tamen ex ambitione inceperunt disputare quis eorum esset primus, non ideo desierunt gaudere quod publicè in concilio, propter *Christum*, cæsi fuissent flagellis: *Noë* sua pietate mundum servaverat, & non servavit se ab ebrietate, postea tamen & Prophetat, & Deo sacrificia offert. *Magdalena* post tot lacrymas amoris, nimio dolore abripitur ut mortuum lugeat fratrem, iterum tamen & *Christum* audit loquentem, & summo cum amore, & lacrymis quærit illum in sepulchro: Dies me deficeret si singula percenterem.

Hoc ad extremum notandum est quod Sancti si cadant interdum, non diu hærent in luto, & ut exsurrexerint, clarius refulgebunt, & ferventiores fient. Quare si lapsus es, noli equidem timere, nec desperare, potes enim ex *Saulo* fieri *Paulus* & ex *Publicano* fieri *Apostolus*.

Quarta species timidorum est illorum, qui metuunt bene agere propter homines, aut difficultates occurrentes in via virtutis: Propterea vel non audent facere bona propter obloquia hominum, vel desistunt ab eo quod semel bene inceperunt.

Respectus  
humani in  
exercenda  
virtute.

Quoad primum, quid stultius quam timere dicta hominum in exercenda virtute, quidquid enim agas, semper erit quod aliqui maximè probant, alii improbabunt, quod hi efferunt usque ad cælum, illi depriment usque ad infernum, & ego propter hominum dicta tam stulta, & sibi mutuo adversantia, non audebo facere bonum? Cum *Christus* faceret miracula, quidam, inquit *Ioannes cap. 7.* dicebant quia bonus est, alii autem dicebant, non, sed seducit turbas, non ideo desistebat *Christus* facere miracula: Si *Magdalena* hominum obloquia & dicta timuisset, numquam *Magdalena* fuisset, sed semper peccatrix mansisset; ut autem *Magdalena* fieret, non tantum non obloquia timuit, sed contra audacior ivit.

Diu illa peccaverat, & nemo loquebatur, convertitur, & nemo de ea non obloquitur.

Prosternitur ad pedes *Christi*, & adversarios patitur. Plorat, & peccatrix dicitur, epulas parat, & prodiga dicitur: Sive lacrymas effundat sive unguentum, non potest compefcere susurrone. Habet sibi infestos non tantum Phariseos, sed etiam Apostolos.

Vultis videre quam parum hoc *Migdalena* curaverit? Sæpè per famulos exploraverat quò *Christus* divertisset. Audivit abyssè in templum, non accurrit, dixit enim intra se, qui luget in templo, potest laudari: Intellexit illum secessisse in sylvam cum suis Apostolis, non ivit; potest enim peccatrix lugere in solitudine, sed non potest ubi non est turba hominum, pudore suffundi: Nuntiaverant famuli *Christum* esse in domo matris suæ: Absit, inquit, ut eo Vadam, mater enim me plorantem consolaretur. At ubi intellexit *Christum* in domo Pharisei accubuisse, hominis tam impudentis ut nec Deo parceret, tunc exclamavit: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Jam non lugebo tantum, sed etiam pudore suffundar: Quantum effundam unguenti in pedes Domini, tantum famuli in me profundent injuriarum: Ergo eo ivit, ibique sui doloris theatrum extruxit, ubi & Pharisei audacia, & famulorum impudentia dolentem disteriis impeterent. Sed quid ad me si multi ibi obloquentur? dummodo *Christo* placeam, quid mihi cum hominibus? garriant illi, ego plorabo: Dicant illi fanda atque nefanda, ego *Christi* pedes osculabor & ungam: Numquid præstat *Christo* placere bene agendo, quam timere displicere hominibus si bene agas? Ergone quidem, si totus mundus tibi obloqueretur, desistendum à bene inceptis, alioquin timidum animal es quod Deo non meretur offerri.

*Via virtutis non est difficilis.*

Tu vero quid times? difficultates quæ occurrunt in via virtutis? Ego autem dico nullas esse difficultates in exercenda virtute: Scio antiquos Philosophos & Poëtas contrarium docuisse. *Hesiodus* enim ait *Ode 7. Virtus continuus labor est.* *Plato Lib. 2 de Repub.* dicit viam virtutis esse valde difficilem ac laboriosam. *Simonides* propterea sedem illius statuit in arduis rupibus.

Ego autem dico cum Philosopho *Seneca Lib. 2 de Ira cap. 13.* Non est, inquit, arduum ad virtutes & asperum iter, ut à quibusdam dictum, plano adeuntur: Non enim sunt majores difficultates quam tu ipse facias; si timidus es, *frangis laborem in præcepto*, inquit *Davies,*

*David*, timido enim ac pusillanimi omnia difficilia sunt, si generosus es, nullæ sunt difficultates, animo enim generoso etiam difficilissima facilia sunt, & gravissima, levia: Ergo ut via virtutis facilis sit vel difficilis pendet ex tuo arbitrio.

Vis hoc clare videre? experieris ex illis quæ quotidie fiunt in mundo. Quid vis? numquid difficile est in se noctem integram vigilare, & postridie capite laborare, & fracta habere membra? quid ais? difficile est, inquires. Rectè: Hoc tamen non est difficile domesticæ, sed jucundum, dum publico tripudio interest: Quomodo hoc potest esse jucundum quod difficile est? quia libenter facit, & ideo facile est.

2. Numquid difficile est, totos dies invigilare negotiis sæcularibus, studere, scribere, discurrere, timere jacturam, prævertere pericula, mille curas habere? &c. difficile est, inquires, rectè, ideo enim conjugium præsertim, magnum onus vocatur: Et tamen hoc non est difficile iis qui inhiant lucro: Unde hoc? quia amor lucri omnia facit facilia.

Quid difficilior quam agere militem? quam cubare in dura humo, dormire sub dio, pati ardores, frigora, famem & sitim, proficisci per nives & grandinem, pugnare, vitam exponere? & tamen plurimi suam inde capiunt voluptatem: Quomodo hoc fieri potest? amor gloriæ omnia facit facilia.

Sic singula quæ difficilia sunt in mundo, si percurras, reperies nihil tam difficile esse quod non jucundum aut facile videatur, quia amatur, & libenter fit, pro quo? pro mundo: Quid ergo tam difficilia videntur quæ fiunt pro virtute & Deo? tædium parit Missa si diutius durat, horremus mortificationes, timemus adversitates, non ferimus nobis contradici, non habemus animos ut frangamus Passiones nostras, ideo ista difficilia videntur; si vere Deum ac virtutem diligeremus, faciliora longe illa forent quam omnia quæ fiunt pro mundo: Tales homines tam timidos ac pusillanimes non vult Deus admittere ad suum obsequium.

Postrema denique species timidorum est illorum, qui timent ubi nihil prorsus timendum est, nec ulla timoris apparentia. Audi hæc de re pulcherrime differentem Philosophum *Senecam Epist. 13 ad Lucilium*: Plura, inquit, sunt *Lucili*, quæ nos terrent quam quæ premunt, & sæpius opinione quam re laboramus: Illud tibi præcipio ne sis miser ante tempus, cum illa, quæ velut imminetia ex-

N A 3

payisti,

pavisti, fortasse numquam ventura sint, certe numquam venerint. Quædam ergo nos magis torquent quam debeant; quædam ante torquent quam debeant, quædam cum omnino non debeant. Aut augemus dolorem, aut fingimus. Quomodo, inquis, intelligam an vana sint an vera quibus angor? accipe hujus rei regulam. De præsentibus facile est judicium: Quod futurum est, hodie nihil habet negotij: Si futurum est, primum dispice an certa sint argumenta venturi mali, plerumque enim suspitionibus laboramus.

De hujusmodi hominibus ait *David Psal. 13: Illic trepidaverunt timore ubi non erat timor.* Bene ait *Seneca: Suspicionibus ducimur, & ideo etiam umbras timemus. Ut præ oculis quasi videas quid hoc sit: Propono tibi quod narrat *Famianus Strada de Bello Belg.* pag. 397: Cum Dux *Albanus*, inquit, *Daventria* esset in *Transsilvania*, aliquos exploratores emisit; hi non multum proveci, strepitum tympanorum audiunt, mox quatuor vexilla conspiciunt, & illico ad *Albanum* redeunt, referuntque adventare hostem, & in proximo esse: Vix poterat *Albanus* adduci ut crederet, quia tamen à speculatoribus diversæ nationis id asseverabatur, propere tribunos, præfectosque admonet ut sint parati ad pugnam, & aciem instruit, simul alios qui propius observent hostium vires & numerum emitit, quibus inde digressis in conspectum veniunt quatuor vexilla, prælata totidem curribus velo ac fronde intectis in quibus nova nupta magno agrestium circumludentium comitatu in vicinum pagum vehebatur; & sictota trepidatio versa est in hilaritatem, præteriensque sponsa ante aciem festo sclopörum plausu confaltata est. Vides hic quid sit trepidare ubi non est timor? quoties nos tristitia timemus, sed vanè, quia sæpe desinunt in hilaritatem. Timentur, inquit *Hilarius in Psal. 54*, quæ non timenda sunt, sic & fit ut non timeantur quæ timenda sunt: Dum enim vanè timeamus futura quæ forte numquam evenient, præsentia quæ timenda sunt, non curamus.*

Quotquot jam vidistis species hominum timidorum ac pusillanimum, naturam leporis habent, adeoque sicut Deus noluit sibi lepores offerri in Sacrificium, sic & timidos homines non vult admittere ad suum obsequium, magnis enim animis opus est ad illi serviendum.

## DISCURSUS XI.

Deus prohibet sibi offerri corvos.

Veterum proverbium est, *Vox corvina*; quænam illa vox? *cras*, *cras*: Notum est illud *Augustini* dictum: *Cras, cras*, corvi vox est, & illud quod ait *Sophonias* Propheta *cap. 21*: *Vox cantantis in fenestra, corvus in superliminari*; audio canentem avem, inquit Propheta, in fenestra, super liminare: Quam avem? corvum: Quid canit? *cras, cras*, hæc enim illi vox naturalis est.

Quinam per corvum significantur, docet *Augustinus Serm. 16 de verb. Dom.* Vox corvi, inquit, multos occidit, dum enim dicunt: *Cras, cras*, subito clauditur ostium: Ego ipse, inquit in *Confessionibus*, aliquando talis etiam fui in præterita vita. Sentiebam me teneri à meis cupiditatibus, & jactabam miserabiles voces: *Quamdiu, quamdiu? cras & cras*: Et quare non potius hac hora finis turpitudinis meæ? Per Corvum ergo significantur peccatores qui de die in diem differunt agere penitentiam: Merito tales homines reperit à suo obsequio Deus.

O miserum *cras*, & plenum periculis! Cui enim exploratum est, inquit *Cicero de Senect.* se ad Vesperum esse victurum? *Sera nimis* vita est *crastina*, inquit *Martialis Poëta lib. 1.* Hoc inculcant etiam *Dilatio penitentia* omnes sacri Scriptores, inprimis *D. Iacobus Apostolus cap. 4*: *Ecce, & convertimini.* inquit, *qui dicitis cras ibimus in illam civitatem, & faciemus ibi quidem munus, & mercabimur, & lucrum faciemus, qui ignoratis quid erit in crastino*: *Qua enim est vita nostra? Vapor est ad modicum parens*: *Ne glorietis in crastinum*, inquit *Salomon Prov. cap. 27, ignorans quid superventura pariat dies*. Propterea cum quidam nomine *Messodamus* in crastinum invitaretur ad epulas: Cur me, inquit, vocas in crastinum? ab aliquot jam annis crastinum diem mihi numquam polliceri, sum ausus, quia in horas singulas mortem expecto: Spondit quidem Deus, inquit *Gregorius Magnus Hom. 22 in Evang.* Veniam penitenti, peccanti vero diem crastinum non promisit.

Quapropter clamat *Paulus Apostolus Ephes. cap. 4*: *Sol non occidat super iracundiam vestram*: Quod de iracundia dicit, multo magis de aliis gravioribus peccatis dicendum est: *Sol non occidat super luxuriam tuam, super injustitiam tuam, super inimicitias tuas, super detractiones tuas &c.*

Om-



Omnia denique paucis verbis complectitur *Salomon Eccles. cap. 5* dicens: *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem* quare? quia subito, dum minime cogitas, venire potest ira illius, & disperdere te.

Numquid hoc verissimum est? quanto enim spatio distat anima tua à morte, & æternitate? non amplius quam unico halitu: Non magno apparatu opus est ut mors dividat animam tuam à corpore: Neque tota telorum pharetra exhaurienda est ut transfigat cor tuum: Unus aër malignior & corruptior afflat te, vel humor aliquis è cerebro cadit in pectus, aut cordis calor suffocatur, & mox nihil superest vitæ, & prius te ad æternitatem abreptum esse mitaberis, quam metueres abripiendum: Mille sunt mortis numquam prævisæ viæ, mille causæ, tot quot sunt in corpore non tantum sensus, sed etiam fibræ, & nervi, & pori; ipsam mortem ubique circumgestamus in sinu: Ergo, inquit *Salomon*, non differas de die in diem agere pœnitentiam ne subito obruaris à morte.

Hinc passim in Scripturis reperio illos rejici à Deo vel *Christo*, qui loquebantur pro futuro tempore, dicentes, faciam hoc vel illud. *Matth. cap. 8* veniebat ad *Christum* quidam legisperitus, qui dicebat: *Magister, sequar te quocumque ieris: Christus* noluit illum admittere in discipulum, debebat enim dicere, jam, jam sequor te, nolo differre quod jam possum facere; ne forte postea non habeam tempus.

Eodem modo veniebat alius cui dicebat *Christus* *sequere me*, at ille respondebat: Permite me prius sepelire Patrem meum: Quid hoc est opus? inquit *Christus*, quare differs me sequi cum possis modo? *Dimitte ergo mortuos sepelire mortuos suos, & sequere me* hoc momento: Quia nolo discipulos sequuturos, sed diligo sequentes, propterea nolo tibi tantum temporis concedere ut Patrem sepelias.

Sicut *Christus* fecit, sic etiam *Deus*. *Isaia cap. 1*, clamat ad *Judeos*: *Lavamini, mundi estote, auferite malum cogitationum vestrarum, quiescite agere perverse, discite benefacere*. Nihil pro futuro hic imperatur, sed omnia pro præsentis; non enim dicit *Deus*, volo ut postea lavemini, ut post aliquod tempus desistatis male agere, ut cras benefaciat, sed hoc momento.

Sic & *Oseas* ex ore Dei *cap. 14* clamat: *Convertete Israel ad Dominum Deum suum: Dixerunt: Reddemus vitulos labiorum nostrorum, Nihil mihi,*

mihî, inquit Deus, cum tempore futuro, volo ut jam sine ulla dilatione convertamini, & statim desistatis agere perverse.

Eadem vestigia tenuere Apostoli. Cum enim D. Paulus in celebri illo Concilio *Atheniensium*, de Resurrectione mortuorum differeret *Act. cap. 17*; *Quidam*, inquit Scriptura, dixerunt, audiemus te de hoc iterum: Statim Paulus, nullo addito verbo, egressus est è Concilio, illosque contempsit, quia dicebant: *Audiemus te postea*; sciebat enim postea non audituros, qui jam non audiebant, conversio enim non patitur dilationem.

Sed audiamus: quamdiu velles, ô peccator, differre pœnitentiam tuam? ad unum alterumve mensẽ, vel certe usque ad Pascham? sed clamat contra te *Augustinus*: Quare non modo finis turpitudinis tuæ? quare non hoc momento? quid est quod te impedit vel detinet? forte una femella? forte prava societas? forte illecebræ voluptatum tuarum? Ergone fortiores sunt sordes illæ ut te detineant, quam misericordia Dei quæ te vocat, & vult ut sine dilatione pœnitentiam agas, ne subito moriaris in sceleribus tuis æternum damnandus?

Sed ponamus diutius vivas, semel equidem moriendum est, & putas te feliciter moriturum si sine pœnitentia vixeris, illamque distuleris usque ad mortem? Ego sane admodum vereor, quia, ut ait R. adm. *P. Paulus Oliva in Comment. select.* non nisi duos in Scriptura invenio, qui redierunt ad Deum cum morerentur. Primus fuit Rex *Ezechias*, qui jam jam moriturus dicitur ingemuisse, & fletu magno planxisse, & ideo vitam impetravit, ut nos Deus doceret ne hujus Regis exemplo non differremus pœnitentiam usque ad mortem, quando illum maluit vivere quam mori ut tempus haberet quo peccata amplius sua posset deslere, cum prius tempus quod habuerat, non bene impendisset; sed quid magis incertum, imo quid periculosius quam sperare quod Deus in morte, sicut fecit *Ezechia*, longiorem tibi vitam concedet ut pœnitentiam agas?

Alter fuit latro in Cruce, qui cum totam vitam sceleribus sine pœnitentia transgisset, in morte ingenuit, veniamque impetravit: Sed habebat *Christum* ad latus sibi præsentem, habebat ad manum, ipsummet medicum & Salvatorem corporaliter, qui tunc plenariam toti mundo Indulgentiam publicabat. At quam certitudinem habes tu quod *Christus* tali modo tibi sit adfuturus in morte? Privilegium illud boni latronis, nullam facit consequentiam pro aliis.

O o o

Ergo

Quare ergo non potius conijcis oculos tuos in alium latronem, qui quamvis ipsum *Christum* haberet præsentem, desperatus tamen interiit, & periit? vidit hic patientiam Domini, poenitentiam socii, fugam solis, tremorem terræ: Audivit sana monita socii qui illi dicebat: Tu ergo non times Deum? omnia explosit. Audivit *Christum* alteri latroni condonantem peccata, promittentem caelum, nihil juvabat. Vidit milites præ dolore percutientes pectora sua, nihil movebatur. Ipse cum plurimi lacrymarentur, blasphemabat: Vixerat latro, & mortuus est blasphemus: Carnifices *Christi* dolière de morte Domini, ille dolere noluit, facilius conversi sunt qui *Christum* Crucifixère quam qui poenitentiam distulerat. Adeoque quasi portentum videtur tunc novam vitam inchoare cum vita desinit: Qua fiducia ergo putas tibi eventurum in morte quod bono latroni, & non potius times quod malo latroni evenit? cum in Scriptura tantum unicus reperitur qui se in morte converterit, & poenitens obierit, ubi in historiis innumeri reperiuntur quibus secus contigerit.

Possẽm hujus rei integrum catalogum texere: Unum aut alterum seligo ex multis.

1. Narrant D. *Antoninus* p. 2, *Sum. Tit. 9*, & *Bidermannus lib. 3 Antonimat.* fuisse adolescentem qui, se totum virtuti ac pietati dederit ex metu ne subita morte ex hac vita discederet, eamque ob causam multis precibus Deum rogabat ut mortis tempestive admoneretur ne imparatus discederet: Exaudita tandem est oratio ejus, nam adfuit illi Angelus, qui asseveravit se illum præmissis nuntiis monituum. Hoc nuntio accepto, coepit ubique relinquere signa lætitiæ, & ex optimo evasit in pessimum, nec jam parentes, nec propinqui, nec Magistratus poterant illum cohibere, hoc unum enim solitus erat dicere, ego prius quam mors me occupet, me emendabo: Evenit ut iter faceret, & incidens in latrones graviter vulneraretur. Hic erat primus mortis illius prænuntius, supervixit tamen, nec curavit. Vix dum vulnus coierat, quando navi conscensa, mari sereno caelo se committit, sed exorta tempestate ingenti, alii clamare, tendere manus, veniam peccatorum rogare, vitæque mutationem spondere: Solus ille adolescens nec salutis anxius, nec scelerum memor perstabat. Hic erat alter prænuntius mortis. Non multo post hoc periculo defunctus, coepit gravissima febris laborare, quæ sic illum confecit ut pro deposito conclamaretur.

tur: Nihilominus expectabat nuntium, qui mortem illi nuntiaret: Cum tandem adfuit Angelus qui illi dixit breue vitæ momentum superesse: adolescens perturbatus coepit exostulare quod se non prius & in tempore monuisset: Cui Angelus: Jam tertio te monui primo per vulnus lethale quod à latronibus accepisti, deinde per tempestatem, denique per hunc morbum qui aliquot diebus duravit, medicos instigavi qui mortem indicarent, contempstisti: Parentes subornavi qui monerent, reiecasti: Curionem submissi qui meliora suaderet, exclusisti. Hoc dicto evanuit: Vix hæc moribunda voce & brevissime circumstantibus narraverat adolescens, quando infelici morte sine pœnitentia discessit è vita.

Alterum narrat *Ianus Erishreus in Exempl. 6. 53*: Audivi, inquit, ipsemetin æde *D. Augustini*, concionatorem virum doctum ac piæm narrantem de cathedra, se paucis ante diebus, celebri quadam urbis via euntem, de fenestra cujusdam domus fuisse evocatum, rogatumque ut ascenderet, ut morienti cuidam assisteret, cumque accurrisset, invenisse virum jam morti proximum, cui concubina serviebat: Excepit Confessionem ægri, sed graviter illum admonuit, ut si salvus esse vellet, statim mulierem istam dimitteret: Nunquam, inquit æger, hoc faciam, quia maxime ejus operâ jam indigeo, nec volo tam ingratus esse ut eam dimittam. Petit ergo Confessarius ut saltem juraret, se, ubi convaluisset, mulierem dimissurum: Respondit se nihil in præsentia posse promittere, se deliberaturum ubi valetudinem recuperasset. Confessarius hoc audito, quasi desperatâ hominis salute, discessit, sed nondum limen domus attigerat, revocatur, lætus quod putaret ægro meliorem mentem à Deo injectam, sed invenit illum sine sensu ac mente & statim post expirantem.

Tertium contigit hic *Antverpiæ*, cuidam *P. Cornelio Danckaert*, qui dum viveret ageretque in Domo professa, notissimus erat toti urbi, propter zelum quo plurimas meretrices extraxerat è cæno libidinis. Erat inter alias una, quam per plures annos istis sordibus immerfam sæpius admonuerat fore ut æternum damnaretur nisi resipisceret, & sincera Confessione misericordiam Dei impetraret: Frustra erant omnia. Et ecce subito illa paroxismo opprimitur, vocatur *P. Cornelius*. sed ille à Janitore diu per domum quæsitus, tandem repertus est ad aram sacrificare, finito sacro statim ad extremam urbis partem, ubi ægra decumbebat, se contulit, invehit-

que illam passis crinibus, vultu ac oculis ungue dilaceratis, inftar furiaē desperabundam, subito expirasse. Quo spectaculo, aut potius spectro attonitus Pater, hoc domesticis ac vicinis saluberrimum monitum reliquit: Hic videtis verum esse quod ait *Christus*: *Quaeritis me, & non inuenietis, & in peccatis vestris moriemini, quare ergo Deum dum inveniri potest.*

Hoc est quod magna voce clamat *D. Paulus* Apostolus *Galar. cap. 6.* *Dum tempus habemus, operemur bonum*: Clarum est quod *Paulus* loquatur de tempore hujus vitæ, quia post hanc vitam, ut dicitur *Apoc. cap. 10*: *Tempus non erit amplius*. In hac vita prætervolant horæ, transeunt dies, effluunt menses, dilabuntur anni, vita tota semper in motu est, & ecce post primum momentum quo anima egreditur corpore, & æternitatem ingreditur, mox audit: *Tempus non erit amplius*: Nulla spes amplius obtinendi bravii, decursum est stadium; nec referendæ coronæ, confectum est bellum, nec comparandi merces, finitæ sunt nundinæ, nec intrandi in cælum, clausa est janua, *tempus non erit amplius*: Nunquam posthac orietur sol, ut quis pro salute possit negotiari, nulla amplius eluceſcet dies, qua pro æternitate laborari possit, nullum indulgebatur momentum, quo quis salutem operari possit: *Tempus non erit amplius*: Nullum amplius tempus quo expiari possit conscientia, quo delicti possint peccata, solvi debita, propitiari Dei justitia, agi poenitentia, augeri gratia. *Tempus non erit amplius* nec Jubilæi, nec pietatis, nec misericordiæ, nec favoris, nec amicitia cum Deo.

Non poterat hinc solidiorem consequentiam trahere *Paulus*, quam hanc: *Ergo dum tempus habemus, operemur bonum*: Est enim, inquit *S. Gregorius Nazianzenus in Sententiis*, vita nostra quasi mercatus, cujus dies cum abierit tempus non erit emendi quæ velis. Apud mortales in usu est certos dies nundinis præfigere. Quicumque igitur cogitat pecunia res necessarias sibi comparare, in tempore debet accedere, finitis enim nundinis, occasio emptionis præterit: Eandem cælo mercando legem posuit Deus, spatium scilicet vitæ præsentis, ubi hæc abierit, actum est, nulli amplius conceditur tempus mercandi, emendi, negotiandi.

Adeoque non potest esse magis legitima consequentia quam hæc: *Ergo dum tempus habemus, operemur bonum*, si enim modo non operemur, nunquam tota æternitate operabimur. Quisquis ergo totum hoc tempus sine poenitentia transigit, vult omnia perdere, qui

quia ne unicum quidem momentum habebit postea, quo possit vel micam lucrari. Adeoque qui hoc tempus non impendit ut operetur bonum, totus vult esse Malus, quia postea nullum poterit Malo remedium adhibere.

Hinc S. *Conradus* Episcopus *Hildefemiensis*, ut narrat *Cantipratanus* Lib. 1. *Apum* cap. 3 semper illud *D. Pauli* monitum repetebat in corde: *Dum tempus habemus operemur bonum*: Dederat illi occasionem ad hoc visio quædam quam habuerat. Surrexerat nocte ut studeret, sequenti die dicturus ad populum, cum in extasim raptus videre sibi visus est præsulem quemdam mitra insignem rapi ad Dei tribunal. Examinatur continuo causa ab assidentibus, & mox fertur in illum mortis sententia, exiit infula, annulo, cæterisque præfulis ornamentis, traditurque in manus carnificis. Tum qui iudicio aderant, loco surgentes, discedebant, dicentes ad invicem: *Ergo operemur bonum dum tempus habemus*. Hoc facto, rediit ad se *Conradus*, & cum totus tristis secum cogitaret quis ille esset quem viderat in visione damnatum, pulsat ad ostium servus qui Dominum suum vespere proxime elapso subita morte extinctum narrat: Vixerat hic non secundum dignitatem suam, sed infamis vitæ & moribus. Hac visione percussus *Conradus* Episcopus, assidue habebat præ oculis illud: *Ergo dum tempus habemus operemur bonum*. Et quidem instanter, non differendo de die in diem, ut inquit *Salomon*, quia, ut ait *Iob*, *breves dies hominis sunt*; Ergo dum negligimus unum, & alterum, & tertium, omnes effluerunt antequam adverterimus.

Concludo hunc discursum & dico: Videmus passim celo excludi qui instar corvi nihil aliud clamant, quam cras, cras, & illud cras durat usque ad mortem, quid mirum si Deus tales nullo modo velit admittere ad suum obsequium, sicuti olim corvos volebat sibi offerri in sacrificium.

## DISCURSUS XII.

*Deus prohibuit sibi offerri Bubones & noctuas.*

**N**on oportet longe quærere, nec diu speculari quinam per hoc animalium genus significantur, notæ sunt illorum proprie-

0003

prie-

prietates. Primo enim non ferunt lucem solis, quia cæci sunt in luce. 2. Acute vident in tenebris, & ideo semper volant de nocte, & versantur in obscuro.

Invidiæ e-  
jusque de-  
scriptio.

Primo ergo hic designantur ii qui lucem alienam, hoc est, virtutes vel felicitatem non ferunt, hoc est, invidi, de quibus communi proverbio dicimus: Non possunt ferre quod sol luceat in aqua, quia tunc maximè ferit oculos.

2. Designantur ii qui assidue in obscuro versantur, & tenebras quærunt ut tanto liberius peccent.

Incipiamus à primis, de hisce sic loquitur *D. Antoninus Part. 3 Tit. 8 cap. 1.* Sicut aves nocturnæ non ferunt lucem diei, sed noctis tenebras amant, sic invidi non ferunt alienam felicitatem, sed bene adversitates.

Hoc vitium ita execratur Chrysostomus ut dicat *Hom. 46 in Genes.* Tale malum est invidia, ut suâ malitiâ reliqua omnia superet.

Vultis hoc probatum videre? 1. Nullum est vitium ex quo homo non accipiat aliquam voluptatem, veram vel fictam. Interroga furem quare diripiat aliena? respondebit cum *Livio Lib. 6.* Maxima dulcedo est ex alienis fortunis ditari: Vel cum *Salomone Prov. Cap. 9.* *Aque furtivæ dulciores sunt.*

Interroga avarum quid ita sordide vivat? respondebit cum *Poëta:* Omnis mea voluptas est spectare pecunias jacentes in arca, easque suo tempore numerare.

Interroga superbum, quid ita se extollat, aut jactet? respondebit cum *Persio Satyra 1.* *Pulchrum est digito monstrari & dicitur hic est.*

Interroga hominem gulosum aut temulentum, quid ita sit effusus in cibum & potum? respondebit cum  *Davide Psal. 103.* *Vinum letificat cor hominis, pellit curas, & melancholias.*

Interroga hominem aspirantem ad magna officia & dignitates, quare terat limina aulæ, gratiam captet magnatum? respondebit cum *Ecclesiastico cap. 10.* Quid jucundius quam gloria divitum honoratorum? Vel cum *D. Thoma 2, 2 q. 103.* Nihil potest esse in rebus humanis vel corporalibus majus honore.

Interroga hominem libidinosum quid tantopere videat in luxuria? ille præ cæteris respondebit, voluptates.

Interroga hominem vindictivum quid spectet in hosti malefaciendo.

ciendo? respondebit: Potestne majus esse solatium quam defendere honorem suum?

Interroga hominem impium cur tam libere, & sine ullo fræno præcepta Dei, & Ecclesiæ transgrediatur? respondebit: *Non bene pro me libertas venditur auro.*

Denique enumera singillatim omnia quæ sunt in mundo peccata & mala, nullum prorsus inuenies, in quo homines non inueniant aliquam voluptatem vel emolumentum, præter solam inuidiam. Tantum enim abest ut inuidendo aliquam habeat voluptatem, ut è contrario dicat *Curtius Lib. 2* quod sit tormentum sui ipsius, & *Augustinus Serm. 83 de Temp.* Vocat *carnificem animi*. Jam vero quid ex invidia emolumenti? nihil, nec enim invidus unquam ditescet ex bonis alterius cui invidet. Ergo ex hac parte, ut ait *D. Chrysostomus* nullum malignius vitium quam Invidia.

Ex altera parte, omnia reliqua peccata habent pro objecto malum, unde non mirum si inde malum eliciant: Sed Invidia habet pro objecto virtutem & bonum; Et ex bono malum elicere, hoc, inquit idem *Chrysostomus*, diabolicum est: Propterea *Bellovacensis in Spec. morali Lib. 3 Part. 4 Distinct. 1.* Invidos comparat araneæ: Sicut, inquit, aranea, quidquid fugit è floribus, in venenum convertit, sic invidus omne bonum proximi capit in malam partem, ac corrumpit: Adeoque vere avis nocturna est quæ non fert lucem.

Exempla hanc veritatem clare ostendent. Scriptura non semel dicit Scribas & *Phariseos Christo* inuidisse: Unde hoc patet? ex eo præsertim quod nullum pœne opus bonum faceret *Christus* ex quo non traheret malum. Docebat in Synagogis, prædicabat in templo, at illi dicebant: Unde hæc illi scientia? filius fabri est, numquam studuit. Multos convertebat de plebe: At illi dicebant: Numquid aliquis ex principibus in illum credidit? Ejiciebat demones: At illi dicebant: Facit hoc in potestate diaboli. Ibat ad convivia ut peccatores converteret. At illi dicebant: Potator vini est: Sanabat ægros, at illi dicebant, illum esse peccatorem. Remittebat peccata, & dicebant illum esse blasphemum.

En meras noctuas quæ lucem virtutum in alio non ferunt, ideo vel illas conspurcant, vel conantur imminuere, vel tegere ne appareant.

Poteris hoc videre in illis aulicis de quibus loquitur Scriptura

*Lib. 4.*



*Lib. 4. Reg. cap. 1.* Ægrotabat rex *Ochozias*, dixitque ad aliquot nobiles sibi adstantes: *Ite, consulite Beelzebub Deum Accaron, utrum vivere queam de infirmitate hac.* Cum irent, occurrit illis in via *Elia*, dixitque ad eos: *Numquid non est Deus in Israël ut eatis ad consulendum Beelzebub Deum Accaron? redite, & dicite regi vestro. De leillo quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris.* Illi reversi nararunt regi quid vir quidam sibi occurrens in via dixisset. *Cujus figura & habitus,* inquit rex, *est vir ille qui occurrit vobis?* responderunt: *Vir pilosus, & zona pellicea accinctus renibus.* Ergone in *Elia* aliud nihil eminebat nisi pellis & barba? nullus ergo in vultu pallor ex jejuniis? nullæ notæ Sanctitatis in oculis? nullus fervor in verbis? nulla gravitas in toto corpore? nulla in canâ cæsarie majestas? nulla singularis modestia in gestibus & actionibus? Quis dubitat? Sed isti nomines, ne regem turbarent, volebant contemptim agere de *Elia*, ut rex ipsius dicta non multum curaret. Propterea nihil de ipsius virtutibus, has tegunt, & hoc unum ajunt, vir est cum zona pellicea, & proluxa barba; sic faciunt invidi, dum virtutes aliorum non ferunt, quantum possunt invidiunt, vel conantur ita suppressere ut non appareant.

Itaque cum illi homines lucem non ferant sicut bubones & noctuæ, non vult Deus illas admittere ad suum obsequium, sed indignos & ineptos illos æstimat qui sibi offerantur in sacrificium.

Alterum genus hominum quod avibus nocturnis simile est, sunt illi qui assidue versantur in tenebris, vel ut tanto liberius peccent quasi Deus illos non videat, vel quia illos pudet *Christum*, ejusque virtutes coram hominibus profiteri.

*Erubescensia in colendo Deo.*

Ex postremo genere fuit *Nicodemus*. *Hic,* inquit *D. Joannes cap. 3.* *Venit ad Iesum nocte:* Quid veniebat facturus? ut veritatis viam disceret à *Christo*, tanquam cælesti magistro, sic enim incipiebat suum colloquium. *Rabbi, scimus quia à Deo venisti, nemo enim potest hæc signa facere que tu facis nisi fuerit Deus cum eo:* Profitebatur *Christi* divinitatem, & volebat ab illo doceri: Valde bene: Sed quare venit de nocte? quare hoc non facit pleno die ut omnes videant? Erat, inquit *Joannes, ex Phariseis, & princeps Judæorum.* Quid inde? pudebat tantum doctorem, ac principem, in conspectu aliorum ad *Christum* accedere, ab eoque doceri, quem plerique alii contemnebant ut hominem abjectum, nulliusque doctrinæ. Quid hoc ad illum? quid curabat aliorum judicia, quando ipse ja-

dicabat *Christum* venisse à Deo, Deum esse cum illo, eumque esse divinum doctorem, hominemque de cælo delapsum? an debebat illum pudere ad talem hominem accedere, & non curare quid alii dicerent? Turpiter ergo erravit *Nicodemus* quod ad *Iesum* veniret de nocte, in tenebris, & forte antequam intraret sapius circumspexit an nullus illum videret: Pessimus pudor in viro tam sapiente, quem aliqui putant propterea à *Christo* non fuisse adscitum inter Apostolos. Hunc tamen metum *Nicodemus* sua generositate postea emendavit, quando pleno die venit ad montem *Calvaria*, & adstantibus *Judeis Christum* de cruce deposuit, ejusque corpus pretiosissimis unguentis condidit, suisque manibus posuit in sepulchro.

Alioquin dicit *Christus Luca cap. 9. Qui me erubuerit, & meos sermones, hunc filius hominis erubescet coram Patre, & Sanctis angelis, cum venerit in majestate sua.*

Ex priore genere fuerunt illi de quibus *Salomon* agit *Prov. cap. 7 & Ecclesiast. cap. 23.* In primo loco dicit se aliquando prospexisse ex fenestra, & ex una parte vidisse juvenem stantem ad angulum plateæ, & ex alia parte meretricem egredientem è domo sua, mulierem, inquit, garrulam, & vagam, quietis impatientem, nec valentem in domo consistere, nunc foris, nunc in plateis, nunc juxta angulos insidiantem, denique totam ornatam atque compositam ad capiendas animas. Hæc involat in collum juvenis, osculatur, & suis sermonibus, inquit *Salomon*, & blanditiis ita seduxit juvenem, ut illam sequeretur in domum ad peccandum. Quandonam hæc fiebant? *ad vesperascente die*, inquit, *in noctis tenebris & caligine*, plane sicut hubones & noctuæ semper volant de nocte, sic peccatores, inquit *David, Psal. 81*, præsertim luxuriosi, *in tenebris ambulant, & nescierunt, neque intellexerunt, Deum ubique esse præsentem.*

In altero loco hujusmodi homines etiam describit *Salomon* hoc modo: Homo adulter, inquit, dicit: *Tenebrae me circumdant, & parietes cooperiunt me: Quis me videt? nemo circumspicit me, quem veror?* Itane vero? inquit *Salomon*, an ergo nescis quod oculus Domini omnia videat, & oculi ipsius lucidiores sint super solem, circumspicientes omnes vias hominum, & hominum corda intuentes in absconditas partes? quasi diceret: Tu fugis lucem, quæris tenebras, volas de nocte, ut pecces, quid tenebræ te juvabunt quando Deus omnia videt?

Præsentia  
Dei.

Quænam est ista insania? exclamat *Ambrosius Apolog. de David cap. 10.* Hominum oculos fugimus, & in conspectu Dei, quæ sunt indigna, committimus, Deum arbitrum omnium esse scimus, & eo teste peccamus. Frustra clamamus, *tenebra nos circumdant*, Deus videt: *Parietes nos cooperiunt*, Deus videt: Nemo hominum nos circumspicit, Deus videt: Frustra petimus, *quis nos videt?* Deus videt: Sed tu, inquit *Ambrosius*, in *Psal. 118*, hoc non vis credere, ne debeas tibi cavere. Putas ergo quod Deus te adulterantem in tenebris non deprehendet, qui te etiam in corde videt adulterantem?

Quando *David* inter parietes cubiculi sui scribebat Epistolam illam letiferam *Vria*, nemo aderat, sed Deus videbat: Quando summo palatii sui spectabat *Bethsabeam*, eamque concupiebat in corde, istam cogitationem in corde videbat Deus? Quando cum illâ peccabat in tenebris, nemo aderat, sed Deus videbat: Quando duo senes in pomario sollicitabant *Susannam*, nemo aderat, sed Deus videbat: Sic quando tu adolescens solus in cubiculo tuo scribis amatorias litteras, Deus videt: Quando obscuro vespere liberius agis, alibi in angulo cum altero sexu; Deus videt: Et tu fave vel ancilla quando inter vos aliquid dicitis vel agitis minus honestum, Deus videt. Denique Deus, inquit *Augustinus Epist. 3*, totus oculus est: Si egrederis, vidêris; Si intras, vidêris; Si lucerna extincta est, videt te, aut ergo castus esto, aut si peccare vis, quære ubi te Deus non videat, & fac quod vis: Quam ergo stultum est quærere tenebras ut fugias oculos hominum, quando nusquam potes effugere oculos Dei?

Audi hominum Ethnicum de hac re loquentem, & stupe: hoc est Philosophus *Seneca Epist. 43.* Quid prodest, inquit, ab homine aliquid esse secretum? nihil Deo clausum est, interest animis nostris, & cogitationibus medius intervenit. Adeoque, inquit *D. Thomas, Opusc. 58 cap. 2.* Si Dominum præsentem & omnia videntem cogitaremus, vix, aut numquam peccaremus.

Patet hoc 1. in Patriarcha *Iosepho*: Erat uxor *Putipharis* sola cum illo in domo, dicit enim Scriptura: *Nullus erat in domo*: Intrat ille solus cubile suum nemine conscio, sollicitatur ad adulterium: Non alio clypeo, inquit *Basilius*, se armavit, & victor evasit quam præsentia Dei creatoris sui.

*Susanna* videbat ostia pomarii sui clausa, altos parietes, à nemine

ne mortalium se conspici posse: Dicunt illi Seniores: *Ecce ostia por-  
maris clausa sunt, nemo nos videt.* Itane vero cogitabat secum *Susan-  
na, nemo nos videt* ? ubi ergo est Deus ! Quapropter, inquit, no-  
lo peccare *in conspectu Domini*: Ille nos videt.

Hinc cum olim magnus ille Philosophus Christianus *Athenago-  
rus* vellet probare *M. Aurelio* Imperatori & filio ejus *Commodo*,  
falsa esse scelera quæ Christianis Ethnici imputabant, hanc ra-  
tionem adferebat: Christianos credere quod Deus illos vide-  
ret noctu diuque, & omni loco, non modo dicta & facta, sed  
etiam cogitationes, & animi sensus. Ergo necesse est, inquit, ut  
in illis sit magnus timor peccandi, & reverentia tantæ majestatis  
presentis.

Denique qui hæc non considerant, tenebras quærunt ut pec-  
cent, volant de nocte, sicut aves nocturnæ, ideo merito tales  
à Deo arcentur ab aris, expelluntur è templo tanquam prorsus  
indigni qui Deo offerantur.

## DISCURSUS XIII.

*Vetuit Deus sibi offerri porcos.*

Princeps Medicorum *Galenus Libel. de Animal.* ait: Bruta quæ-  
dam, ut Simia, externis partibus hominem referunt; inter-  
nis vero nullum animal homini tam simile quam Porcus; quamob-  
rem, inquit, anatomiam in eo instituimus, & deprehendimus  
eandem compositionem, numerum, & symmetriam omnium  
partium in Porco quæ est in homine, unde recte per anagramma  
*corpus*, dici potest *Porcus*.

Sed non minorem similitudinem habet homo impurus cum  
Porco quoad vitam & mores. Enim numquam Porci cælum  
aspiciunt, sed semper incedunt capite oculisque demissis in terram.  
Nulla illis major voluptas quam volutari in luto, & sordibus,  
& sordes comedere: Ita, inquit, *Origenes Hom. in Psal. 17.* Porcis  
similes dicuntur ii, qui impuditiæ sordibus delectantur sicut  
Porci, qui fetorem omnem tanquam odorem suavissimum expe-  
ctant. Hinc olim, etiam inter Ethnicos, teste *Horatio Lib. 1. Epist. 4.*  
homines luxuriosi Porci vocabantur.

*Luxuriã  
& forni-  
catio.*

Ppp 2

Credo

Credo hoc ipsum *Christum* voluisse significare per parabolam sibi prodigi: Cum enim dixisset quod hic adolescens omnem substantiam suam dissipasset cum meretricibus, ait illum à Villico missum ut pasceret Porcos, eodemque cum illis cibo vesceretur in bara, quasi diceret, Porcus cum Porcis.

Notarunt etiam in hanc rem *D. Augustinus* & *Euthymius*, quod narrat *Matthens cap. 8*, videlicet, quod cum *Christus* daemones aliquot ex obsessio corpore vellet eicere, illi rogabant eum, ut sine- ret illos ingredi gregem porcorum qui prope erat, & dixit illis. Ite. Quod *Augustinus* hoc loco sic explicat: Permisit Dominus daemones ire in Porcos, ut ostendat diabolum in eis dominari qui vitam Porcorum gerunt, hoc est, toti immerfi sunt suis sordibus. *Euthymius* vero sic: Daemones ingrediuntur Porcos, eos scilicet, qui irrationabiliter converfantur, & in cœno voluptatum voluntantur.

Tandem quærit *Lactantius Lib. 4 de Relig. cap. 17*. Cur prohibuerit Deus *Iudæis*, non tantum sibi carnem Porcinam offerre, sed etiam comedere: Respondet: Ne vitam Porcorum imitarentur. Ergo sicut Deus Porcos rejiciebat à sacrificio, sic longissime à se arcet luxuriosos.

Interea, numquid verum est quod ait doctissimus quidam nostri sæculi scriptor, à multis, fornicationes præsertim, haberi pro ludo? Nescio, inquit, quo modo multis impudiciæ vitium ludus magis videatur esse quam scelus: Eo enim, inquit (loquitur de sua patria) ventum est, ut non uno in loco fornicatio, signum habeatur nobilitatis, adeo ut minoris jam pretii sit nobilitas si pudica sit. Quasi ornamentum juventutis petulantia est, isque splendorem familiæ suæ servat qui pudorem profigat. O mores! O tempora! Sic ille.

Tum ut ostendat quantum hoc vitium Deo displiceat, pergit hoc modo: Si, inquit, fornicationes, & adulteria lusus sunt, cur igne sulphureque de cælo impuræ urbes obruuntur? cur flammis regiones delentur? cur *Genes. cap. 6* dicitur de Deo: *Tactus dolore cordis intrinsecus, delebo, inquit, hominem*. Quare? quia caro est, & propter vitium carnis totum mundum aquis submersit. Vix Deus unam familiam delevit ob parricidium, & ob luxuriam totum mundum pro semel, *Sodomam* & *Gomorrham* in perpetuum destruxit.

Quid

Quid peccaverant *Achab* & *David*, uterque Rex, uterque homicida, sed *Achab* occiderat innocentem *Naboth* ut vineam ejus possideret, *David* occiderat innocentem *Vriam* ut cum uxore ejus committeret adulterium. Quid fecit Deus? parcit *Achabo* ad primam capitis inflexionem, nec malum inducit dum *Achab* vivit, *Davidi* post multas lachrymas, & jejunia, & cilicia, pœnam non remittit, sed plectit illum in filio, & per filium; in filio quando moriebatur. infans quem *Bethsabea* ei pepererat; per filiam, quando *Absalon* illum expellebat è throno: Nondum vides quod Deus gravius puniat adulterium quam homicidium etiam innocentis?

Vide plura. Olim inter *Judeos* nihil habebatur scelestius Publicano, quia opprimebant viduas, vexabant pauperes, spoliabant divites, & tamen vocatur è telonio *Matthæus* Publicanus, *Iesum* convivio excipit, statimque ab usuris ac rapinis ad evulgandum Evangelium destinatur, ex Publicano repente Apostolus: *Magdalena* vero quæ plurimis annis sese in omne libidinis genus effuderat, irrumpit jam amore divino faucia in domum *Pharisei*, fundit unguenta, effundit lacrymas, osculatur pedes, patitur dicteria convivantium, nihilominus non dicitur illi quod *Matthæo*, *sequere me*, sed *Ecce*, pacem quidem illi concedit *Christus*, quia fleverat, sed non invitat ad se sequendum, quia meretrix fuerat.

Altius adhuc intonat *Paulus Hebr. cap. 13*: *Fornicatores*, inquit, & *adulteros* judicabit Deus: Quid hoc? numquid omnes alios peccatores judicabit Deus? plane. Sed magis severe adulteros & fornicatores, horum pœnam sibi soli quasi reservavit: Numquid idem Apostolus *Ephes. cap. 5*, dicit avaritiam esse servitutem Idolorum? quid abominabilius coram Deo quam idololatria? nihilominus tamen, in hac epistola non ita terret avaros sicut adulteros aut fornicatores, terret judicio Dei, de avaritia vero hoc unum dicit: *Sint mores sine avaritia*: Fornicatoribus & adulteris fulmen Dei intentat, & cum de avaritia agit, ne quidem Dei aut judicis meminit: *Sint mores*, inquit, *sine avaritia*: Ergone fornicatio & adulterium graviora scelera sunt apud Deum quam avaritia, quæ tamen à *Paulo* dicitur idolorum servitus? quid dicam? In Epistola ad *Ephesios* dicit & fornicatores & avaros excludendos è cælo, sed fornicatores præponit tanquam primo plectendos.

Si quis vero miretur Deum huic peccato præ cæteris tam esse infensum, non mirabitur quando viderit, tot aliorum scelerum esse

esse fontem. Quo enim non abducit humanam mentem? *Salomonem*, cui Deus ipse apparuerat, abduxit ad cultum non unius idoli: *Sampsonem* invictum hostibus, tradidit vincendum: *Davidem* gigantis domitorem ad quæ scelera non pertraxit: Jam peccaverat cum *Bethsabea* uxore *Vria*, quando hanc Epistolam scripsit ad *Ioab* exercitus sui ducem: *Ponite Vriam ex adverso belli, ubi fortissimum est praelium, & derelinquite eum ut percussus intereat.* Quot crimina in uno! Post adulterium, fit proditor, & homicida, & pœne universum exercitum peccare coëgit. Jussit enim omnes milites proditores esse fortissimi ducis, *relinquite illum, inquit, ut intereat:* Nec minus proditor fuit *David*, quando illam ipsam Epistolam tradidit in manus *Vria* ut propriam mortis sententiam deferret ad *Ioab*. Et quanta crudelitas erat talem hominem occidere? vultis videre qualis fuerit: Volebat *David* ut redux à bello aliquantulum quiesceret in domo sua, & cum uxore sua se recrearet: Noluit ire, diu laborarat in exercitu, domus erat in proximo, non deerant deliciae, sequebatur eum cibus Regius, uxor pulcherrima eum expectabat, Rex illum urgebat, non ivit tamen, sed dixit: *Arca Dei, & Israel, & Iuda habitant in papilionibus, & Dominus meus Ioab, & servi Domini mei super faciem terræ manent, & ego ingrediar domum meam ut comedam & bibam, & dormiam cum uxore mea? non faciam rem hanc.* Quid poterat sanctius, quid fortius, quid fidelius dici: Ex respectu & reverentia erga arcam Domini, ex desiderio pugnandi pro Rege, ne limen quidem attigit domus suæ, uxorem non salutavit, filios non vidit, maluitque cum servis ante portam domus Regiæ quam domi suæ dormire. Hunc tamen tam Religiosum, tam strenuum, tam studiosum gloriæ Regiæ, tam negligentem commodorum suorum militem jubet *David* occidi, & tam inopinato, & clam, ut *Vria* nihil minus quam de morte cogitaret, adeoque quamvis illi animus fuisset ad expianda scelera, tempus defuit: Bene quidem sperandum de homine tam probo, sed per *Davidem* non stetit, quin sicut corpore, etiam anima periret. Ecce ad quæ scelera adulteriū semel commissum *Davidem* adduxerit: Ubi *David* fuit factus adulter, pudorem, fidem, libertatem, sinceritatem, mansuetudinem, humanitatem, justitiam, & fidissimum è suis ducibus simul amisit.

Sed eamus in *Setim*, & videamus quid isthic agat libido. *Morabatur*, inquit Scriptura *Numeror. cap. 25, Israël in Setim, & fornicatus est populus cum filiabus Moab.* Quid inde consecutum est? sequitur: *Quæ vocaverunt eos ad Sacrificia sua.* Quid

Quid ad hæc *Israelite*, cum vocarentur? numquid horrebant ad iritamentum idololatriæ? erant adhuc memores quod ob erectum olim vitulum ad triginta millia jubente *Moyse* fuissent interfecta, numquid ergo vocati ad sacrificandum idolis exhorruere? Nihil minus: Vocati mox abiere cum suis meretricibus, & adoraverunt, inquit Scriptura, *Deos earum*.

Et ne quis putet illos semel tantum, brevique tempore ante idolâ procubuisse, addit Scriptura: *Initialus est Israel Beelphegor*, hoc est, ut habet textus *Hebraicus*, *adhaerunt ipsi Baalphegor*: Non tantum adoraverunt, sed ita affectu & corde inhæsero idolo ut avelli ab eo non possent, magistrique fierent & auctores novarum superstitionum, sicut enim ait *David Psal. 105*: *Irritaverunt Deum in adinventio- nibus suis, & multiplicata est in eis ruina*. Et quis hic rursus non videt quanta scelera pullulent ex una libidine? & quanta inde proclivitas ad peccandum tanquam si non esset Deus in cælo.

Expende verba Scripturæ: *Fornicatus est*, inquit, *populus cum filiis Moab*: Hic primus lapis fundamentalis: Quid deinde? *Vocaverunt eos ad Sacrificia sua*: Quid postea? *At illi comederunt*: Quid denique? & *adoraverunt Deos*.

Notabene. Primo fornicantur: Mox abducuntur non paulatim, primum in hortos, deinde in lucos, tum in domos, ut demum, quasi data occasione, in Tempa idolorum eos feminæ invitarent, non ut sacrificarent, sed spectarent tantum & aras, & idola & Tempa, totumque ornatum. Nihil horum: Meretrices invitant, & illi statim, & sine mora, non coacti, sed lubenti animo, sacrificant, & adorant idola. Sic præceps agitur animus ad quævis scelera, ubi foedæ voluptati indulserit.

Hanc filiorum *Israel* fornicationem, inquit Scriptura, non tulit impunè Deus; sed iratus, mandavit *Moyse* ut maculam illam sanguine viginti quatuor millium elueret, *dixitque Moyse ad Indices Israel*: *Occidat unusquisque proximos suos*, & ita factum non sine maximo luctu & exploratione tot hominum qui cædebantur.

An propterea cessavit fornicatio? audite. *Et ecce*, inquit Scriptura, *unus de filiis Israel, intravit coram fratribus suis ad scortum Madianitidem vidente Moyse & omni turba filiorum Israel, qui stebant ante fores Tabernaculi*. O impudentiam libidinis, unus adhuc inter tot lacrymas, in luctu extremo, inter tot cæsos, in media morte, in tanti sanguinis fratrum suorum effusione, inter plagas divinas, intrare lupa-



lupanar, ut innocentiam tunc maximè violaret, quando miserrime jugulandus erat? quid denique faciet luxuria inter delicias, si tam petulans est in morte?

Quod si forte aliquis cogitet ex unius dumtaxat impudentia vel exemplo, consequentiam trahi non posse, audiat plura.

Mortua erat *Rachel* uxor *Jacob*, eodem quoque tempore mortua est *Debbora* nutrix *Jacob*, ipse utramque sepelivit summo cum luctu: Omnia adhuc erant in luctu recenter, sedebat *Jacob* cum filiis in tentorio suo aspersus cinere caput, indutus sacco, & dehebat mortem utriusque, quando *Ruben* ipsius primogenitus, illo ipso tempore, paucis post sepulturam *Rachelis* & *Debboræ*, diebus, egressus est, inquit Scriptura, ut peccaret cum *Bala* Concubina Patris sui, & ancilla *Rachelis*: Itane vero? tam sui impotens est libido in domo funeris, quid ergo faceret in domo ubi tripudiat, & ridetur, & resonant instrumenta?

Non minus absurdum est quod postea fecit *Iudas*, alter filius *Jacob*. Venditus erat *Ioseph* carissimus *Jacobi* filius, & abductus in *Aegyptum*: Hanc jacturam ita deplorabat *Jacob* ut diceret se moriturum præ mæore, nullum admittebat solatium, ibat accinctus cilicio, nolebat vel hominem alloqui: In hoc tamen luctu egreditur *Iudas* ut voluptati operam det, & peccet cum muliere *Chananae*: Ubi tandem non flagrabit impurus amor, quando etiam ardet inter tot lachrymas?

Et miramur Deum severius plectere peccatum fornicationis & adulterii quam alia peccata? nisi forte velimus dicere quod ideo severius plectat quia tam raro aut nunquam inter homines plectitur. Desertores fidei exuruntur, blasphemis candenti ferro lingua perforatur, parricidis amputatur manus & membra franguntur, homicidæ capite plectuntur, fures suspenduntur. Sola fornicatio nec semel punitur in foro, adulterium vix unquam; sic ex decem præceptis decalogi nullum est, cui, si violetur, non sit destinatum supplicium, præter solam fornicationem, quæ tamen à Deo in decalogo bis prohibetur.

Hinc tanta inter homines in hoc genere peccandi licentia: Cum enim hoc peccatum omnem Dei timorem expellat ex animo, quid restat nisi ut quotidie multiplicetur quando etiam nullus est timor supplicij humani.

Longum esset describere licentiam juvenum aliquorum etiam in

in Templis. Hoc unum hic animadverto quod lego *Genes. cap. 24* de *Rebecca*: Erat hæc inquit Scriptura, aspectu pulcherrima, & mirabiliter gratiosa; & ibat quotidie è domo paterna extra civitatem, cum hydria in humeris ut hauriret aquam ad usum familiarum. & ibat sola, & quamvis admodum dives, nulla comitante pedissequa; nec tamen legitur ab ullo unquam juvene domum deducta, nullius excepta susurro, aut Sermonibus nescio quibus: Tanta erat illorum temporum & sanctitas & innocentia, etiam inter idola, adeo etiam qui Veneri sacrificia offerebant, virginitatem reverebantur.

Dubito sane an si inter Christianos hac nostra ætate *Rebecca* egrederetur ad fontem cum hydria, non plus ignis referret quam aquam, quid enim non facerent ruri qui nihil non audent in Templis?

Animadverto etiam quod lego de Principe *Sichem Genes. cap. 34*, seduxerat hic juvenis *Dinam*, innocentem, filiam *Jacob*: Sed in ipso scelere pudoris non immemor, mox illam à parente ac fratribus expetiit in connubium: Non mittit nuncios ad *Jacob* ut hoc petant, ipsemet domum illius adit hoc postulaturus: Nunquid *Jacob* Pastor erat, & *Sichem* Princeps? & tamen ipsemet vadit postulaturus filiam exulis, & sororem Pastorum, in conjugem? ubi tanti Principis supercilium & Majestas? Imo quod magis mirere, omnia promittit illis dare si possit istam filiam Pastoris quam corruerat, habere in uxorem: *Quicumque*, inquit, *statueritis, dabo: Augete dotem, & munera postulate, & libenter tribuam quod petieritis, tantum date mihi puellam hanc uxorem.* Quid poterat amplius? offert duplicem dotem, cymelia quanta velint, principatum & omnia quæ habet, tantum ut consulat honori puellæ & fidelitati suæ, quia non dubito quin illi antequam peccaret matrimonium promiserit. Et hic juvenis Princeps, si nescitis, homo Ethnicus erat.

Quo devenere Christiani quorum multos non pudet pellicere Virgines ad peccatum sub promisso conjugii, quas cum deceperint, postea, violatione fidei, jam miseris illudunt? tantum abest ut ipsimet illas sibi in uxores tanto molimine, ut fecit Ethnicus ille Princeps, ad servandum illarum honorem, postularent.

Innumera possem enumerare flagitia quæ in genere fornicationum & adulteriorum passim fiunt per orbem, sed præstat silere. Hoc unum dico quod clamat *Ioannes Apoc. cap. 22: Foris canes*, hoc est, ut habet alia lectio, *impudici*, vel ut loquitur *Paulus, fornicatores*

& adulteri, foris tales homines, non enim habebunt hereditatem in Regno Christi & Dei: Si ergo excluduntur à cælo, quid mirum si, ut olim porci, rejiciantur ab aris ac Sacrificiis.

## DISCVRSVS XIV.

Prohibuit Deus offerri sibi Chamaleontem.

Q Uale animal sit *Chamaleon* docebit nos *Cornelius à Lapide* in cap. 11 *Levitici*. *Chamaleon*, inquit, colorem sæpe toto corpore mutat, nam ad colores quos videt, facillima conversione variatur.

Hinc *D. Gregorius Nazianzenus* per hoc animal ait significari hominem inconstantem; nam *Iulianum* Apostatam comparat *Chamaleonti*, sicuti enim, inquit, *Chamaleon*, facile variatur, omnesque colores assumit, ita & ille ex Christiano factus est Ethnicus.

2. Scribunt *Plinius* & alii Naturalistæ, *Chamaleontem* ex aëre vivere, nisi quod interdum captet aliquas muscas.

Tales, inquit *Cornelius*, *Chamaleontes* sunt qui se pascunt vento & aëre vanitatum, & laudis propriæ, & muscis honoris humani.

Adeoque sicut Deus per figuram exclusit *Chamaleontem* à Sacrificio, sic voluit reipsa excludi homines inconstantes.

Inconstan-  
tia homi-  
nis in ho-  
no,

Incipiamus à primis: Animus hominis est sicut terra, quæ ex eodem sinu, & flores profert & spinas, & herbas bene olentes, & fædos lumbricos: Ad omnia paratus est ager; seris frumenta proferet frumenta, sed simul cum frumento plerumque zizania. Talis est animus plurimorum: Eadem hora & maledicunt & benedicunt, lugent & rident, oderunt, & amant. *Saul* modo filiam in uxorem spondet *Davidi*, modo hastam in illum conjicit ut illum interficiat. *Petrus* una eademque nocte *Christum* defendit contra milites, & negat illum ex metu unius ancillæ: *Abalon* modo aëstus desiderio videndi faciem Patris, modo sitit ejus cruorem, & expellit è throno: Videmus aliquando homines incedentes inflexo capite, sese humiliantes, orationi vacantes, sicut olim faciebat Rex *Achab*: Sed iidem mox verbulo uno in coleram acti Prophetas expellunt, *Iezabelem* crudelissimam mulierem evehunt, & idolis suorum voluptatum sacrificant, Rex autem *Achab* post poenitentiam fecit: Ecce agrum qui modo flores, modo urticas & lumbricos producit.

Et

Et quia contraria juxta se posita magis elucescunt. Intuere *Iohannem* non minus constantem in fimo quam in throno. Specta *Paulum* ita exultantem in vinculis sicut in caelo quando eo fuerat raptus. Contemplare sponsam non minus amantem sponsum suum inter vulnera quam inter blanditias *Abraham* idem erat, sive uxor ipsius ei pareret filium, sive raperetur à Rege *Aegypti Abimelech*: Eundem servabat in vultu colorem, sive cum celebraret convivium cum filio eius *Isaac* ab lactaretur, sive cum filium ligaret in ara, ut propriâ manu illum occideret Deo offerendum. *David* æque læto animo fuit cum uno lapide prostravit gigantem, quam cum lapidaretur à *Semet*. Compara hosce viros cum illis qui in singulis horas mutantur, & vide quantum discrimen. Illi sunt instar cæli quod nec læditur, nec mutatur, nec deficit, sed semper stat incorruptum; hi vero non sunt nisi terra quæ profert quidquid illi injeceris.

Hanc hominis inconstantiam ac mutabilitatem variis coloribus descripsere Patres ac Philosophi.

Sic illam, loquens, de seipso, depingit *Bernardus, de Inter. domo cap. 62*: Facilius atomos mundi possem dinumerare quam motus cordis mei: Cogitationes meas non est qui possit comprehendere: Desideriorum meorum non est modus: Nunc illa, nunc ista cogito, & desidero, nec ista, nec illa habere possum. Dum corpore vaco, cogitationibus per diversa loca vagor, nulla hora, nullo temporis momento quiesco, sed in ictu oculi, novas creaturas creo, & iterum easdem eadem facilitate deleo, vel alio atque alio modo multipliciter vario: Modo me in fiduciam erigo, modo in diffidentiam cado: Nunc per constantiam figor, nunc subitaneo terrore concutior, modo me turbat ira, modo ingens furor exagitat. Nec illud adeo mirum quod variis qualitatibus, diversisque perturbationibus per singula momenta afficior, sed illud supra modum stupendum, quod sub eodem pœne momento sæpe contrariis affectionibus tangor, nunc odio, nunc amore, nunc gaudio, modo merore. Ita *Bernardus* de seipso.

*Origenes* vero sic in *cap. 2, lib. 1 Reg.* super illa verba. *Fuit vir unus*: Nos, inquit, qui adhuc peccatores sumus, non possumus illum titulum laudis acquirere: Quia unusquisque nostrum non est unus, sed multi: Jam enim irascimur, jam sumus tristes, paulo post gaudemus, & iterum turbati, & rursus lenes, adeoque

Q q q 2

tot

tot personæ in nobis videntur esse quot mores, tot affectiones, quot Passiones.

Denique uno verbo, inquit *Iob. cap. 14*: *Homo numquam in eodem statu permanet. Chamaleon* est qui induit omnes colores.

Sed nihil mutabilius hominis voluntate: Nesciunt homines, inquit *Seneca Epist. 20*, quid velint, nisi eo momento quo volunt: Multiformes sumus: Modo frugi sumus & graves, modo prodigi & vani: De aliquo quem vidisti heri merito dici potest, hic quis est? tanta mutatio est Quotidie iudicium variatur, & in contrariū vertitur. Nemo proponit sibi quid velit, nec si proposuerit, perseverat in eo: Hactenus *Seneca*; nec pluribus opus est, quod enim ipse & alii scribunt, hoc quotidiana experientia constat, & ubique habemus præ oculis. Ita ut *Iob* inter tot millia miseriarum quas homo patitur nullam magis communem, ac deteriorem existimet, magnèque deploret quam illius instabilitatem. *Homo*, inquit *cap. 14, natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis*. Verum est: Omnes enim creaturæ & elementa contra illum conspirant: Fortasse *Iob*, cum ait, *repletur multis miseriis*, ingentem nobis texet catalogum ærumnarum; non est opus, inquit, in una enim miseria comprehendam omnes scilicet *numquam in eodem statu permanet*; hic habes omnes ipsius miseriis quasi in unum coacervatas: Reliquæ enim omnes, ut frigus, æstus, paupertas, morbi, jactura bonorum, corpus præsertim spectant; instabilitas vero potissimum animam: Per illam enim factum est ut etiam maximi Sancti prolaberentur in scelera, & innumeri dum non perseverant in bono, æternum damnarentur: Plurimi vero ex fervidis ferent tepidi.

Nunquam melius videbimus instabilitatem hominis agentem partes suas, quam si omne genus hominum producamus in theatrum.

Quid à *Zachæo* non expectasses postridie illius diei qua *Christum* excepit? Si enim mensis nondum sublatis, tantum effudit pecuniæ, ut quæ furatus fuerat in quadruplum restitueret, quid non facturum putares quando audiverat jam *Christum* dicentem: *Hodie salus huic domui facta est, eo quod ipse*, dimidii erogatione patrimonii, *scelus sit filius Abrahæ*? Falleris: Ne quidem duo minuta postea misisse in gazophylacium legimus: Forte plus auri argentique in

arcam templi demisit, non tamen id ab Euangelistis scriptum, ad nostram fortassis instructionem, ut sciremus non esse certam bonorum perseverantiam, sed facile animi mobilitate deficere, etiam ubi exordia fuere præstantissimæ virtutis.

Videas *Zebedæi* filios prima *Christi* voce commotos, statim, relicto reti, ac patre ad Apostolatam convolasse: Postea ita superbiere ut primas sedes in regno *Christi* sibi deberi existimarent.

Intuere nunc *Gedeonem* prodeuntem in scenam, & Vide illum primo pugnantem pro Deo contra idola, dicit enim Scriptura *Judic. cap. 6* quod destruxerit aram *Baal* idoli, lucumque ejus, in quo colebatur, radicitus extirparit: Quid generosius? hic vir tamen paulo post ita defecit, & in contrarium mutatus est, ut Scriptura dicat *Judic. cap. 8* quod eadem manu qua idola destruxerat, idolum construxerit & posuerit illud in civitate sua *Ephra*, & omnis *Israël* illud adoraverit; quid magis impium?

Prodeant nunc simul in theatrum turmatim ii quorum sanctitatem mundus aliquando suspexit, & exhibeant nobis inconstantiam animi humani. Quid religiosus *Moyse*? dubitavit ille an potestate divina aquam elicere posset de petra: Quid sanctius *Asrone*? factus est non idololatra tantum Dei Sacerdos, sed etiam dux idololatrarum, & Sacerdos idoli. Quid fortius *Sampson*? factus est mancipium meretricis: Quid zelosius *Elia*? ille tamen qui audacter resistit regibus, timuit crudelitatem unius mulieris, & fugit. Sic *David* sanctissimus regum ad unius feminae aspectum factus est adulter: Sic *Petrus* qui dixerat se moriturum cum *Christo*, ad unius vocem ancillæ factus est perjurus. Sic tandem *Thomas* qui cæteris Apostolis dixerat: *Eamus & moriamur cum Christo*, factus est infidelis.

Quis hic non exclamet cum *Iob*, tanta est animi humani mobilitas ut homo nunquam in eodem statu permaneat?

Plurima sunt in natura cui animus iste comparari possit. Dico esse instar aëris, qui modo rorem pluit, modo fulmina jaculatur: Idem non raro vapor qui solis lumine variè coloratur, & fit iris, signum serenitatis, si alterius vaporis vi divellatur, mox erumpit in tonitru.

Dico esse instar maris quo nihil est blandius dum malacia est, nihil ferocius eodem sæpe momento dum ventis agitatur & fluctibus.

Dico esse instar terræ quæ dum suis floribus nos recreavit, paulo post urticas profert & spinas quæ pungant.

Dico esse instar rotæ figuli quæ ex eadem massa luti, modo phialam fingit ad ornamentum altaris, modo vas quod destinetur ad fordes culinæ.

Dico tamen animum humanum similem esse præ cæteris *Chamaleonti* qui omnium, quæ illi apponuntur, colores induit si niger color, fit niger; si flavus, fit flavus, si cæruleus, fit cæruleus.

An non similes homines videre licet ubique, quorum animus prius candidus per virtutem, si paulo post illi objiciatur peccatum, totus fit niger? qui prius per charitatem rubicundus ut rosa, colorem purpureum induit per odium? Denique ita mutantur, ut qui prius malebant mori quam fœdari, jam sponte irruant in peccata ut malint potius non vivere quam non fœdari.

Non ago de illis Sanctis qui semel lapsi etiam turpiter, ex casu tantas resumpserunt vires, ut postea ferventiores in sanctitate perstiterint; sed ago de iis qui in horas mutantur, & alternatim jam virtutis dant operam, jam peccatis, in neutro stabiles & ideo magis vitiosi quam virtuosi. Tales ego homines, inquit Deus, nolo habere in sacrificiis, quia *Chamaleontes* sunt, quos olim nolui mihi offerri ad aras. Hoc primum.

Vanitas  
mundi.

Alterum est quod *Chamaleon* vivat passim ex vento vel aëre, interdum ex parvulis muscis: Nihil inanius vento, nihil ad nutrimentum ineptius quam aër, nihil poene vilius muscis. *Iob cap. 7* dicit: *Ventus est vita mea*, alii vertunt, nihil est vita mea. De aëre vero communi proverbio dicimus, ridendo: Vivit ex aëre, hoc est, nullum accipit nutrimentum, quamvis enim respiret ex aëre, non potest tamen ex eo nutriri.

Quidquid mundus magnificat nihil aliud est quam aër & ventus, hoc est, unum magnum NIHIL: Clara sunt verba *Salomonis Ecclesiasticis cap. 1*, *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas*: Ergo honores vanitas, divitiæ vanitas, voluptates vanitas, laus & gloria vanitas, denique si omnia vanitas, omnia NIHIL.

Ad summas honores ascenderat *Amman* secundus princeps à rege *Persarum*, poterat ergo facile scire quid essent honores; quid ait cum hæc omnia habeam, nihil habeo. Non minor *Amano*, honoribus ac dignitate, fuit *Eutropius* secundus ab Imperatore *Arcadio* princeps:

ceps: De illo audio exclamantem *Chrysoſtomum Serm. de Eutropio*:  
Omnia illa nihil.

Non fuit in mundo ditior *Salomone*, dicat ergo nobis quid ſentiat de divitiis: Ego, inquit *Sap. cap. 7*, judico *divitias eſſe nihil*. Sic etiam ait *Prov. cap. 13*. *Dives nihil habet*: Quomodo poteſt eſſe dives cum nihil habeat? quia divitiæ, quas habet, nihil ſunt.

Propheta *Amos cap. 6* agens de voluptuoſis hominibus, præſertim impuris, *delectantur*, inquit, *in nihilo*: Ergo & voluptates nihil ſunt. Quid multis? omnia nihil ſunt; ergo & laus hominum, & gloria mundana nihil ſunt, adeo ut ipſemet *Chriſtus* dixerit de gloria ſua; *Gloria mea nihil eſt*. Si omnia nihil, omnia ventus & ær: Poteſt quidem illis homo veſci, ſicut *Chameleon* veſcitur ventre & aëre, ſed homo ex illis non poteſt vivere, quia non poteſt inde nutriri.

Et tamen quis hominum multitudinem numeret qui ſe paſcant iſtis vanitatibus mundi? non dico qui illas affectant, qui illas quaerunt, qui illas poſſident, hoc humanum eſt quamdiu malum non eſt, ſed illis ſe velle paſcere, in illis vivere, ſicut *Chameleon*, ſtultum eſt, quia non poteſt humanus animus illis ſatiare appetitum.

Propterea ut ſtultos ridet *Chriſtus* præ cæteris Scribas & Phariſæos, qui oſtentabant opera ſua ut ſe paſcerent inani gloria & laude humana: *Exterminant*, inquit, *Matth. cap. 6* *facies ſuas ut appareant hominibus jejunantes*, & *Matth. cap. 23*. *Omnia opera ſua faciunt ut videantur ab hominibus*, adeone tam magnum eſt videri ab hominibus, quorum oculi plerumque aliorum opera vident non ſine invidia, & cum nos laudant, ſæpe rident in animo; ſic nos mero vento, & aëre paſcimur, & delectamur in nihilo. Quid magis inſanum quam ipſa bona opera, quibus mercari debebamus æternam gloriam, vendere pro inani gloriola?

Nefcio an hanc in rem bene adverterit magnus & egregius quidam noſtri ſæculi ſcriptor, ſcribens in *Caput 3 Lib. 1 Eſdræ*, ubi narrat Scriptura quod quidam *Judei* principes è captivitate *Perſica* venerint *Ieroſolymam*, ubi *edificaverunt*, inquit Scriptura, *altare Dei Iſraël*. Bene eſt: Sed cur tantum laboris inſumpſere? forte ut inſignia ſuæ familiæ columnis inciderent? Vel ut in annalibus ſcriberetur, extructam iſtam aram à ſe? Nequaquam; Sed *ut offerrent*, inquit Scriptura, *ſuper ea holocaustomata*. Video, inquit prædictus ſcriptor, à multis aras ſtrui, & ornari templa marmoribus: Si ve-



ro inquiram qua mente, forte deprehendam vix ullam esse curam de holocaustis illic offerendis, sed præ cæteris hoc unum intendere ut insignia sua & nomina sculpantur in marmore, & posteri videant, ac legant quis ille fuerit qui tantum opus extruxerit, non tam Deo, quam sibi, & gloriæ suæ. Hæc ille. Ego vero judico, aut raro isthuc contingere, aut si forte contingat, homines illos esse vere *Chameleontes* qui vivunt ex vento & aëre, & dum altaria struunt à sacrificiis Dei excludi.

Tunc Scriptor ille idem invehitur in vanitatem sepulchrorum, ac Titulorum, magnorumque nominum. Numquid videmus, inquit, sepulchra, interdum ipsis altaribus augustiora? aliquando in templis aræ constructæ sunt ex latere vel alio simplici lapide dum sepulchra radiant metallo, marmore, & lapide pario: Atque ita vilis requiescit Deus in monte *Sion*, quam jaceat pulvis in tumulo, & plus defertur vermium diversorio quam domui Dei, ejusque altaribus. O vanitatem ambitionemque mortalium! qui mortem, commune generis humani supplicium, vertunt in suarum vanitatum triumphum, & dum se vento & aëre inanis gloriæ pascunt, in medio triumphorum à morte rapiuntur è vita.

Ducamus, inquit ulterius, ejusmodi homines ad sepulchrum *Moyfis*, quod licet *Moabitis* incognitum manserit, dicit tamen Scriptura: *Mortuus est*, inquit, *Moyfes in terra Moab*: Et quid rogo insculpsere tanti principis monumento? Poterant illi inscribere pro Epitaphio, divisum ab illo mare, cæsam *Ægyptum*, devictos reges, fugatos exercitus, expressos è rupe torrentes, extractum tabernaculum, destructum vitulum, idololatrias trucidatos, acceptam è Dei manibus legem, colloquia cum Deo inter ignes & fulmina, radiantem ex illis colloquiis vultum, & innumera talia: Sed nihil horum: Hoc unum inscripsere: *Mortuus est Moyfes servus Domini*: Nempe judicavit is qui hæc scripsit reliquos omnes titulos compositos cum hoc uno, *Servus Domini* non esse nisi vanitates, & fumos, & ventum.

Non latuit hoc *Davidem*: Propterea omnes illas nugas detestabatur: Numquam *Sauli* se persequenti objecit prostratum à se *Goliathum*, sed vilissimum sibi nomen imposuit, dicens: *Quem persequeris rex Israël? quem persequeris? canem mortuum persequeris, & pulicem unum*. Hæc erant magna illa nomina *Davidis* tanti principis electi à Deo. Imo cum in funda & lapide Gigantem trucidasset,

num-

namquam exinde ad ostentationem usus illa funda describitur, non eam aureis filis intextam gestavit è collo pendentem, non eam suspendit in tabernaculo, non cum illa contra *Saul* pugnavit, ne dum hostes debellaret ab inani gloria vinceretur.

Quid in hac eadem materia non narrant Evangelistæ de *Christo*, quasi hoc unum in omnibus egerit ut infanas illas hominum vanitates pedibus proculcaret, & hominibus exemplum foret & doctor.

1. Inquit *Matthæus*, cap. 9. Quadam vice ascendens in navim, transfretavit. Quid hoc? *Petrus* ambulat super aquas, & *Christus* ascendit in navim ut transfretet? audi *Chrysostomum* Hom. 30 in *Matth.* Cum pedes posset transire super aquas, navigio conscenso trajecit, ut hominem se esse ostenderet; noluit tunc se Deum ostendere ne inani hominum gloriæ locum daret.

2. *Ioannes* cap. 2 narrat quomodo in *Cana Galilee* verterit aquam in vinum: Poterat facere ut vacuæ hydriæ vino implerentur, sed eas prius implendas aquis curavit ut miraculum minus emineret, majus enim erat creare vinum in poculis, quam ex aqua fieri vinum.

3. Cum ivisset ad domum *Jairi* principis Synagogæ cujus filia mortua erat, ut illam suscitaret, cum domum intraret, voluit omnes qui erant in cubiculo defunctæ exesse, ut solus esset, dicens: *Non est mortua puella, sed dormit.* Detraxit de miraculo quantum potuit, ne quidquam de humilitate ejus detraheretur.

Hinc cum venissent milites ad hortum ut illum comprehenderent, dixit ad illos. *Tanquam ad latronem existis cum gladiis & fustibus comprehendere me, quotidie apud vos eram docens in templo, & non me tenuistis.* An forte timebat mortem? patet quod non, quin imo volebat ut *Petrus* stricto gladio illum defenderet, & morti eriperet: Quid ergo timebat? gloriam suam. Maluisset in templo comprehendi sine vi, quam in horto ab armatis, quia in templo comprehendi poterat sine miraculo, in horto vero non sine gloria, quando tot armati ad unicum vocem *ego sum*, cecidère retrorsum; tædebat illum quasi miraculorum, ne videretur captare gloriam ab hominibus: Ideo voluisset ligari, sed noluit eminere.

Denique tota ejus vita ejusmodi fuit, ut doceret nos quantum ficta rebus mundi inane, & indignum prorsus homine esse se pas-

cere vento & aëre, cujus animus capax est divinitatis, & creatus ad caeleste in regno Dei convivium.

Hanc in  *Davide* vanitatem durius castigavit Deus, cum enim ex mera gloriola jussisset numerari toto regno subditos suos, caetero septuaginta hominum millibus luit. Et cum  *Nabuchodonosor* superbe se jactaret de tam magnifice extructa à se  *Babylone* , ad bestias amandatus est, victurus inter illas in sylvis. Nemo ergo miretur vanos illos homines excludi à sacrificiis, & non admitti ad aras Dei qui instar  *Chamaleontis* vivunt ex vento.

## DISCURSUS XV.

*Voluit sibi Deus offerri oves & agnos.*

**N**emo est qui novit præcipuam ovium agnorumque proprietatem esse mansuetudinem. Hinc quando Scriptura agit de mansuetudine passim utitur similitudine agni vel ovis.

*Isaias cap. 53* agit de mansuetudine  *Christi* in passione, & ait:  *Quasi agnus coram tondente se, obmutescet.* Eodem Capite, ait:  *Sicut ovis ad occisionem ducetur.*

*Christus*  *Matth. cap. 10, & Luc. cap. 10,* agens de mansuetudine quam volebat habere suos Apostolos in prædicatione Evangelii:  *Ecce,* inquit,  *ego mitto vos sicut oves & agnos in medio luporum.*

Tota etiam corporis dispositio agnorum & ovium mansuetudinem indicat: Non enim habent cornua ut feriant, sicut tauri; non habent dentes acutos ut mordeant, sicut leones, non habent ungues ut lacerent, sicut Ursi, non habent pinnas quibus pungant, sicut herinacii, omnia ita in corpore composita ut nihil appareat nisi mansuetudo, nulla ferocia: Ergo per oves & agnos significantur homines mansueti, adeoque sicut Deus voluit sibi oves & agnos offerri, sic gratissimum illi sacrificium sunt homines mansueti: Quod clare ostendit  *Christus* quando dixit:  *Beati mites quoniam ipsi possidebunt terram.* Imo quando dixit  *Matth. cap. 11.*  *Discite à me quia mitis sum.*

Bone  *Iesu,* inquit  *Augustinus, Lib. 6 de S. Virginit. cap. 32.* Hucce ne redacti sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ in te absconditi, ut hoc pro magno discamus à te, quoniam mitis es? ubi et-  
go

go manent tot alia praestantissimae virtutes tuae Respondet D. Bernardus Epist. 425. Haec summa ejus doctrinae, ac virtutum, discute à me quia mitis sum.

Videamus ergo 1. Quid sit mansuetudo. Si hoc petam à Spemio homine Ethnico, respondet: Mansuetudo est immobilis constantia, & moderata temperantia animi contra vim iracundiae. Mansuetudo ejusque descriptio.

Si petam ab Augustino; respondet Lib. 1 de Serm. Dom. cap. 11. Mansueti sunt qui non cedunt iniquitatibus, nec resistunt Malo, sed vincunt in bono Malum.

Si petam à Clemente Alexandrino; respondet Lib. 4 Strom. Mansueti sunt qui iracundiam superavere.

Ex his patet praecipuam mansuetudinis vim consistere ut vires iracundiae frænet ac frangat: Ex quo ulterius sequitur, quod mansuetus non murmurabit contra Deum, si quid adversi illi acciderit, non irascetur proximo, si aliquid ipsi damni intulerit, blandis verbis componet iratos &c.

Exemplis res fiet clarior. Duo milites proximè stabant ad tentorium regis Antigoni & dicebant fanda ac nefanda de rege, audivit è tentorio suo Antigonus: Quid expectatis? ut illos vel in colera acrius objurget, vel plectat? nihil aliud fecit aut dixit, quam, abite, inquit, hinc paulo longius ne rex vos audiat. Habebat rex ille iram sub pedibus, & hinc stupenda illa mansuetudo.

1. Fregerant aliqui nebulones statuam Constantini Imperatoris stantem in foro, volebant aulici ut reos pro tanta injuria plecteret, at ille, palpans frontem suam, nullum, inquit, vulnus hic sentio, & reis pepercit.

2. Philippus II rex Hispaniae cum ad duodecimam noctis litteras scripsisset Pontifici, easque dedisset Secretario suo ut arena inspergeret, hic somno gravatus, atramento insperfit, quid ad hæc Philippus? hoc unum: Tradas mihi aliam chartam, & litteras rescribam. Nescio profecto an quis minimae conditionis non fuisset actus in furias, & Secretario mille verba injuriosa dixisset. Quanta ergo mansuetudo in rege!

Si vero Scripturam consulamus, in primis occurret nobis Job, qui cum ab uxore multis impeteretur injuriis propter amissa omnia bona, hoc unum suaviter ei respondit: Si bona de manu Dei accepimus, mala quare non suscipiamus? Hic tantus princeps conjugatos mansuetudinem docet.

2. Occurret *Moses* de quo dicit Scriptura dicit quod esset mitissimus omnium hominum. Dux ille, inquit *Hieronymus*, *Epist. ad Theophil. Israelitici exercitus*, qui decem plagis affecerat *Aegyptum*, & ad cuius imperium cælum & terra, & maria, serviebant, inter cunctos homines, quos tunc terra generavit, mansuetissimus prædicatur, & ideo per quadraginta annos obtinuit principatum (in sexies centena millia virorum pugnatorum) quia potestatis superbiam mansuetudine temperabat; alioquin tantam multitudinem toties rebellem, & pervicacem numquam regere potuisset. Hic ergo Superiores mansuetudinem docet.

Interea invenies plurimos qui mansuetudinem imbecillitatem animi, ac pusillanimitatem existiment. Quid, inquiunt aliqui: Egone patiar mihi dici injurias, & non rependam? quid hoc est aliud quam alteri cedere? hoc volo, dum enim cedis, vicisti. Quia non es victus ab ira. 2. Quia cedendo fregisti iram alterius, juxta *Salomonis* doctrinam, *Responsio mollis frangit iram*. Si autem Mala verba reddas pro Malis, victus es ab ira propria, & non superasti iram alterius, sed magis accendisti, sicuti contrariis ventis magis accenditur ignis. Ergo mansuetudo non est signum pusillanimitatis, sed ira, quia non eras tam generosus ut illam superares.

2. Dicunt alii: Parvi animi est sese non vindicare de hostibus qui vel honorem nostrum læsere, vel nos persequuntur: Si hoc verum est: Ergo *Christus* qui & pro inimicis oravit, & mortuus est, & qui docuit inimicis ignoscere, exemplo & verbo nos docuit pusillanimes esse, hoc est, ipsa sanctitas nos docuit vitia. Non vides hinc, impium esse dicere, mansuetudinem esse pusillanimitatem.

Sed alii dicunt: An ego semper filebo? uxor vel maritus durioribus in me verbis invehitur? alius improperat mihi defectus meos, alius me explodit, an ego semper filebo? hoc non dico: Sed peto, quid lucratus eris si in colera asperioribus verbis responderis? nihil aliud quam quod alium magis irritabis, & graviora inde sequentur, quod non contigisset si vel mansuetè responderisses, vel filuisses.

Vis audire quid ad hæc dicat *Ambrosius*? Quando, inquit, aliquis injuriosis verbis aggreditur, vel provocat ad rixas, præstat filere quam loqui: Si enim files, videbit se contemni, & non esse

esse dignum responso. Si files, dicetur quod ille sit calumniator: Si loqueris, dicetur quod & tu calumniator sis. Præstat ergo dissimulare, & magis curare iudicium hominum proborum, qui te laudabunt ut hominem prudentem, si files, quam insolentiam tui calumniatoris, qui à nemine laudabitur nisi à sui similibus.

Denique stultus error est hominum qui divina non sapiunt, dicere, quod mansuetudo sit imbecillitas animi: Ego vero dico mansuetudinem reponendam esse inter generosissimas virtutes; & probo.

Estne in mundo aliquid ferocius irâ? nulla bellua, inquit *Chrysostomus Serm. de ira*, tam crudelis, nec furibunda sicut homo iratus. Si videas, inquit *Seneca lib. 1 de ira*, ruinas urbium, excidia nationum, incendia domorum, totas regiones vastatas, hoc ira fecit: Si videas nobilissimas civitates ita destructas ut vix fundamenta appareant, ira destruxit: Si videas vastas solitudines sine habitatoribus ira illas fecit. Aspice tot magnos Principes ac duces, hunc trucidavit ira in lecto, illum ad mensam, istum in curia, ille interfectus à filio, hic à mancipio.

Quis tanti monstri, ac ferocis belluæ potestati resistat? sola mansuetudo; hæc cum ira congreditur & domat. Quid enim clarus ac verius dicto *Salomonis: Responsio mollis frangit iram?*

Quid insolentius aut petulantius carne nostra? non habet homo hostem capitaliorem, mansuetudo tamen triumphat de carne, quam nec *Hilarionis* vigiliæ, nec *Antonii* assiduæ preces, nec *Hieronymi* jejunia, nec *Dominici* disciplinæ, nec *Francisci* cilicia penitus edomuerunt. Dicit enim *Christus: Beati mites quoniam ipsi possidebunt terram*: Per terram autem multi carnem intelligunt quæ ex terra creata est, quam mansueti, Passionum tumultu compresso, debellant, debellatamque ut Domini possident.

Denique Prophetarat olim *David* futurum ut Apostoli terrarum orbicum summo imperio præficerentur: *Constitues eos, inquit, Principes super omnem terram*: Arduum opus piscatores mundo præfesse: Quo tandem armorum genere orbem subjugarunt? mansuetudine: Dixit enim illis *Christus: Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum*. Viden? inermes, imbelles, indocti, ovina dumtaxat armati mansuetudine mundum domuere. Debebant adire homines sanguinarios, crudelesque tyrannos, percurrere nationes barbaras

& in humanas, trahi ad tribunalia Regum & præfidum, mancipari carceribus, flagellari in Synagogis, produci in publica theatra, lacerari inauditis tormentis. Hæc omnia mansuetudine superaverunt: patiebantur enim & non irascebantur, audiebant mille injurias, nec tamen de vindictâ cogitabant: Hæc summa, inquit *Seneca lib. 2 de Ira cap. 2*, fortitudo est contemnere injurias, sicut molossus non curat latratus minorum canum.

Quid dicam de *Christo*? Venerat ut diabolum, quem ipse hujus mundi Principem vocat, ejiceret, ejecit, suumque proprium principatum ac Regnum ejus loco invexit ac stabilivit: Quibus armis audite quid dicat *Mattheus cap. 21 ad Jerusalem*; *Ecce*, inquit, *Rex tuus venit mansuetus*. Mirum mysterium! Veniebat ut pateretur & moreretur, & dicitur: *Ecce Rex tuus*, veniebat ergo ut regeret; quomodo hæc simul consistunt, Regem esse & pati: Procedere ad pugnam contra diabolum, & mansuetum esse? Non mirum, quia non venerat pugnaturus ut civitates destrueret, regiones vastaret, sed suâ morte destructurus eum, qui mortis principatum habebat: Ideo, ut ait *Petrus, Epist. 1 cap. 2*, cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur non comminabatur; hac mansuetudine, tanquam potentissimis armis pugnavit in Cruce contra diabolum, illoque devicto, regnavit, inquit Ecclesia, per Crucem, quam tanta mansuetudine sustinuit.

Jam discamus ab Ethnico homine, quomodo virtutem hanc exercere passim possimus, ut simus oves dignæ quæ Deo offerantur. Audiamus *Senecam lib. 2 de Ira cap. 36 &c.* Mansuetus est, qui secum dispicit à quo patiatur. Puer est? ætati donetur, nescit an peccet: Pater est? an hoc meritum ejus est quo offendimur? mulier est? errat: Jussus est? quis necessitati, nisi iniquus, succenset? læsus est? non est injuria, pati quod prior feceris: Judex est? plus illius credas sententiæ quam tuæ: Rex est? si nocentem punit, cede justitiæ, si innocentem, cede fortunæ; Morbus est, aut calamitas? levius transiliet sustinentem: Deus est? perdis operam si illi irasceris: Bonus vir est qui injuriam fecit? noli credere: Malus? noli mirari, jam sibi dedit poenas qui peccavit: Ergo ira abstinendum est, sive par est qui nos lacescit, sive superior, sive inferior: Nam cum pare contendere, anceps est an vincere possis: Si cum superiore, furiosum, (quia vinci debes). Cum inferiore, sordidum (quia vincere inglorium). Non est magnus animus quem incurvat in-

injuria: Nullum est argumentum magnitudinis certius quam animo esse composito ac mansueto. Pars superior mundi ac propinqua syderibus nec in nubem cogitur, nec in tempestatem impellitur, nec versatur in turbinē, omni tumultu caret, inferiora verò fulminant: Eodem modo sublimis animus quietus semper, & in statione tranquilla collocatus, intra se premens quibus ira contrahitur, modestus, & venerabilis est, & compositus &c.

Addamus huic Magistro Ethnico Doctorem Catholicum *D. Ioannem Chrysostomum in Epist. ad Thessal.* Convitiatus, inquit, est quisquam te, vel vituperavit? tu claude os tuum, si enim illud aperueris, excitabis magis ventum hunc; non vides in ædibus, quando è regione duarum januarum (seu fenestrarum) oppositarum sunt, & flatus vehemens irruerit, si alteram clauderis, nihil valeat efficere flatus? ita & hic duae sunt januae, os tuum, & os illius qui te vituperat, si tuum occluseris, omnem istum flatum extinguēs.

Denique ut quis habeat mansuetudinem ovis non potest habere cornua quibus alium feriat, ut illum irritet, non potest habere dentes ut illum mordeat, non potest habere unguēs ut illum propter leves injurias laceret; Christianum enim, inquit *Paulus 2. Timoth. cap. 2.*, oportet mansuetum esse ad omnes. Tales vult sibi Deus offerri in Sacrificiū, sicuti olim oves in veteri Testamento: *Mansuetorum*, inquit *Judith cap. 9.*, semper Deo placuit deprecatio, & mansuetos, inquit *David Psal. 146.*, suscipit Dominus: Denique mansuetis, ait *Salomon Prov. cap. 3.* dabit gratiam: In quæ verba sic exclamat *Chrysostomus*: Mirabile *Salomonis* promissum! an iis nihil dabit gratiæ, qui jejuniis, qui castimoniâ, qui eleemosynis, qui virtutibus aliis sui conditori se commendarint? Imo vero dabit, sed mites erunt primi, qui optimam partem auferent in præmium.

Audiant ergo, inquit *David, Psal. 33.* audiant mansueti, & latentur, quid audient? quod præ cæteris apti sint ad obsequium Dei & digni qui illi offerantur in Sacrificiū.



## DISCURSUS XVI.

*Voluit Deus sibi Boves offerri.*

**B**Os animal est natum ad labores præsertim ad aratrum; hinc toto passim terrarum orbe nationes fere omnes, præterquam in aliquibus *Europa* partibus, isto animali utuntur ad arandum, ut videre est toto pæne Oriente, usque ad extremos *Sinas* & *Japones*.

Eodem modo, inquit *Iob cap. 5*: *Homo nascitur ad laborem*: Non poterat clarius hoc ostendere Deus quam statim initio mundi, quando sexto creationis die primum hominem, vix dimidia hora postquam illum creaverat, posuit in *Paradiso* ut operaretur, quemadmodum dicitur *Genes. cap. 3*, & rursus postea: *In sudore vultus tui vesceris pane, & in laboribus comedes de fructibus terræ cunctis diebus vite tue*. Viden' ut ad laborem natus sit homo?

Et quid voluit aliud significare sponsus in *Canticis cap. 2*, quando dixit sponsæ: *Surge, propera, & veni, jam enim hyems transit, & tempus putationis advenit*. Ad labores sponsa mea, culter stringi debet in palmites, putandæ arbores, aranda & ferenda tellus, surge ergo & veni, & adhibe operi manus: Propterea *excamus in agros, & commoremur in villis*.

Denique tot parabolæ quas *Christus* nobis proposuit, hoc unum significant ac docent, homini in hac vita esse laborandum. Huc spectat 1. Parabola de Patre familias, qui uno die sexies exivit, ut conduceret operarios, qui laborarent in vinea sua. 2. Parabola ista de homine qui plantavit vineam, & fodit in ea torcular, & locavit eam agricolis, ut laborarent in torculari, uvasque exprimerent. 3. De Rege qui dedit pecunias servis suis, ut operarentur in eis, ut ait *Mattheus cap. 25*.

Hoc clamat Apostolus: *Operemur dum tempus habemus*: Hoc clamat *Christus* dum ait: *Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro, aptus est Regno Dei*.

Propterea, ut ego existimo, in illo curru gloriæ Dei, quem vidit *Ezechiel cap. 1*, junxerat Deus hominem cum bove, ut ostenderet hominem non minus natum ad labores, quam bovem.

Et hæc quidem omnia non ad litteram de labore manuum corporali intelligenda sunt, sed in sensu mystico de labore, quem in  
hac

hac vita subire debemus in faciendis bonis operibus, quantumvis difficillimis, quibus lucremur vitam æternam.

Non ignoro, quod si totum mundum velimus percurrere, invenimus quidem omnia ubique plena laboribus, sed vanis. & inutilibus, quibus homines conantur satisfacere cupiditatibus suis, sed non qui fatient animam, non malis semper, sed qui animam meliorem non reddant, sed sæpe deteriorem.

Si liceret, inquit *Seneca*, totum mundum ex altissima turri despicere, videremus ubique homines discurrere sicut agmina formicarum, laborantes. Hic spectaremus undique tecta navibus maria & vectores innumeros, qui per tot tempestates atque pericula ad extremos mundi limites navigant, ut divitias sibi comparent: Ex alia parte aulas Regum & Principum plenas prætentibus & aspirantibus ad honores ac dignitates: Ubique ingentes exercitus, quorum vita non est nisi continuus labor, & plena omni genere molestiarum: Denique, ut ait *Innocentius III, lib. 1. de contemptu mundi cap. 15*, Currunt & discurrunt mortales per sepes & semitas, ascendunt montes, transcendunt colles, transvolant rupes, pervolant alpes, ingrediuntur cavernas & foveas, rimantur viscera terræ, profunda maris, interiora fluminum, in via solitudinum: Exponunt se ventis & imbris, tonitruis & fulminibus, fluctibus & procellis, ruinis & præcipitiis: Ubique toto mundo labores, ubique sudores, sed post omnia, inquit *Isaias Propheta cap. 59*: *Telas Aranea texuerunt, opera eorum inutilia*

Labores  
hominum  
vani.

Quid magis laboriosum in tela texenda quam aranea? quoties ascendit ac descendit à filo ut extendat & simul connectat fila, è quibus ut fundamentis pen leat tela? quoties circumit in gyrum ut disponat extrema fila & aliquam rudem formam ponat operis sui? quot gyros non facit ut circumducatur fila minora quæ totam telam conficiunt, denique tota viscera impendit ut opus illud perficiat? Non minorem laborem subeunt illi, qui se totos impendunt in temporalibus bonis: Nam, ut inquit *Origenes Hom. 2, in Psal. 38*: Quantum texuerunt illi divites, qui ante nos fuerunt, qui divitias variis artibus & callidis adinventionibus congregabant? qui Magistratus, qui consulatus, qui honores ambitione quærebant? isti omnes, inquit, telas araneæ texuerunt.

Quare hoc? quia sicut aranea toto labore suo nullum alium fructum refert, quam unam alteramve muscam, vel culicem, & post

Sss

tot

tot labores, simul cum tela sua una scopa abripitur, sic laboriosi illi in rebus sæcularibus per divitias nihil aliud referunt quam ventum, per honores quam fumum, per voluptates quam vanitatem, quia quando mors veniet cum scopa sua, ipsi abripiuntur è mundo, & omnia illa in ictu oculi evanescent; tunc enim, inquit *David*: *Omnes viri divitiarum nihil inveniunt in manibus suis, & nihil auferent secum*, inquit *Iob*: Tunc & voluptates omnes & honores transferint sicut umbra, & sicut spuma gracilis quæ dispergitur in ventum, inquit *Salomon*: Ergo omnia opera quæ tanto consistere labore, inutilia & vana.

Scio bona temporalia homini necessaria esse ut vivat simpliciter, vel ut inter cæteros honestius, aut eminentius vivat, ad alios compescendos? fateor ex illa parte non omnino esse vituperanda, propterea tamen non desunt esse labores inutiles quos magna pars hominum pro illis sustinet, quando nihil profus inde fructus referunt in morte, cum vacuis manibus, & nihil inde sibi retinentes, discedunt è mundo. Audiamus *Gregorium* in cap. 11 *Job*, super hæc verba: *Ambulabunt in vacuum, & peribunt*: In vacuum ambulat, inquit *Gregorius*, qui nihil secum de fructu laboris sui portant, alius enim adipiscendis honoribus defudat, alius multiplicandis facultatibus æstuat, alius promerendis laudibus anhelat, sed quia cuncta hæc quisque moriens deserit, labores in vacuum perdit, quia secum ante iudicem nihil tulit.

*Labourandum in sale.*

Hinc concludit *D. Chrysostomus Serm. de vanit. hujus vita*. His ergo rebus incumbendum est, in quibus nihil inane, sed omnia vera, & certa, & stabilia sunt.

Quænam illa? quæ nos in morte non deserunt, sed manent etiam post mortem, & nos sequuntur: Quænam illa sint docet *D. Ioannes Apoc. cap. 14* cum ait: *Beati mortui qui in Domino moriuntur, opera enim illorum sequuntur illos*: Et *Isaias cap. 3*: *Dicite iusto quoniam bene, quoniam fructum adinventionum suarum comedet*: Et *David Psal. 127*: *Euntes ibant & flebant mittentes semina sua, venientes autem venient portantes manipulos suos*.

Similitudinem sumit *David* ab agricolis qui per anni decursum laborant, arant, fodiunt, serunt, metunt, frigore & ardore afflicti, sed in fine anni, colligunt copiosos fructus laboris sui, eosque vehunt in horrea, sic iusti postquam vitæ tempore laboraverint, in fine vitæ portabunt manipulos, seu fructus laborum suorum in

in humeris, & cum illis procedent in æternitatem.

Hæc omnia dici non possunt de temporalibus bonis, quia nec obolus, nec gleba terræ, nec punctum honoris, nec stilla voluptatis, nec lapillus ædificiorum nostrorum, nobis superest post mortem; ergo necessario intelligi debent de bonis spiritualibus, sive operibus meritoriis, de quibus dicit *David* quod fructus illorum post mortem in humeris portabimus ad alteram vitam, & de quibus ait *Iuanes* quod nos sequentur post mortem, & *Isaias* quod comedemus fructus laborum nostrorum: Adeoque labores quos pro illis sustinemus vani non sunt & inutiles: Ad tales labores natus est homo: Cum enim, ut inquit S. P. noster *Ignatius*, ad hunc unicum finem creatus sit homo, ut Deo seruiat, & saluus fiat, ad hoc solum natus est ut in hac vita strenuè laboret pro vita æterna.

Petit *David* *Psal.* 33: *Quis ascendet in montem Domini, aut quis sedet in loco Sancto eius*: Mons, & locus ille Sanctus, de quo hic loquitur *David*, inquit *Basilius* & *Theodoretus*, non est aliud nisi cælestis gloria: Quis ergo, petit *David*, intrabit in istam gloriam? respondet: *Qui non accepit in vano animam suam*: In vanum dicitur aliquid, quando non pertingit ad finem suum, V. G. fecisti domum aliquam ad habitandū, si semper maneat sine habitatore, dicemus in vanum esse constructam: Fecisti vestem ad induendum, si numquam induis, sed finis comedi à tincis, in vanum est ista vestis: In quem finem facta est anima nostra? ad nullum alium, inquit S. *Ignatius*, nisi ut bonis operibus in hac vita factis, perveniat ad æternam gloriam: Ergo qui in hac vita non laborat in faciendis bonis operibus, in vano accepit animam suam; sicuti enim domus quæ facta est ad inhabitandum, si nullus illam unquam inhabitet, & vestis quæ facta est ad induendum, si nullus illam unquam induat, in vanum sunt, sic anima, quæ facta est ad laborandum in hac vita pro vita æterna, in vanum est, nisi strenue pro illa vita laboret.

Hoc est quod justis, & strenuè laborantibus, voluit dici Deus per *Isaiam* Prophetam: *Dicite, inquit, iusto quoniam bene, quoniam fructum adinventionum suarum comedet*. Habent, iusti adinventiones suas mirabiles quibus laborant pro cælo: *D. Paulinus* Episcopus *Nolanus* se mancipium fecit ut filium pauperis viduæ liberaret, inventio mirabilis! *S. Paulus* primus Eremita nonaginta annis ab omni hominum tumultu separatus in antro vastæ solitudinis se inclusit, ubi

nunquam hominem vidit, nisi postremo vitæ die quando accessit ad illum D. *Antonius*; mirabilis inventio! *S. Alexius* prima nuptiarum nocte excessit è Patriâ, tum reversus, septem annis sub gradibus ædis paternæ habitavit ignotus instar mendici: Numquid mirabilis ista inventio? *S. Ignatius* se ad collum usque posuit in glacie ut hominem impurum converteret, mirabilis inventio! *S. Bernardus* se projecit in nives, *S. Benedictus* se volutavit in spinis, *S. Martinianus* ambulavit super carbones, ut libidinis æstum extinguerent, mirabiles Inventiones, *S. Theresia* puella septem annorum cum fraterculo fugit è domo paternæ, navigatura in *Barbariam* ut illic moreretur pro *Christo*, mirabilis inventio! *Paulus Salus*, se stultum finxit ut mundi stultitiam irrideret: Dies me deficeret si singulas tales Sanctorum inventiones recenserem: Harum inventionum, inquit *Isaia* fructum comedent in alio sæculo, non fructus eorum quæ à parentibus hæditarunt, neque illa quæ armis, vel honoribus, vel alicui arte, aut favore hominum acquisierunt, sed fructum ad inventionum suarum, quas excogitarunt ut laborarent pro cælo.

Denique quocumque modo aspicias hominem, sicut bos natus est ad laborandum in agro, sic homo natus est ad laborandum pro cælo. Si illum aspicias ut militem, dicit enim *Iob cap. 7: Militia est vita hominis super terram*; quanto labore opus est ut incommoda quæque perfringat, ut munimenta hosti objiciat, ut vigilet nocte inter nives & grandinem, vel inter fulmina & tonitrua, ut procedat in campum inter torridos solis ardores, ut pugnet, ut stipendia mereatur? si non laborat inquit *Paulus*, non coronabitur.

Si hominem aspicias quatenus agricola est ut agrum animæ suæ colat prout non semel à *Christo* describitur, debet arare in sudore vultus sui, debet fodere, debet ferere, debet triticum flagellare, & quidquid seminaverit, inquit *Paulus*, hoc & metet, & secum vehet in horrea cæli, & cum exultatione portabit manipulos suos in humeris suis.

Si aspicias hominem ut peregrinum, laborandum est: luctandum vel contra fluctus maris, si naviget, vel contra innumeras difficultates itinerum, vel contra tempestates aëris, si pedes incedat, ut post mortem, inquit *Ioannes Apoc. cap. 14*, requiescat à laboribus suis: Unusquisque, inquit *Augustinus Serm. 32 de verb. Dom.* hic in domo etiam sua peregrinus & hospes est, nam si peregrinus non est quomodo inde transit? numquid dimittet domum suam filiis suis, hospes

hospes hospitibus? cessit tibi locum pater tuus, cessurus es tu locum filiis tuis. Quod si omnes transimus, aliquid operemur quod à nobis transire non possit, ut cum transferimus, & illuc venerimus, ubi amplius transire non possumus, opera nostra bona permaneat.

Si hominem aspicias ut mercatorem, cui cælum venale proponitur, dicit enim *Christus* omnibus: *Negotiamini dum venio*: Ergo laborandum est: Quanto enim labore congregat sibi mercator divitias, quantâ sollicitudine illas jam congregatas custodit: *Thesaurizate vobis*, inquit *Christus*, *Matth. cap. 6*, *thesauros in cælo*: Si in cælo? quomodo ergo thesaurus ille pro nobis, vel noster est? quia nostro labore illum nostrum fecimus, quæ autem vere & proprie nostra sunt, nobiscum ferre possumus, quocumque pergimus, propterea thesauros, quos hic in terra nostro labore propter Deum collegimus, nobiscum feremus in cælum.

Ergo laborandum est in hac vita pro cælo, labores enim quos subimus pro mundo, quamvis pleni que necessarii sint sive ad statum sustentandum, sive ad vitam, inutiles tamen sunt, quia in morte nil profunt, alii vero noxii, quia illiciti.

Ergo inter mundi labores qui necessarii sunt, hoc unum spectandum est, ut laboremus pro cælo, in quocumque simus statu.

In matrimonio præsertim innumeri sunt labores ac curæ mundanæ, sed omnia nihil, nisi præ cæteris omnibus, & super omnia, laboretur pro cælo. Maritus & uxor, conjuges vocantur, hoc est, quia unum idemque jugum ferunt, sunt igitur sicut boves qui juncti sunt in aratro.

Audi modo quid dicat Scriptura de bobus arantibus. Prohibuit Deus *Judæis Deut. cap. 22*, arare simul in bove & asino: Ratio est, quia eorum vires sunt inæquales, adeoque si asinus jungeretur bovi, plus æquo gravaretur.

In matrimonio, simul & uxori & marito sub uno jugo laborandum pro cælo est, sed utrimque æqualibus viribus, ita ut totum onus non conjiciatur in alterutrum tantum: Proles educandæ sunt in virtute, docendæ bonos mores, instituendæ in timore Domini, invigilandum in illorum defectus, si maritus totum illud onus ac laborem relinquat uxori, ipse vero vel penitus non collaboret vel parum, non fert jugum cum uxore æqualiter, adeoque non meretur nomen mariti: Propterea nolebat Deus duo a-

nimalia inæqualium virium jungi in aratro, ne unum nimium gravaretur.

2. Sicuti boves juncti in aratro concorditer procedere debent, si enim unus incipiat excutere jugum, alter ferire cornibus, vel pedibus recalcitrare, aratrum evertent, & omnis illorum labor erit frustraneus: Sic oportet conjuges super omnia laborare ut mutuum habeant concordiam & amorem, sine hoc enim non possunt laborare pro cælo, jugum autem matrimonii excutit qui ferit discordias.

Concludo hanc materiam verbis *D. Prosperi Lib. de Contempt.* Non provenit, inquit, regnum cælorum dormientibus aut otiosis, sed laborantibus.

Audio *Christum* clamantem: Vestrum est regnum cælorum, posui illud in manibus vestris: Similiter audio Deum dicentem ad *Iosue Ios. cap. 6.* Ecce dedi in manu tua *Iericho*, & regem ejus, omnesque fortes viros. Vadat ergo *Iosue*, & urbem ingrediatur, quandoquidem Deus illam dedit in manu ejus. Verum est, urbs est in manu ejus, sed non ita ingrediendum nisi prius laboret: Circumeat prius urbem septem diebus cum toto exercitu, præeat arca, clangant sacerdotes buccinis, septimo die septies urbem circumeant, & fatigent se, tunc faciet Deus miraculum, & muri *Iericho* corruent. Sic clamat *Christus* ad omnes, posui in manibus vestris regnum cælorum, sed manus illæ prius admovendæ sunt operi. Hoc voluit Deus significare quando voluit boves sibi offerri, dignosque existimavit sacrificio, quia animal laboriosum est. Quasi diceret: Quisquis vult dignus esse ut offeratur Deo in sacrificium in templo Dei cælesti, laboret ut bos.

## DISCURSUS XVII:

*Voluit Deus sibi offerri turtures.*

**D**uo potissimum habet turtur. 1. Quod sit avis quæ sola inter omnes non canit, sed gemit. 2. Quod tunc maximè gemit quando par suum amisit. De utroque ait *Bernardus Serm. 10 de modo bene vivendi*: Turtur gemitum habet pro cantu, & significat ploratum Sanctorum.

Hic

Hic ploratus tam gratus est Deo, ut *Cant. cap. 1* numquam pulchrior sponsa apparuerit sponso, quam cum instar turturis gemit ac ploraret, tunc enim dixit illi: *Pulchra sunt gena tua sicut turturis*, quando nempe genæ illæ lacrymis rigabantur. Hoc rursum ostendit sponso *Cant. cap. 2*, cum diceret sponsæ: *Surge, propera amica mea, jam enim hyems transit, imber abiit, & recessit, flores apparuerunt, & vox turturis audita est in terra nostra*. Invitat illam ut veniat foras & se tantisper recreet, ut autem illam ad hoc moveat, quatuor rationes adfert. 1. *Hyems*, inquit, *jam transit*.

Jam arbores non stant rigidæ pruina, jam campi non amplius nivibus tecti sunt, jam non habes quod timeas à frigore & borealibus ventis. Hoc bene, quia in hyeme, nulla est recreatio. 2. Inquit sponso: *Imber abiit & recessit*, totum cælum sudum est sine nebulis, sed suo grato calore reficit animos; & hoc bene: Quænam enim voluptas discurrere per agros nebulas inter & imbres, vel torridos solis calores? 3. Inquit sponso, veradvenit: *Flores apparuerunt*, & hoc etiam bene, quia nihil gratius vere, nihil amoenius floribus: Hæc omnia bene; optimæ rationes ut sponsa urbe egrediatur & veniat foras ut se recreet: Sed de quarta ratione nescio quid dicam: *Vox*, inquit, *turturis audita est in terra nostra*. Quid enim? adeone tam raro audiebatur in *Palestina* vox turturis, ut miraculo proximum esset si semel audiretur? Aut tam dulcis vox turturis est quæ potius gemit quam canit, ut sponsa invitetur ad se illo gemitu recreandam? dicam quid sit: Turtur plorat absentiam Paris sui, & suo gemitu testatur quantum doleat de ejus amissione. Hoc tandem illud est quod rarum erat in terra, & sponso charum, & super omnia gratum: *Sonet*, inquit, *vox tua in auribus meis*: Quæ vox? vox turturis, vox quæ deploret se derelictam à sponso: *Sonet vox illa: Num quem diligit anima mea, vidisti?*

Denique ut ait *Bernardus*: Gemitus turturis significat ploratum Sanctorum, & ideo voluit Deus Turtures sibi offerri in sacrificium, ut ostenderet gemitum illum sibi esse gratissimum sacrificium: Juxta illud *Christi*: *Beati qui lugent*.

Distinguere tamen oportet inter luctum & luctum, non enim omnis luctus est bonus aut gratus Deo. Alii enim lugent quia non possunt se ulcisci de hostibus suis: Alii, quia non possunt explere impuros suos amores: Alii, quia invident proximo bona: Primus *dolor*

*Differen-  
tia luctus,  
& quæ  
defenda.*



dolor oritur vel ex ira, vel odio: Secundus ex lascivia: Tertius ex amore proprio: Hæc omnia Mala sunt: Tales ergo luctus non faciunt homines beatos.

2. Est luctus qui nec Malus nec bonus est, sed indifferens: Si tamen nimius est, fit Malus, quia inordinatus est: Si vero dirigatur ad Deum, fit bonus: E. G. dolemus propter mortem alicujus amici, vel ob jacturam alicujus boni naturalis, sanitatis, officii, &c. Naturale est homini de illis dolere, amici enim sunt nobis solatio, bona, sunt adjumenta vitæ, sanitas corporis etiam animi levamentum est: Quis non doleat si illis privetur?

Idcirco barbarus est qui prohibet matri deslere filium mortuum, vel qui alium reprehendit quod sentiat jacturam bonorum vel sanitatis: Sicut enim naturale est homini horrere quiddam naturæ contrarium est, sic naturaliter desiderat quiddam illam potest servare: Talis ergo dolor naturaliter bonus est, si desiderium istud non excedat limites suos.

Quomodo autem nos illum intra limites continere possimus, docet Philosophus *Seneca Lib. de Remed. Fortuitor. five in Excerptis*. An doles, inquit, quia pecuniam amisisti? fortasse illa te perdidisset, quam multos enim illa perdidit? eris nunc in via expeditior, domi tutior: O te felicem, si simul cum pecunia avaritiam perdidisti! damnum putas? remedium est: Non tam moleste ferres, si tanquam perditurus habuisses.

An doles qui male de te loquuntur homines? quinam illi sunt, nisi Mali? Malis autem displicere, laudari est: Non potest ullam habere auctoritatem sententia ubi qui damnandus est, damnat: Male de te loquuntur? quid inde? moverer si judicio hoc facerent, nunc morbo faciunt, non de te loquuntur, sed de se: Faciunt non quod mereris, sed quod solent: Quibusdam enim canibus sic innatum est ut non pro feritate, sed pro consuetudine latent.

An doles quia ægrotas? Venit tempus ut tui experimentum capias: Non in mari tantum, aut in prælio vir fortis apparere: Exhibetur etiam in lectulo virtus: Non potes toto sæculo ægrotare, aut enim tu febrim relinques moriendo, aut ipsa te, cedendo.

Doles quia pauper es? non te gravat paupertas, sed tu gravis es paupertati: Vitium in paupertate non est, sed in te, quia putas tibi

bi deesse quod aliis superest: Tibi vero nihil deest nisi peccata & Mala quæ divitiæ secum vehunt.

Doles quia liberos amisisti? quid istud aut novum aut mirum est? Quam rara est sine isto casu domus? nemo extra ictum vulneris positus est. Ducuntur ex plebeia domo funera, ducuntur & ex regia. Quid contra expectationem tuam evenit? periëre perituri. Sed tu illos superstites optabas, verum hoc tibi nemo promiserat.

Doles quia multos inimicos habes? arma te contra illos sicut contra serpentes aut feras; optimum est illos placare.

Denique quis cumque nos dolor invaserit, feramus, si exiguus est, levis est patientia, feramus, si gravis est, non levis est gloria. Pauci, inquit, dolorem ferre potuerunt, simus ex paucis: Imbecilles, inquit, natura sumus, nolite infamare naturam, illa nos fortes genuit &c.

Hactenus *Seneca*, ut doceat nos qua ratione moderari possimus naturales dolores ne mensuram excedant & limites, atque ita inordinati fiant ac Mali: De illis tamen ait *Salomon Prov. cap. 17. Spiritus tristis exsiccat ossa*, sicut tinea vestes & vermis exedit lignum: legitur nec hi hominem possunt facere beatum, neque de illis dici potest illud *Christi: Beati qui lugent.*

Ad extremum est luctus, qui in se bonus est, de quo ait *Salomon Ecclesiasticus cap. 3. Est tempus flendi*: Ergo non omnis dolor est Malus, alioquin nullo tempore liceret dolere, quia numquam licet Male facere.

Prima ergo species doloris boni est illa, quæ procedit ex amore erga proximum quando videmus illum peccantem: Sumus enim, inquit *Paulus*, omnes ejusdem corporis membra in *Christo*, sicuti ergo in corpore nostro, uno membro dolente, cætera omnia dolent ac compatiuntur, sic & nos dolere oportet propter miserum statum peccantis, quia per illum Deus offenditur. Sic flebat *Christus* propter peccata *Ierusalem*: Sic *Samuel* totâ vitâ suâ deflebat inobedientiam & crudelitatem *Saulis*: *David* præ dolore tabescebat, cum videret peccatores legem Dei transgredientes: Et nos quocumque convertimus oculos, quantam ubique habemus flendi materiam? ex una parte tot hæreses, quæ vastant Ecclesiam Dei; ex alia tot Ethnicos, qui verum Deum non agnoscunt, demonem adorant; Ex alia *Judaos* qui *Christum* execrantur & ne-

Ttt gant:

gant. Hinc Malam vitam quorundam Ecclesiasticorum qui & Catholicos & hæreticos scandalizant: Inde bella inter principes à quibus tantum sanguinis Christiani propter unum punctum honoris effunditur. Denique tot homicidia, adulteria, fornicationes, iniustitiæ, blasphemix, inimicitix, aliaque peccata innumera, quibus mundus scatet: Illi veri turtures sunt & beati, qui sic lugent. Sed nulli magis quam parentes, qui liberos habent qui nec Dei leges curant, nec diæta parentum, qualis inter alios fuit *Augustinus*, pessimus filius sanctissimæ viduæ. Quot illa lacrymas fudit pro isto filio! ipse *Augustinus* hoc testetur præsertim *Lib. 5 Confess. cap. 7.* Ego, inquit, volutabar in luto peccatorum, effusus in ebrietates, in fornicationes, in adulteria, homo sine lege, sine fræno, & præ cæteris pessimus hæreticus: Illa deshebat impiam vitam meam, quocumque loco oraret, rigabat illum lacrymis suis, numquam prætermittebat diem quo non interesset sacrificio Missæ, & deshebat mortem animæ meæ. Cumque semel accessisset *D. Ambrosium* amare flens, dixit illi *Ambrosius*: Vade, Mater, non potest filius tantarum lacrymarum perire.

Utinam, inquit *Augustinus*, omnes parentes sic flerent, sed sæpe, inquit in *Psal. 37*, contrarium accidit, si enim filius moriatur, mortem ejus deplorant, si peccet, non plorant, & tunc tamen debebat desheri, tunc enim pejus mortuus erat cum male viveret, quam cum corpore moreretur: Quando peccabat in domo tua, non solum mortuus erat, sed etiam fœtebat. Hoc deshendum est.

Probe hoc noverat vir quidam valde honestus in *Hollandia* quod *Augustinus* hic docet. Deprehenderat filiam suam peccantem cum juvene, habuit illam pro mortuâ, & ut talem deshevit: Jussit omnes suæ domus parietes atro panno vestiri, feretrum cum sarcophago statui in atrio, invitari omnes propinquos ad exequias, cumque assiderent mensæ, post tristem discursum, coram Notario ac testibus filiam suam exhæredavit, & bona omnia sua legavit propinquis. O verum ac beatum dolorem, qui sic gemit, ac deplorat jacturam animæ, sicut turtur gemit ac plorat, dum amisit Par suum.

*Nullum ad nullum dū finē datus est natura nisi & peccata desherantur.*

Altera species beati doloris oritur ex amore erga Deum, & animam nostram, quando propria peccata deshemus.

Putat *Chrysostomus Hom. 13 ad Popul.* dolorem ad nullum alium finem à natura homini datum, quam ad deshenda nostra peccata.

Audi

Audi quomodo hoc probet. Si, inquit, doleamus in morbo, vel morte, aliisve molestiis, tantum abest ut inde aliquid solatii capiamus, ut è contrario nos magis gravemus, & molestias augeamus: Si vero doleamus de peccatis, minuimus illorum magnitudinem, & sæpe totum destruimus. 2. Per lacrymas nostras mortuo vitam dare non possumus, sed animæ quæ peccato mortua erat, possumus vitam restituere. Tristitia peccatum tollit, non alias agritudines: Pecunia quis multatus est, doluit, non recuperavit: Filium amisit, doluit, non resuscitavit: Contumeliis affectus est, doluit, famam non revocavit: Infirmatur, doler, morbum non aufert: at peccavit quis, tristatus est, peccatum delet: Ergo tristitia tantum facta est propter peccatum ex quo nata est. Præstantissimus dolor deslere peccat. Quare merito de peccatore lachrymante dici potest quod sponsus de sponsa: *Pulchra sunt geneta sicut turturis: Alio lectio habet, sicut margarite.* Hinc de Davide ait *Chrysostomus Hom. 36 in Gen.* quid illis oculis Davidis formosius perpetuo lachrymarum imbre quasi margaritarum decore ornatis? quid generis illis pulchrius per quas tales margaritæ defluant?

Vultis scire quanti pretii hæ margaritæ sint? audite eundem *Augustinum Serm. 12 ad Frat.* Omnes aquæ non extinguunt unam scintillam inferni, una lachryma, si de corde contrito processerit, totum ignem inferni extinguit.

Rigabat David singulis noctibus stratum suum lachrymis suis, & desiebat peccata juventutis suæ: Tales lachrymæ, inquit *Chrysostomus, Hom. 1 de Lazaro*, quales erant Davidis, ipsum gehennæ incendium norunt extinguere.

Tam copiosas fundebat lachrymas *Magdalena* ut iis pedes *Christi* rigaret. & mox audivit omnia peccata sua esse remissa. O quanta vis, exclamat *Chrysologus Serm. 93 in lachrymis peccatorum!* extinguunt gehennam, delent omne peccatum, & latam divina promulgatione sententiam.

Non possum hic præterire animadversionem quam habet Scriptor quidam egregius quoad vim lacrymarum: Postquam enim exclamavit: O felices lacrymæ, victoriæ seminarium, & semen triumphi; adducit illa verba quæ Deus olim dixit *Lib. 4 Reg. cap. 20 ad Ezechiam regem jam morti proximum: Vidi, inquit, lacry-*

*mam tuam, & ecce sanavi te.* Adverte robur lachrymarum: *lactantur Ezechie* lachrymæ cum Domini ira, & vicere: Solo lachrymarum aspectu passus est Deus se vinci. Tam facilis victoria est ubi lachrymis decertatur.

Quid dico lachrymis? Vix prima fluxit lachryma ex oculis *Ezechie*, cum ira Dei non expectavit secundam; non enim dicit Deus: Vidi lachrymas tuas, sed *vidi lacrymam tuam*, aspectus unius dumtaxat lacrymæ sufficiebat Deo ut iram deponeret, una lacryma potuit triumphare de Deo: Adeo verum est quod ait *Ambrosius*: Una lachryma vincit invincibilem, & ligat omnipotentem.

Dignum etiam animadversione est quod idem Scriptor in  *Davide* reflexit: Adiit, inquit, quadam die ad Deum Propheta, & rerum à se gestarum Catalogum Domino obtulit, dicit enim *Psalm.* 55. *Deus, vitam meam annuntiavi tibi*: quam præclara habebat *David* quæ Deo poterat annuntiare. Hic poterat proponere gladium quo fuderat *Philisthaos*, lapidem quo vicerat superbientem gigantem, fortitudinem qua laceraverat leones & ursos, mansuetudinem qua pepercerat *Semei* se maledicenti, patientiam qua *Saulem* pertulerat, religionem qua, non obstante irrisione uxoris suæ, ante arcam saltaverat, cineres quibus caput asperferat, jejunium quo se maceraverat, cilicium quod induerat cum poenitentiam de homicidio & adulterio ageret, linguam qua tot laudes divinas cecinerat, manus quibus altaria struxerat, animum quo Deum dilexerat, denique lacrymas quas fuderat: Et ecce è tot præclaris factis, solas sibi lacrymas, quibus oblectaretur, Deus elegit. Dicit enim *David*, quasi Deus omnia reliqua præteriiisset: *Posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.* Omnia quæ *David* recitaverat grata erant Deo, sed nihil gratius lachrymis deflentis peccata, quod enim nobis præ cæteris placet, assidue versatur nobis ob oculos, & quod cor præcipue amat, hoc oculus libentissimè videt. Posuit Deus lacrymas *Davidis* in conspectu suo, non item reliqua, ut assidue ei versarentur ob oculos, signum, quod nihil illi gratius esset quam lacrymæ poenitentis.

Confirmor in hoc ex versione *Pagnini*, qui pro eo quod habet textus communis, *posuisti lacrymas meas in conspectu tuo*, ipse vertit: *Posuisti lacrymas meas in libro tuo*: Hoc est, tam grata sunt sibi lacrymæ peccatoris, ut eas quasi rem maximi momenti, inter

inter notabilia magna, annotaveris in Annalibus tuis, ut futuris sæculis innotescat, quod talis vel talis peccator, in amaritudine animæ suæ peccata desieverit, & tu quasi gloriari possis ac dicere: Tot tantisque lacrymis, tali hora ac die, clamavit ad me talis peccator.

Amplius dico. Invitavit nos Deus per *Isaiam cap. 55* dicens: *Omnes sitientes venite ad aquas, & venite absque argento*: His vocibus ad sacrum convivium nos Deus invitat, & quasi supereffluerent ferula, etiam sine pretio advocat convivas ad bibendum. Sed rogo te, Domine, quid sitientibus propinabis? *Inebriabo te lacryma mea*, inquit *Isaiæ cap. 48*. Audin? hæ sunt deliciae quas præbet Dominus invitatis, calices lacrymis plenos: Imo & panem præbet ex lacrymis, sic enim ait *David Psal. 79*. *Cibabis nos pane lacrymarum & potum dabis nobis à lacrymis*. Ecce cibum & potum quem Deus pro deliciis, suis apponit in mensa; nil nisi lacrymas: Quid dicam illas esse? Vinum, vel panem, vel aquam? nescio quo nomine appellabo: Hoc scio, tantæ esse virtutis, ut, si aqua sint, ignem eructent, si ignis sunt, flammam extinguant: lis fax charitatis accenditur, is flamma vitiorum sopitur. Vide ignes à lacrymis: *Exitus aquarum*, inquit *David Psal. 118*, *deduxerunt oculi mei*: Quid tum? *ignitum eloquium tuum vehementer*. Ignescit verbum Domini ad fletum Regis. Vide jam restinctam per lacrymas flammam: *Magdalena*, Quæ Christi pedes rigavit lacrymis, in suis fletibus impuram libidinis facem sensit extinctam.

Denique gratiores Deo sunt lacrymæ pœnitentis quam innocentis. Deus, inquit *D. Chrysologus Serm. 93*, delinquentium gemitus elurrit, sicut lacrymas peccatorum. Ideo dicit *David*: *Posuisti Domine, lacrymas meas in conspectu tuo*, annotasti eas in libro tuo, vel ut habet textus *Hebraus*: Collegisti eas, & servasti quasi in particulari quadam laguncula ut pretiosissimum vinum.

Sed cur potius tuas, *O David*, lacrymas servavit, quam *Samuelis*, vel *Mosis*, vel *Aaronis* vel *Iosue*? quia illi casti erant, & ego adulter, magnus peccator, & plus Deo sapiunt lacrymæ pœnitentium, quam innocentium: Numquid hoc clare patet ex verbis Christi dicentis: *Majus erit gaudium coram Angelis Dei, super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta novem justis qui non indigent pœnitentiâ?*

Quid plura? peccatores gementes & flentes veræ turtures sunt, quarum gemitus, ut supra audivimus, tam gratus erat sponso, ut

sponsam invitaret foras ad illum audiendum tanquam nobilissimam musicam qua se oblectaret. *Vox inquit, turturis gementis, audita est in terra nostra, veni ergo & recrea te.*

Peccator ingemuit, venit ergo Angeli Dei, & gaudete, & voluptatem ex illo gemitu capite: Gemitus ipsius suavissimus cantus est, offeratur ergo Deo talis turtur in sacrificium, tanquam illi gratissimum.

Restat adhuc una species doloris, eaque Sanctorum qui gemunt propter absentiam sponsi, sicut turtur gemit propter absentiam Paris.

Hic dolor oritur partim ex nausea hujus vitæ ac rerum terrenarum, partim ex desiderio cælestis patriæ, partim ex amore erga Deum & Christum ut illorum visione fruantur, sive illi qui mundo renunciarunt & corpore & animo, sive qui corpore vivunt in mundo, animo tamen extra mundum.

Ex postremis fuit Patriarcha *Abraham*, de quo dicit *D. Paulus* Apostolus, quod in hujus vitæ peregrinatione anhelabat ad patriam æternam: De quo etiam *Augustinus* ait: Invenimus qui existens in mundo, civis cæli erat, contemnebat enim in quibus erat, & aspicebat ad illa, in quibus non erat.

Talis etiam fuit *David*, sæcularis homo, quoties tamen ille in Psalmis suis ostendit tædium quod hujus vitæ habebat, & ardens desiderium quo flagrabat ad alteram modo clamabat *Psal. 41: Quando veniam & apparebo ante faciem Domini? fuerunt mihi lacrymæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: Vbi est Deus tuus?* hoc est, inquit *Hugo* Cardinalis: Flebo quia abest quod desidero, flebo quia adest quod non amo: Modo audis illum clamantem *Psal. 119. Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est, multum incola fuit anima mea.*

*Heu mihi*, inquit *Hieronymus*, interjectio gementis est, & cur quæso, inquit, gemit *David*? an quia illum persequitur *Saul*? an quia *Absalon* contra illum rebellat? an quia uxor illi erepta est? nequam, sed quia incolatus ejus prolongatus, quia nimis diu manebat in vita, non poterat diutius ferre absentiam Dei, & carentiam visionis illius, patriam desiderabat, & ideo turturis instar gemebat, quia tædebat illum exilii, & peregrinationis tam diuturnæ.

Modo audias illum clamantem: *Psal. 41: Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus: Modo Psal. 38: Domine Deus virtutum, quam dilecta Tabernacula tua! concupiscit & Quod deficit anima mea in atria Domini.*

Quod si homines in medio sæcularis vitæ, ac felicitatis tam amare gemebant propter absentiam Dei, quid ergo fecerunt illi qui sæculo renuntiarant.

Audite Paulum Apostolum. *Desiderium habeo*, inquit *Rom. cap. 7, dissolvi, & esse cum Christo*: Volebat liberari quia vi quasi cogebatur hic tamdiu vivere: dolebat se tamdiu separari à *Christo*, ex amore quo illum amabat.

Veniant libere omnes illæ gementes turtures, sive illi qui desunt peccata aliena, seu propria, sive qui gemunt propter dilatam Lei præsentiam fruendam in cælo, veniant libere ut se præsentent ad altare, tales potissimum vult Deus sibi offerri in Sacrificium, sicut olim turtures in veteri Testamento.

## DISCVRSVS XVIII.

*Voluit sibi Deus offerri columbas.*

**D**UAS habet qualitates columba, propter quas, ut existimo, Deus sibi voluit illam offerri, dignamque existimavit Sacrificio divino.

Prima qualitas est, quod sit animal valde pacificum, dicunt enim Naturalistæ quod careat felle, hinc raro aut numquam videmus columbas inter se pugnantes, sicut hoc passim videmus in aliis avibus. Quid ergo mirum quod Deus hoc animali præ cæteris voluerit ad denuntiandam pacem *Noë* existenti in Arca? delituerat Sanctus hic vir multis mensibus conclusus in Arca, quando aquæ quæ totam terram inundaverant, cœperunt decrefcere; & Arca conscendit in sicco supra montes *Armenia*, quod ubi *Noë* advertit, corvum emisit ex Arca, ut videret an aquæ penitus cessassent, sed corvus non est reversus, verosimile quod cadaveribus infederit ut ea dilaceraret. Emisit ergo *Noë* post corvum duas columbas unam post alteram, quarum postrema inquit Scriptura, reversa est, *portans ramum Olivæ virentibus foliis in ore suo*: Oliva autem, etiam apud Ethnicos, semper fuit Symbolum pacis: Hujus ergo columbæ ministerio usus est Deus ut nuntiaret pacem *Noë*, & suo ramo Olivæ ostenderet jam Deum placatum, interque illum & homines pacem esse conclusam. Numquid *Noë* prius emiserat corvum? cur ergo hoc animali Deus non est usus ad pacem ferendam?



dam ꝑ quia animal ferox est, & carnivorum: Melius ergo ad hoc elegit columbam, quæ quia naturâ pacifica, aptior erat ad pacem annuntiandam.

Altera qualitas columbæ est velocitas in volando: Hinc optat Propheta *David Psal. 54* sibi dari pennas columbæ, ut quam citissimè volaret ad Deum.

Quisquis ergo has qualitates habuerit, pacificus fuerit, & velox in agendo, aptissimus est ut offeratur Deo in Sacrificium, sicuti enim ipse est Deus pacis, sic nihil magis amat quam pacem. Hoc punctum primo assumamus.

Maximam esse oportet excellentiam pacis, cum Deus ipse hoc nomine gloriari voluerit, dicente *Paulo*, qui illum sæpius vocat in suis epistolis, *Deum pacis*; & quando *Isaias cap. 9* Prophetat *Christi* adventum in mundum, *vocabitur*, inquit, *Princeps pacis*: Hinc cum nasceretur in *Bethlehem*, hoc primum & unicum Angeli cecinere; *Pax hominibus*, quia jam venit *Princeps pacis*, imo ipsa pax: Sed sicuti quando veniebat in mundum, prima virtus quam commendavit hominibus, pax fuit, sic cum è mundo discederet, eadem virtus postrema fuit quam pro Testamento reliquit Apostolis, dicens: *Pacem relinquo vobis, pacem meam de vobis*. Hinc necessario sequitur excellentissimam hanc esse virtutem, quam *Christus* voluit esse initium & finem totius vitæ Christianæ.

2. Ejus excellentia patet ex hisce duobus capitibus. 1. Quod nihil sine illa possit esse perfectum. 2. Quod ipsa natura sine illa non possit subsistere.

De primo ait *D. Augustinus lib. 19 de Civit.* Pax, inquit, omnis ordinis tranquillitas est: Sed ubi ordo deficit, ibi non est perfectio; Ergo ubi pax non est, ibi non est perfectio; deest enim aliquid quod ad perfectionem rei requiritur.

Exemplis manifestum hoc fiet. Pax corporis nostri, est bonum temperamentum inter humores vel membra, si unus tantum humor extra mensuram vel ordinem est, aut unum membrum læsum, corpus ægrotat.

2. Pax inter corpus & animam, est bene ordinata concordia inter utrumque, ita ut corpus subjectum sit animæ, & Passiones rationi: Si ordo ille frangatur, continua lucta est inter corpus & animam, ubi autem lucta, ibi tranquillitas esse non potest.

3. Pax inter homines, est quidam consensus communis ad  
omnia

omnia quæ decent, tolle hunc consensum; tota hominum societas nihil est aliud quam confusio, & tumultus, & bella.

4. Pax inter Deum & homines, est subiectio hominis Deo, eique voluntati ac legi, tolle hanc subiectionem, inimicitia: insurgunt Deum inter & homines.

Atqui ubi morbi sunt, & inquietudines, & tumultus, & bella, & inimicitia: ibi non est perfectio: Ergo ubi non est pax, aliquid deest perfectioni quam res requirit, consequenter nulla res sine pace potest esse perfecta.

Dixi 2. ne quidem aliquid in ipsa natura sine pace posse subsistere. Concordia enim vinculum est totius naturæ, rerumque prorsus inter se dissimilium, imo & sibi invicem repugnantium consensio.

1. Quanta differentia inter motum Solis, Lunæ, & aliarum Planetarum, in tanta tamen dissimilitudine tanta concordia est, ut illos *Iob* comparaverit musicæ: Sicuti ergo in musica voces maxime dissonantes, una altior, alia submissa, alia subtilis, alia crassa, maximam ac suavem concordiam faciunt, sic est in motibus Planetarum. Verumtamen sicut in musica, si unicustantum tonus cum altero non convenit, musica non valet, eodem modo si in motu celorum minimum quid deesset, tota natura mox pateretur, ergo natura non potest sine concordia ac pace subsistere.

Quis nescit quanta sit repugnantia inter quatuor Elementa? ignis est calidus, aqua est frigida, aër est humidus, terra est sicca: Sed divina providentia hæc ita disposuit ut aër esset inter ignem & aquam, aqua vero inter terram & aërem, hinc fit ut vivant in pace: Aër enim temperat calorem ignis & frigus aquæ sua humiditate, & aqua temperat siccitatem terræ, atque ita ex tali discordia qualitatum oritur tanta concordia, ut in ea natura tota consistat.

Hinc concludo. Si tanta pax & concordia necessaria sit in rebus sensu carentibus & ratione, quam necessaria erit creaturis rationalibus? Hæc enim inter se agunt & vivunt, ergo animo concordem esse oportet, alioquin non est societas hominum, sed confusio belliciarum. Quot enim Republicæ periire, per discordias? maximæ res fracta pace dispereunt.

Nati sunt homines ut sibi mutuo opem ferant; hinc omnia sic natura disposuit ut uni abundet quod alteri deest: Dotes enim tam corporis quam animæ non sunt æquales in omnibus: Unus bono

ingenio est, alter meliori iudicio. Hi excellunt in animositate, illi industria, isti in scientia, alii experientia, alii eloquentia, alii in dando consilio. Adeoque quod ille vel isto exequi non potest, adutus ab aliis potest. Verum quando discordia interuenit, & alter separatur ab altero, quisque in particulari non sufficit, vel ut se defendat, vel seruet, atque ita pereunt non tantum familia, sed etiam totæ respublicæ & Regna. Hæc spectant politicum statum.

Quod vero attinet ad moralia; tres sunt species pacis sine quibus homines nec moraliter, nec honestè vivere possunt. Primo enim pacem habere debent cum Deo. 2. Cum seipsis. 3. Cum proximo. Hæc à se invicem ita dependent, ut nemo secum pacem habere possit, qui non habet cum Deo, nemo cum Deo, qui non habeat pacem cum proximo.

Ac primum quidem certum est peccatores non habere pacem cum Deo, ait enim *Iob cap. 9*: *Quis Deo restitit, & pacem habuit?* Ac qui peccatores, violando Dei præcepta illi resistunt, dicunt enim, ut olim *Iudæi*: Non seruiemus tibi: Ergo peccatores non habent pacem cum Deo, sed sunt capitales ipsius hostes & transfugæ ad castra diaboli.

In hoc ergo consistit pax cum Deo ut omnes ipsius voluntates adimpleamus, illi obsequamur ut probi filii, & seruiamus ut milites fidi. Aut si aliquando rebelles fuerimus, aut transfugæ; abijciamus arma quibus Deum oppugnauimus, & reconciliemus nos illi, ut deinceps militemus sub Crucis vexillo.

Jam vero in quo pax cum nobis ipsis consistat, docet *Augustinus lib. 1, de Serm. Dom*: Hæc pax, inquit, in eo sita est, ut homo omnes suas potentias habeat ritè ordinatas, nempe ut inferior pars subjiciatur superiori, hoc est, corpus spiritui.

Est enim continua lucta inter carnè, quæ est pars inferior hominis & inter spiritum qui pars superior est, *Caro*, inquit *Paulus, concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnè*: Neuter vult cedere. Caro suo pondere conatur spiritum deprimere ad ea quæ terrena sunt, spiritus contra carnem elevare ad cælestia. Deinde semper trahunt sensus nostri ad ea quæ corporeas voluptates spectant, potentia vero animæ, ingenium quæ & ratio, ad spiritualia: Quis modus ut quis in tanta ac continua lucta secum habeat pacem?

In hac vita, inquit *Augustinus lib. 1 Retract. cap. 19*, nemo liber esse

potest à lucta inter carnem & spiritum, sed nemo est qui per gratiam Dei, resistendo, luctam illam non possit superare, & pugnando victor evadere, si carnem subjiciat spiritui. quantum patitur humana infirmitas. Quisquis hoc facit, pacem habet secum.

Quemadmodum enim Rex aliquis, qui bella gerit, pacem habere non potest, nisi vires hostium pugnando & vincendo penitus frangat, & sub potestatem redigat, sic nullus homo pacem secum habere potest nisi carnem, hostem suum capitalem, subjiciat animæ, & cupiditates rationi, quantum, ut modo dixi, patitur humana infirmitas. Quamvis enim aliqui motus inordinati vel à carne, vel à diabolo, vel à corrupta natura excitentur, ideo tamen dici non potest quod homo non habeat secum pacem, modo præcipue animæ nostræ potentia, intellectus & voluntas, iis non succumbant, sed resistent.

Sic dici non potest civitatem aliquã gerere bellum adversus Regem quando unus dumtaxat aut alter civis tumultuatur; sed quando Magistratus, aliique rectores civitatis cum illis conspirant: Ut aliquando in homine non tumultuetur una alterave concupiscentia, fieri, inquit *Augustinus*, in hac vita non potest, non ideo tamen animi pacem amisit, quamdiu bonam ac fortem retinet voluntatem: Et hoc est quod nato *Christo* caneabant Angeli.

*Pax hominibus bonæ voluntatis.* Hanc ergo pacem eripere non potest diabolus, nec caro, nec mundus, quamdiu voluntatem captivam non ducunt. Illa si supereminet, extra ictum est, frustra laborat diabolus, frustra tumultuatur caro, frustra vociferatur mundus, turbare animi pacem non possunt dum voluntas supra illos est. Plane sicuti vertex montis *Olympi* ubi tanta quies, ut quod inscribitur arenæ, etiam post annum deprehendatur ita perstitisse, ut ne arenula quidem fuerit mota: Reboant tamen circa montem tonitrua, micant fulgura, cadunt imbres, perflant venti, nihil efficiunt, quia vertex montis supra omnia ista est, & supereminet. Voluntas hominis suprema facultas est, ubi gratia Dei accesserit, turbari non potest, lædi non potest, nisi seipsam infra diaboli pedes abjecerit.

Videamus modo in quo pax cum proximo nostro consistat. Dico verbo uno, sitam esse in hoc ut dissimules illius defectus quando ad te non pertinet illos carpere. 2. Ut numquam male loquaris de eo. 3. Ut molli responso illius iracundiam frangas.

V V V 2

4. Ut

4. Ut amorem illi exhibeas quando in necessitate est. Denique ut inimicis tuis non noceas. Hæc breviter.

Jam ostendo quod una pax sine altera non possit subsistere. 1. Nihil est quod pacem hominis magis turbet quam peccatum; hinc enim timores vel æternarum vel temporalium poenarum, hinc remorsus conscientia, anxietates de die, terrores de nocte, & sæpius desperatio. Sed qui peccat non habet pacem cum Deo, quia hostis est Dei: Ergo qui ratione peccati secum pacem non habet, non potest habere pacem cum Deo.

2. Qui non habet pacem cum Deo, non potest etiam pacem habere cum proximo hæc enim pax in amore consistit: Atqui *D. Ioannes* dicit, quod qui non diligit fratrem suum, non diligit Deum: Ergo qui non habet pacem cum Deo, non habet pacem cum Proximo.

Hicse positis ille solus mansuetus dicendus est qui & secum, & cum Deo, & cum proximo pacem habet: Voluit ergo Deus columbas, mansuetum animal offerri sibi in veteri Testamento, ut significaret mansuetos homines sibi gratissimum fore Sacrificium in novo. Singulariter enim amat Deus pacificos & mansuetos quia Deus pacis est.

## DISCURSUS XIX.

*Voluit sibi Deus offerri capreas:*

**I**Nter cætera animalia capream, præsertim sylvestrem, velocitate præstare ex pluribus Scripturæ locis colligere licet; ac primum quidem ex *Cant. 2*, ubi sponsa dicit de sponso: *Similis est dilectus meus caprea, saliens in montibus, transiliens colles*: Caprea, inquit *Rupertus*, celerrima est in montibus, uno enim saltu ex uno colle transilit in alium, quamvis ab alio aliquot passus, aliquando sexagenos pedes, ut ait, *Marcus Varro lib. 2 de re rustica*, distantem. Hanc quoque celeritatem explicans *Ecclesiasticus cap. 27*: *Effugit, inquit, quasi caprea de laqueo*. Denique ut Scriptura *lib. 2 Reg. cap. 2*, explicet quam velox fuerit *Asael* unus ex fortissimis *Israëlitis*: *Asael*, inquit, *cursor velocissimus fuit, quasi unus de capreis qua morantur in sylvis*.

Hoc

Hoc ergo animal voluit sibi Deus offerri in Sacrificium ut ostenderet non sufficere ut sibi seruiatur quoquo modo, sed ut ei seruiamus expedite & celeriter.

Quam hoc genus non sit Deo docet nos Scriptura variis locis *Prov. cap. 13. Qui d' operari potest manus tua, instanter operare. Prov. cap. 22. Vidisti virum velocem in opere suo, coram regibus stabit. Eccles. cap. 31. In omnibus operibus tuis esto velox. 2 Cor. cap. 9. Hilarem datorem diligit Deus.* Nam ut habet commune proverbium: *Qui cito dat, bis dat.* Servi vel ancillæ veloces in opere, plus conficient operis unâ horâ, quam tardi duabus aut tribus: Non facile dici potest, quantum velocitas operibus ornamentis & momenti adiciat: Non enim, inquit *Ambrosius, Lib. 1 de Cain cap. 5,* satis est rectè facere, nisi etiam maturare quod facias: Uberiores fructus habet celerata devotio. Quis enim nescit rectè facta tanto majorem laudem ac mercedem mereri quo majori cum velocitate fiunt?

*Ambulabat Christus, inquit Matthæus, cap. 4 juxta mare Galilee, & vidit duos fratres Petrum & Andream mittentes rete in mare, & ait illis: Venite post me & secuti sunt eum: Procedens inde, vidit alios duos fratres Iacobum & Ioannem, & vocavit eos, & secuti sunt eum.* Ingens erat opus sequi Christum vocantem, sed ideo longe præstantius, quod, ut ait Scriptura, *continuo ac statim,* relictis retibus ac navibus, & ut putat *Abulensis,* ne quidem domum reversi ut domesticis valedicerent, Christum sequerentur: Tanta velocitas procul dubio reddebat opus longè præstantius, & laudabilius.

Idem videre licuit in *Matthæo;* cum enim, ut ipse met narrat *cap. 9,* federet in telonio, transibat illac *Christus,* & non plura dicebat quam duo verba: *Sequere me,* & addit Scriptura, *surgens secutus est eum,* & hoc mirabile: Sed longè mirabilius quod homo tam dives, tot implicatus negotiis, pecuniæ tam avidus, statim ac sine mora, relictis omnibus, sequeretur: Operi tanto magnum ornamentum addebat velocitas.

Denique mirabile opus erat quod præstabat *Zacheus,* quando restituebat non tantum bona quæ injustè lucratus fuerat, sed etiam in quadruplum; hominem tam avarum hoc facere, pœne miraculum erat, sed hoc facere uti narrat Scriptura, verum miraculum erat: Videbat illum *Christus* sedentem in arbore & ait: *Zachee festinans descende,* at ille, inquit *Lucas, cap. 19 festinans descendit,*

*cedit, & excepit illum gaudens.* Placuit Christo restitutio *Zachari*, sed super omnia placuit velocitas restituendi, hinc statim audiuit: *Hodie huic domui salus facta est*, non dicit tibi tantum salus facta est, sed toti domui tuæ, ut ostenderet tanto majus beneficium illi præstitisse, quanto magis ille festinaverat, & velocior fuerat in bono opere exequendo.

Hanc præ cæteris velocitatem animadverterunt ac laudant in *Abrahamo D. Chrysostomus & Origenes.*

Sic loquitur primus in *cap. 28 Genes.* Videbat *Abraham* advenientes de longe tres peregrinos, statim, inquit, currit & volat *Abraham*: Vidit enim prædam quam venabatur: Non vocavit famulos, sed cogitabat magna hæc est negotiatio, magnus thesaurus, per memetipsum hanc mercem inferre debeo, ne elabatur tantum lucrum. Similitudinem capit *Chrysostomus* vel ab aquila quæ prædam, vel à cane qui leporem infectatur, uterque volat & currit velocissime ut prædam assequatur: Sciebat *Abraham* maximum esse opus misericordiæ ac charitatis, & magnum animæ lucrum peregrinos excipere, ideo currit quam potest citissime ut tam egregium opus exequatur, ne si lentè procederet fortassis fervor vel hærendo, vel cunctando, paulatim flaccesceret.

Postquam autem eos in ædes suas induxerat, quidquid erat in domo æque velox fuit: Dicit enim Scriptura: *Festinavit Abraham; dixitque Sara uxori suæ, accelera; tria Sara simile commisce, & fac subcinericeos panes.* Ipse vero ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerimum, deditque puero, qui festinavit & coxit.

Ecce, inquit *Origenes*, in *Genes.* *Abraham* currit, uxor festinat, puer accelerat: Hinc verissimum est quod inde concludit: Nullus piger est in domo sapientis, seu justii.

Domus enim justii habitaculum est Spiritus sanctii, ubi autem spiritus ille, ibi summa velocitas in omni opere bono: Nescit enim, inquit *Ambrosius*, *Lib. 2 in Luc. cap. 1.* Tarda molimina Spiritus sanctii gratia.

*B. V. Maria* dixerat *Angelus*: *Spiritus sanctus superveniet in te, & mox Spiritu sancto plena perrexit in montana, & summa cum festinatione iter illud peregit ut visitaret Elisabeth; ibat eo factura opus charitatis, nempe ut serviret Elisabeth in puerperio, impellebat illam ad hoc Spiritus sanctus: Ideo, ut inquit *Lucas*, abiat cum festinatione.*

Vide.

Videbat *Ezechiel cap. 1* currum divinæ majestatis quem trahebant quatuor animalia, bos, leo, aquila, & homo, & *spiritus vite*, inquit Scriptura, *erat in rotis, & ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur*: Sed quomodo? *Ibant & revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis*, nihil velocius fulmine, & unde tanta velocitas? ex spiritu vitæ.

Denique quotquot spiritum Dei habuere, promptos & alacres sese exhibuere. *David Psal. 118* dicit se non ambulasse, sed cucurrisse per viam mandatorum Dei, & ut adhuc velocior foret, optabat sibi dari pennas columbæ ut volaret. *Samuel* vix vocem Dei audiverat noctu cum dormiret, statim surrexit, ut audiret quid vellet: *Tobias* sedebat ad mensam inter amicos, intelligit aliquem ex filiis *Israël* occisum jacere in platea, statim relicto convivio surrexit ut eum sepeliret.

Nato *Christo* custodiebant gregem pastores, intelligunt *Christum* jacere in præsepio, & *venerunt*, inquit Scriptura, *festinantes*, ut natum puerum viderent.

Hanc etiam velocitatem in omnibus quæ ad Deum spectant, semper exigit Deus à servis suis. Cum vellet *Lothum* educere è *Sodomis*: *Festina*, inquit, & *salvare*: Cum vellet *Petrum* educere è carcere, *surge*, inquit, *velociter*: Cum vellet mittere *Jeremiam* ad prædicandum: Statim, inquit, *accinge lumbos tuos*, & *surge*: Cum invitaret sponsam ut veniret ad se: *Surge*, inquit, *propera amica mea*, & *veni*: Et ut omnes quotquot vellent Deo bene servire, haberent exemplar quo ad velocitatem excitarentur, proposuit illis filium suum, iussitque proclamari per *Isaiam* Prophetam *cap. 8* quod nomen illius filii, esset, *accelera*, *festina prædari*, quasi diceret, erit celerrimus prædator, qui animas è misera diaboli servitute eripiet, & ad hoc exequendum descendet de cælis in terram instar avis volantis: Dicit enim *Malachias cap. 4*. *Sanitas in pennis ejus*, non dixit *Propheta*, *in pedibus*, quamvis *Christus* pedibus ad diversa loca discurreret ut ægros sanaret, vel mortuos suscitaret, sicuti quando ivit ad domum centurionis, *Archisynagogi*, *Lazari* &c. Non dixit etiam *sanitas in manibus ejus*, quamvis *Christus* per tactum vel impositionem manuum multos sanitati restituerit: Non dixit *in ore ejus*, quamvis solo verbo multos curaverit; sed dixit: *Sanitas in pennis ejus* ut velocitatem ejus expr-



primeret qua descendit de cælo ut totum genus humanum curaret.

Hic habetis primum & supremum exemplar velocitatis in agendis iis quæ spectant ad Deum, hoc secuti sunt quotquot placere Deo præ cæteris cupierunt; nos ergo, si Deo servire velimus perfectius, illorum vestigiis insistamus.

Sed hæc est humana miseria ut, vel plerique velociores sint ad temporalia & caduca, quam ad spiritualia & æterna. Summa festinatione & summa velocitate currimus ad dignitates, munia, beneficia Ecclesiastica, aut sæcularia, morte cuiusdam interveniente, non expectamus donec mortuus sit, sed ipso adhuc vivente, movemus cælum & terram: Tunc scribuntur litteræ, & inscribitur illis cito, cito, cito, & mittuntur citatis equis, vel ipse met sollicitans equum ascendit, & quamvis sero vespere, egreditur urbe, & totâ nocte celerrimè iter conficit ut præveniat alios, & sic ait *Thomas à Kempis: Pro modica præbenda longa via curritur, Parisios, usque, inde Madritum vel Romam.* Nemo quidem hoc passim reprehendat, quisque enim potest seipsum juvare, & sibi providere: Sed in hoc latet malum, inquit *Thomas, quod pro vita æterna vix pes à terra levetur.* Si avo, avunculo, propinquo, subito è vivis sublato, pinguis hæreditas adeunda est, volatur: Sed quam lentis passibus aditur hæreditas filiorum Dei: Si lucrum sese offert aliquot florenorum, quantâ celeritate accurritur? si cælum lucrandum aliquando expectatur in annos: Quanto impetu curritur ad convivia, symposia, choreas, comædias? quam languide ad divina officia?

Sancta *Elisabetha*, filia regis *Hungariae*, ita indies properabat ad templum ut missæ Sacrificio interesset, quasi multarum leucarum iter aggredere, unde pedissequæ illam vix assequi poterant. Jam vero non festinatur, sed differtur ad ultimum sacrum, ubi ære campano signum datur, mora trahitur, & lucro reputatur si sub Evangelium advenerint, tamdiu spiritus vanitatis in comendo & poliendo ad speculum detinet, donec plenè satisfecerint mundo, priusquam satisfaciant Deo.

Tales victimæ sunt quæ mundo offerantur, non Deo, vult enim Deus capreas sibi offerri, hoc est eos qui sint veloces non tantum ad faciendum bonum, sed etiam ad patiendum; ideo spon-

sponsum suum esse similem Capreae quae salit in montibus, & transiit colles.

Per montes & colles intelligit *D. Gregorius*, ea quae patimur, seu graves difficultates, quae nobis in hac vita occurrunt: Tunc applicat *Gregorius* illa verba: *Saliens in montibus, transiit colles*, difficultatibus quas *Christus* sine difficultate, quasi saltando cum velocitate sustinuit. Ingens mons erat pasci in stabulo, reclinari in praesepio majestatem illam, quam adorant angeli, & coram qua tremunt potestates caelestes: Ingentes montes erant circumcidi ut peccatorem, qui erat summa puritas, & sanctitas infinita: Fugere in *Aegyptum* à facie hominis persequentis, qui omnipotens erat; duci in eremum, ut tentaretur à diabolo Deum qui venerat diabolum oppugnaturus: Jejunare quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, eum qui dat escam esurientibus; Ingens mons erat blasphemari ab hominibus qui eum dicebant esse *Samaritanum*, & dæmonium habere, & in principe dæmoniorum ejicere dæmonia, quem in caelis laudabant omnes angeli, ac benedicebant: Denique quam ardui montes erant, capi, vinciri, alapis caedi, flagellari, conspui, coronari spinis, morti addici, per vicos & plateas *Jerusalem* incedere cruce onustum, crucifigi inter duos latrones, qui ipsa innocentia erat? Omnes illos montes *Christus* capreae instar tantâ agilitate transiit atque percurrit, quasi per amoenissima prata, aut hortos floribus vernantes discurreret. Nihil enim tam grave est quod non sit leve, nihil tam molestum quod non sit jucundum amori.

Nos omnes, inquit *D. Petrus*, *Epist. 1 cap 2*, sumus lapides vivi ex quibus aedificatur caeleste palatium: Lapidés praesertim quadrati ex quibus domus struuntur, secari debent, & ictus mallei, ac scalpri subire ut aptam melioremque formam accipiant, sic multa pati debent ii ex quibus strui debet aedificium caeleste: Sed quia lapides vivi sumus, ut ait *Petrus*, intus spiritu agimur; ergo non sumus sicut lapides qui vitâ carent & sensu, adeoque se non movent nisi manibus fabrorum suis locis ponantur; sed lapides vivi, quando malleis tunduntur, & scalpuntur, & secantur, sponte volant in altum spiritu amoris, & transiliunt omnes difficultatum montes & colles, & per se summâ velocitate festinant, inquit *Hieronymus*, *in cap. 3 Zachar.* ut suo loco in aedificio caelesti ponantur: Graves quidem, quia lapides, sed velocissimi inter

X x x

ictus

ictus & vulnera, quia lapides vivi, qui spiritu Dei aguntur. Hos amat Deus, & dignos estimat qui sibi in sacrificium offerantur, sicuti olim sibi offerri volebat capreas, quia agile & velocissimum animal.

## P A R S V.

### *In Librum Numerorum.*

#### DISCURSUS I.

*Filii Israël à monte Sinai proficiscuntur in desertum Pharan.*

**C**Urrebát jam annus secundus quo filii *Israël* egressi fuerant de *Aegypto*, & annum integrum commorati fuerant in deserto *Sinai*, juxta montem ejusdem nominis, quando mens secundo illius anni, vigesimâ die mensis, ut ait Scriptura, movit se nubes (quæ hætenus fuerat dux itineris) signumque dedit proficiscendi, & mox etiam cœperunt castra movere filii *Israël*, ut præeuntem se nubem sequerentur, quocumque illos duceret. *Profectiq; sunt*, inquit Scriptura, *per turmas suas de deserto Sinai, & duxit illos nubes in solitudinem Pharan*, quæ à monte *Sinai* distabat undecim dierum itinere. Solitudinem, ut referunt ii qui illam lustrarunt, inviam, & inaquosam, sterilem, & inarabilem, nullis hominibus nec bestiis habitatam, præruptis rupibus ac montibus asperam, & ardentissimam ob solis æstum, denique molestissimam pedibus propter præaltas arenas.

Hinc discimus in prosperis non insolescere, nec abuti beneficiâ Dei; omnia *Israëlitis* apud montem *Sinai* ex voto successerant, multo tempore illic quieverant, & in otio vixerant, securi ab hostibus, recreati præsentia Dei, qui illis in monte *Sinai* sub igne & nubibus, pœne duobus mensibus, apparuerat, vicerant hostes suos *Amalecitas*, quotidie pluebat illis panis de caelo absque ullo labore, non arabant, non ferebant, non merebant: Denique in plenis deliciis; unde tam insolentes facti erant ut vitulum aureum fabricarent ad adorandum, & surgerent, inquit Scrip-

Scriptura, manducare, & bibere, & ludere. Hanc in prosperis insolentiam ac petulantiam ut compesceret Deus, duxit illos in solitudinem ubi omnia deerant & herbæ, & segetes, & pascua, & bestæ, omnia arida ac sterilia, & molestissimæ viæ, ut per adversa discerent servire Deo, qui prosperitate seducti & abrepti, illum dereliquerant, nec agnoverant benefactorem suum.

Sic passim tolet agere Deus cum hominibus, quibus Deus plenâ manu profudit quiddam desiderant, vel optant, & tamen deteriores fiunt per beneficia Dei, dum per divitias suas sese effundunt in quodlibet genus deliciarum, per honores in insolentiam contra quodlibet hominum genus; currunt ad sæculi vanitates sicut equus indomitus & effrænis, vel planè immemores Dei, vel memores interdum per transfennam dumtaxat. Nihil aliud somniant, quam ut satisfaciant concupiscentiis suis, quorum ingentem numerum hodieque videre est, præsertim in juventute, quæ maximam partem tanto impetu fertur ad conversationes quotidianas, ad lusus, ad comædias, ad tripudia, ad terendos lapides rhedis, ad quasvis oblectationes sensuales, etiam præeuntibus matribus domi ac foris, ut vix videatur esse Deus in templo, ubi audiant illum loquentem per concionatores, vel cum illo loquantur per orationem, aut si eo veniant, cor & caput mundo tam plenum habent, ut vel non intelligant quid concionatores dicant, vel si intelligunt, rident, vel indignantur si vanitates & dissoluta vita illorum taxetur: Si orandum, sunt, inquit Salomon, *Prov. 26, sicut avis alio transvolans, & sicut passer quolibet Vadens*, volant ab una cogitatione ad aliam, sicut avis ab uno ramo ad alium, & omne tempus quod impenditur Deo, præ tædio nimis longum videtur, interea dum tempus quod impenditur mundo, quantumvis longissimum, breve videtur.

*Beneficia Dei saps hominem deteriorem reddunt.*

Quid dicam? qui negaret corruptam hoc sæculo passim juventutem, aut cæcus est, aut ipsemet cum mundo insanit.

Unde hæc dissolutio & insolentia? ex nimia prosperitate, dum enim omnia succedunt ex voto, nihil habent quod illos compescat. Cum omnia prospera eveniunt nobis, inquit *S. Thomas de Villanova, Serm. de Cosma & Damiano*, nimio torpore dissolvimur: Non est devotio, non spiritus, non oratio, neque fervor, post vitia nostra effrænati imus in præcipitium: Quid

*Prosperitas hominem insolentem facit.*

X x x 2

ergo

ergo remedii ꝑ audiamus *Davidem Psal. 31. Nolite*, inquit, *fieri sicut equus & mulus quibus non est intellectus. Audin' ꝑ homines tam dissolutos & insolentes in prosperis comparat equo & mulo, quia nihil illis bestiis magis indomitum, si numquam passæ sunt frænum.*

Tunc vertit se *David* ad Deum, & ait: O Domine, si vivant ut equus & mulus, rege eos ut illi reguntur: *In camo & fræno maxillas eorum constringe*: Si sint sine intellectu, dicit *Propheta tuus Isaias: Vexatio dabit intellectum auditui*: Qui enim in prosperitate nimium insolescunt, & lasciviunt in sua abundantia, audiunt quidem & salubres monitiones, & reprehensiones, sed mente abrepti per levitates ac vanitates suas, non veniunt ad intellectum eorum quæ audiunt, neque conceptum formant; percipiunt quidem sonum verborum, sed nolunt intelligere sensum: Si ergo non ducantur ratione sicut equus & mulus, quid factu opus ꝑ hoc unum superest remedium, inquit *David*, ut Deus eorum maxillas constringat in camo & fræno, ut ista vexatione, inquit *Isaias*, quasi ex brutis homines fiant, & accipiant intellectum, ut non jam simpliciter audiant, sed incipiant intelligere quæ audiunt, & qui prius in prosperitate non noverant Deum benefactorem suum, illum in adversitate cognoscant, & exclament cum  *Davide: Bonum mihi Domine quia humiliasti me, ut discam justificationes tuas. Ambulabam in desideris animæ meæ, & dicebam in abundantia mea, non movebor; fræno indigebam, tu mihi Domine illud injecisti in medio cursus mei, humiliasti me per tribulationes, pupugisti me quasi calcaribus, & factus sum sicut jumentum apud te quod calcaribus & fræno compescitur: O quam hoc mihi fuit salubre ut redirem ad cor & intellectum, tuasque justificationes custodirem.*

Vade ergo, inquit *Salomon Ecclesiasticis cap. 11, vade, & latere juvenis, & tu domicella, in adolescentia tua, & in bono sit cor tuum in diebus juventutis tue, & ambula in viis cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum, evanesce in cogitationibus tuis, & forma tua, & in ornatu tuo, curre, discurre, salta, tripudia, comede, bibe, lude, & dic: In flore ætatis sum, non prætereat flos ille temporis; utendum est dum datur: Sed respice finem.*

Non diffiteor, aliquid indulgendum ætati, sed sunt qui ita se effundunt in istas levitates ac consuetudines mundanas, ut minima sit

fit illis cura de Deo & anima: hoc indiget fræno & camo: Quod aliqua domicella tanto molimine ac sollicitudine multis prius diebus omnia paret ut ornata & compta compareat in aliquo tripudio publico, & vix horam impendat ut rite communicet, hoc indiget camo & fræno. Quod aliæ tanto ardore quotidie ferantur ad alias recreatiunculas, & lusum per horas, & vix patientiam habeant ut media hora intersint sacro vel concioni: Tu ipsemet vides quod hoc indigeat camo & fræno, hoc enim excedit mensuram: Quod aliæ totos dies impendant fabulis, vel lectioni futillum librorum, & numquam inspiciant unum librum spiritualem, navesent ad pios discursus, hoc indiget camo & fræno. Quod aliæ assidue inspiciant speculum ut se comant, & vix unquam serio inspiciant conscientiam ut mores suos emendent, vix unum Pater & Ave recitent dum surgunt, vel decumbunt: Proculdubio hoc eget camo & fræno, hoc enim est currere in vagum sicut equus & mulus: Adeoque nisi aliquando interveniat Deus, & istam licentiam atque insolentiam suo fræno compescat, numquam tales redigentur in ordinem, nec ad certam mensuram: Hoc est quod dicentem audio *s. Thomam de Villanova*: Si Deus, inquit, non infranaret nos tribulationibus & flagellis, quo tenderet nostra licentia? numquam esset finis: Ubi Deus hoc videt, ipsemet finem imponit, & tribulationes immittit ut redeant ad mentem & Deum: Mala enim, inquit *Gregorius*, quæ nos hic premunt, ad Deum nos ire compellunt. Percute ergo, inquit *Glossa*, eos Domine, nimium in prosperitate insolentes, quia non requirent te nisi in angustia.

Non habet ergo homo quod conqueratur, si Deus interdum in sua forma nimium evanescentibus aliquem morbum immittat, quo flos ille flaccescat; vel si abutentibus suis divitiis ad delicias ac vanitates, jacturam aliquam immittat, ut illis alas incidat; vel si matribus nimium cum filiabus insanientibus, unam interdum eripiat, ut discat sapere; præstat enim formam, & divitias perire, & filiam mori, quam toties animam lædi, vel certè perire; alioquin nisi Deus aliquando tale frænum injiceret, nunquam saperent, & utinam saperent, etiam quando Deus illos tali fræno compesceret.

Sapuit filius prodigus: Cum enim materna bona sibi dari petiisset à Patre, & hic multis verbis illum ab hoc proposito vellet divertere, sciens valde periculosum esse, & perditionem juventutis, illi fræna laxare, & nimium indulgere, nihil tamen obtinuit: Abiit ergo

ergo cum multa pecunia petulans juvenis in Regionem longinquam, & ibi, instar equi indomiti, cucurrit per omnia voluptatum genera, donec omnem suam substantiam dissipasset; tunc Deus illum coniecit in haram porcorum, ubi cum non haberet quod comederet nisi siliquas, intolerabilem famem passus est, cum non haberet quo se tegeret nisi laceram vestem, nec calceos quos indueret, ac nudis pedibus incederet, ingens frigus sustinuit: Hac fræna illi injecerat Deus, ut ipsius animam in prosperitate prius indomitum, miseris cohiberet. Nec mora, per hoc reversus in se, confugit ad Deum; vexatio enim illi dederat intellectum ut viveret sicut homo rationalis, qui prius fuerat sine intellectu sicut equus & mulus.

Sic etiam sapuit *Augustinus*, ut ipsemet testatur *lib. 6, Conf. cap. 6.* Cum enim juvenis effrænis, & quasi ebrius prosperitate, totum suum animum effunderet in omnes delicias, immemor Dei, subito illum Deus gravi ac letali morbo lecto affixit, atque ita compulit illum ad Deum redire. Hoc est quod ait *Hieronymus*: Providentiæ Dei, inquit, nobis accidunt mala, ne habeamus ea quæ cupimus, & variis hujus sæculi calamitatibus ad Deum redire cogamur. Tunc Deum cupimus cum alia nobis omnia desunt quæ cupiamus: Cum enim viderit quis se destitutum omni rerum humanarum præsidio, tunc ad Deum confugit.

Quod si non faciat, desperatum est: *Percussisti eos, Domine*, inquit *Jeremias cap. 5, & non doluerunt, & noluerunt converti*, ergo, inquit *Micheas cap. 1: Desperata est plaga eorum*, incurabilis est. Quid enim de te faciet Deus? si enim te statuat in prosperitate fugis ab eo, si immittat adverfa, non redis ad illum: Ergo desperatus es.

Tales erant filii *Israel* omnia illis ex voto successerant dum juxta montem *Sinai* morarentur, & inde tam insolentes facti fuerant ut desererent Deum, & adorarent idola: Jam ducit illos in desertum ubi omnia deerant, ut hoc fræno illos ad se reduceret; sed frustra fuit, nunquam enim magis murmurarunt, & rebelles facti sunt quam tunc; quid ergo aliud ageret Deus, quam plagam immittere super plagam, ut brevi videbimus. Verum videamus prius quo ordine ex deserto *Sinai* processerint ad desertum *Pharan*, i. Nubes, quæ in omnibus viis illos præcesserat, & jam toto anno steterat supra Tabernaculum, elevata est ab Angelo, coepitque se movere, ut signum daret profectiois: Paravit igitur se populus ad

ad iter agendum. Tunc Sacerdotes cœperunt clangere tubis quas Deus iusserat fieri ex argento: Et primo, inquit Scriptura, *moverunt castra filii Iuda* divisi in varias turmas, hos sequebantur filii *Gerson & Merari* cum plaustris quibus impositum erat quidquid spectabat ad Tabernaculum: Tertio loco procedebant tribus *Ruben, Simeon, & Gad*: Quarto loco tribus *Ephraim, Manasse, & Benjamin*: Extremam partem castrorum claudebant tribus *Dan, Aser, & Nephtali*, omnes per turmas suas, & explicatis quatuor vexillis majoribus quæ singula habebant suas effigies: Vexillum *Iudæ* habebat effigiem Leonis; *Ruben* effigiem hominis: *Ephraim* imaginem bovis: *Dan* imaginem aquilæ: *Numerus autem filiorum Israël*, inquit Scriptura, *qui poterant ad bella procedere, erat, sexcenta tria millia virorum, quingenti quinquaginta.*

Arca vero Domini præcedebat tota castra, & cum in humeros illam portantium elevaretur dicebat *Moyse*: *Surge Domine, & dissipentur inimici tui, & fugiant qui oderunt te à facie tua.* Cum autem deponeretur ex humeris, aiebat, *Revertere Domine ad multitudinem exercitus Israël.*

Cum hoc ordine processissent per tres dies, mansit nubes dux itineris stans supra locum qui vocabatur *Haseroth*, & filii *Israel* illum ingressi sunt, ibique fixere tentoria.

## DISCURSVS II.

*Murmurat populus contra Deum & Moysen, & petit carnes.*

**V**ix desertum illud ingressi fuerant *Israelitæ* quando incœperunt murmurare contra Deum & *Moysen*. Quid ita? propter laborem, inquit Scriptura, & molestias quas passi fuerant in itinere: Erant enim defatigati, quia tres dies continuos cum parvulis, jumentis, & sarcinis, per vias difficiles & arenosas ambulaverant.

Ex hoc tædio mox aliud ortum est murmur, præsertim in vulgo, hoc est inter lixas, calones, & ejusmodi alios qui erant de fœce populi: Illi enim incœperunt clamare: *Quis dabit nobis carnes ad vescendum?* carnes volunt quia præ defatigatione defecerant vires. *Recordamur*, inquebant, *piscium quos comedebamus in Egypto gratis: In mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porrique, & cæpe, & allia.*

Hinc



Hinc patet fuisse meram faciem populi quæ murmurabat, utpote quæ in *Agypto* vilissimos tantum cibos comederant, quales sunt, porri, cape, & allia: Sed hæc fæx tantum potuit, ut secum in rebellionem traheret etiam probos filios *Israel*, statim enim addit Scriptura, *juncti sunt illis pariter filii Israel*.

Hinc discite quid possit mala Societas, & quantum intersit quibuscum converteris.

Hoc clamat Scriptura, hoc Patres, hoc Ethnici, hoc omnes moralis vitæ magistri, talem nempe te fore quales sunt focii quibuscum verfaris & agis.

Hoc clamat Scriptura. Sic enim ait *David Psal. 17: Cum Sanctis Sanctus eris, cum viro innocente, innocens eris, & cum perverso pervertèris.*

2. *Salomon Prov. cap. 13: Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit, amicus stultorum similis efficietur.*

Hoc clamant Patres. 1. *D. Hieronymus ad Nepotian: Talis quisque censetur, qualis est cum quo versatur.*

2. *Gregorius Nazianzenus de Episcop. Quam celerrimè tales evadimus quales sunt proximi nostri.*

Hoc clamant Ethnici. 1. *Philosophus Seneca lib. 3. de Ira: Sumuntur, inquit, à conversantibus mores.*

2. *Plinius lib. 4. Epist. 27: Scias, inquit, unumquemque talem esse, quales ii sunt, cum quibus libenter conversatur.*

3. *Plutarchus lib. de Amicit. Talis eris, qualis conversatio, quam sequeris.*

Igitur certa est hæc consequentia: Si conversaris cum bonis, eris bonus, si cum malis, eris malus.

Clare patet hæc consequentia ex innumeris exemplis. Pauca pro multis sufficient.

Prodeat primum in scenam *Petrus* Apostolus. Primo illum video conversantem cum *Christo* in societate aliorum Apostolorum, tunc nihil illo ferventius, nihil firmitus in fide, nihil religiosius. Interrogat *Christus: Quem dicunt homines esse filium hominis? Solus Petrus respondet: Tu es Christus filius Dei vivi.* Ingens fides! accedit ad eum *Christus* ut lavet pedes ejus. *Domine, inquit, tu mihi lava pedes & non lavabis in æternum.* Quanta humilitas! Prædicat *Christus* in cæna fore ut omnes Apostoli se derelinquant: Non ego, inquit *Petrus, etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo: Quid isthoc homi-*

homine ferventius irruit in *Christum* integra militum cohors ut illum vinciant: Stringit gladium *Petrus*, totique se cohorti opponit ut *Christum* defendat: Quid animosius? tam Sanctus erat *Petrus* quando conversabatur cum Sanctis. Postea video illum sedentem inter ministros *Cayphae*, homines impios, blasphemos, & ad singula pæne verba jurantes, video illum agentem cum una alterave ancilla, mulierculis impudentibus, & audio illum æque strenue blasphemantem atque jurantem quam militem, audio illum dicentem quod *Christum* non nosset, non novi hominem istum, æque impudens factus atque ancillæ. Quænam est hæc tanta mutatio? hoc est, quod Scriptura dicit: *Cum Sancto Sanctus eris, & cum perverso perverseris*: Hoc est quod ajunt Patres & Ethnici: Talis eris quales ii sunt quibuscum conversaris. Sanctus erat *Petrus* inter Apostolos, improbus fit inter improbos milites, & impudens inter impudentes ancillulas.

Alterum habemus exemplum in *Judæis*: Erant illi captivi in *Babylone*, ubi inter se, & cum Prophetis agentes, quotidie, ut inquit *Hugo Cardinalis in Daniel cap. 10*, proficiebant in virtute, pietate, ac amore divino; hinc illæ suavissimæ illorum aspirationes ad Deum, cum sæpius sederent super flumina *Babylonis*, & flerent cum recordarentur *Sion*, & Sanctæ civitatis *Ierusalem*, ubi verus Deus colebatur. Tunc suspendebant in falicibus quæ stabant ad ripam fluminis omnia musicalia sua instrumenta, ut ostenderent se in nulla alia re delectari nisi in Deo: Tunc exclamabant: *Si unquam oblitus fuero tui Ierusalem, oblivioni detur dextera mea, adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui, si non proposuero Ierusalem*. Denique Sancti erant cum Sanctis. Sed quando liberius agere cœperunt cum ethnicis, tunc audio *Davidem* dicentem: *Psal. 105: Commixti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, & immolaverunt filios suos, & filias suas demoniis*.

Adverte, inquit *Hugo Cardinalis in Psal. 105* quid possit mala Societas: *Commixti sunt inter gentes*, quid inde subortum? 1. mala doctrina, dicitur enim, *didicerunt*. 2. opera mala, dicitur enim, *opera eorum*: 3. servitus idolorum, dicitur enim, *servierunt sculptilibus eorum*: Denique summa impietas, dicitur enim, *immolaverunt filios & filias demoniis*: Non poterat quidpiam magis impium nec barbarum excogitari.

Nonne hic rursus manifeste vides verissimum esse quod ait

Y y

Seneca:

*Seneca*: Assumuntur mores à conversantibus? Sancti cum Sanctis, impii cum impiis.

Verum hoc additum oportebat quod longè facilius impii mores assumantur ab improbis, quam Sancti à Sanctis.

Ratio est, quia ut dicitur *Genes. cap. 8*, *Sensus & cogitatio humani cordis ab adolescentia sua in malum prona sunt*, hinc sine difficultate labimur in malum: Facilius, inquit *Augustinus contra Fulg. Donat. cap. 16*, & proclivius curritur ad imitationem malorum, quam ad virtutes bonorum animus excitetur. Ad malum enim descendimus, ad virtutem ascendimus, facilius autem est descensus quam ascensus. Hinc facilius corrumpuntur boni à malis, quam meliorerentur mali à bonis.

Propterea quasi miraculum est, & summam apud Deum & homine laudem meretur, in medio malorum versari, & innocentem manere.

Historiam *Jobi* Spiritus S. incoepit his verbis: *Vir erat in terra Hus, nomine Job*: In laudem *Jobi* scriptus est ille liber à capite ad calcem: Sed quænam illa laus quod *Job* habitaret in terra *Hus*, quæ tota in famis erat idololatriâ, aliisque sceleribus?

Unde potius dedecori *Jobo* fuisse videtur quam honori, quod in tali terra habitaret. Nullo modo, inquit *D. Gregorius*, idcirco Sanctus vir ubi habitaverit, dicitur, ut ejus meritum virtutis exprimat: Dicatur ubi habitaverit, ut hoc ejus laudibus proficiat quod bonus inter malos fuit. Tanta enim erat sociorum ejus perversitas, ut dicere non dubitaverit: *Frater sui draconum, & socius struthionum*, & inter illos erat ipse tanta sanctitate, ut Deus ipse diceret, non esse similem ei in mundo. Hinc *Origenes*: Sicut smaragdus in luto, & margarita in fimeto, sic *Job* mundus fuit inter obscuros, pius inter impios. Et *D. Chrysostomus Hom. 2 de patient. Job*: Rosa, inquit, fuit in medio spinarum. Adeoque sicut pro Miraculo haberetur si in terra arenaria, vel myrica felices fegetes provenirent, ita quasi Miraculum apparet quod *Job* à pueritia educatus in terra vitis referta, tam Sanctus & innocens vixerit. Hoc summam laudem meretur: Neque enim, inquit *Gregorius*, tam laudabile est bonum esse cum bonis, sed bonum esse cum malis & sicut gravioris culpe est malum esse inter bonos, sic etiam immensi præconii est inter malos bonum extitisse.

2. De *Noë* dicit *Ecclesiasticus cap. 44*: *Noë inventus est perfectus*:  
Quare

Quare non dicit potius, *fuit perfectus, sed inventus est?* quia volebat significare, *Noë* hominem fuisse rarum & maximi pretii, quod tali tempore quo vivebat, postquam homines perfecti fuissent quæsitus, unus ipse inter omnes inventus fuisset qui esset perfectus, omnes enim reliqui, inquit Scriptura *Genes. cap. 6*, corruerant viam suam, & tota terra repleta erat iniquitate. & cuncta cogitatio illorum erat intenta ad malum. Unde cum Deus aliquem perfectum quæreret, neminem prorsus invenit nisi solum *Noë* cum sua familia. sic enim ait ad illum: *Ingedere tu, & omnis domus tua in Arcam, te enim vidi justum coram me in generatione hac.* Hoc mirabile, inquit *Chrysostomus Hom. 26 in Genes.* Virtutem colere inter hostes virtutis.

Sed magis mirabile unum inter tot millia improborum manere innocentem: Hoc præ cæteris omnibus advertere debent parentes, qui ex vi mandati divini in conscientia obligantur liberos suos promovere ad omnem virtutem. Duo sunt media quibus hoc possunt præstare. Primum est educatio, alterum est conversatio.

Educatio consistit partim in instructionibus, monitisque salubribus, partim in exemplis: Ipsorum est non tantum liberos corripere dum male agunt, sed etiam monere, & incitare ut bene agant, suo tempore orent, intersint concionibus, confiteantur, communicent.

Conversatio vero consistit in sociis quibuscum agunt: Atqui ut jam clare patet, ex omnibus jam probatis, nihil est quod hominem magis corrumpat, ac seducat ad quævis vitia, quam mala societas: Ergo in conscientia, & sub gravi peccato tenentur parentes efficere, ut liberi sui non agant, nec conversentur cum mala societate.

Hoc maximè cordi habebat piissimus ille Pater, senior *Tobias*: <sup>Parentes</sup> Sicut enim ipse educatus fuerat à parentibus suis, sic ipse volebat <sup>curam gerens</sup> educare filium suum. De ipso autem dicit Scriptura *Tobia. cap. 1. Cum rans liberarent omnes ad vitulos aureos, quos Ieroboam fecerat Rex Israel, hic solus rorum, fugiebat consortia omnium, & pergebat in Jerusalem ad Templum Domini, & ibi adorabat Dominum Deum Israel.*

Mox addit Scriptura, *hac observabat puerulus*, volens significare quod sic institueretur à suis parentibus, ut fugeret prava consortia. Eandem ipse curam habuit pro filio suo juniore *Tobia*: Cum enim illum vellet mittere in *Rages* civitatem *Medorum*, consideratis viarum difficultatibus & periculis, quæ maxime in itineribus ex parte malorum sociorum incurruntur, dixit ad illum: *Perge nunc & in-*

quire tibi virum fidelem, qui eat tecum. Vide quem eligas, sit vir probus, & honestus, & fidelis, cave te jungere homini cujus virtus tibi nota non sit, ne te corrumpat.

Tunc, ut ait Scriptura, egressus Tobias, invenit juvenem splendidum, stantem, præcinctum, & quasi paratum ad ambulandum, & ignorans quod Angelus Dei esset, salutavit, & dixit: Vnde te habemus bone juvenis? & ille respondit: Ex filiis Israel.

Statim Tobias currit ad Patrem, & inveni, inquit, hic pro foribus stantem insignem juvenem, præcinctum, paratum ad ambulandum, qui se dicit esse ex filiis Israel, & cum peterem ab ipso an viam nosset que ducit in Regionem Medorum? respondit, novi, & omnia itinera ejus frequenter ambulavi. Non possumus meliorem habere opportunitatem.

Quid ad hæc Pater? gaudeo, inquit, fili mi, & tanto magis, quod ille juvenis dicat se esse ex filiis Israel, unum ex natione nostra: Sed hoc mihi non sufficit, debeo rem hanc paulo magis examinare: Vade ergo, & duc illum in domum ad me: Quo ingresso, dixit Pater: Nunquid poteris ducere filium meum in Rages civitatem Medorum? dixit Angelus: Ego ducam & reducam eum ad te. Sed rogate, inquit Tobias, dic mihi, de qua domo, aut de qua tribu es tu? Ne forte sollicitum te reddam, inquit Angelus, Ego sum Azarias Anania magni filius, respondet Tobias: Ex magno genere es tu. Nec plura, ubi Tobias vidit juvenem esse honestum ac probum, ac dignum cujus societati filium suum committeret: Ite, inquit, & sit Deus in itinere vestro.

Hoc etiam considerandum hic est ad instructionem parentum, qui omni modo, & omni sollicitudine curare tenentur, ut liberorum non incidant in malam societatem, aut si forte, nescio quo casu, inciderint, omni vi inde abstrahantur.

Imperat filio suo Tobias, ut inquirat virum fidelem qui illum committetur in via Persiam versus.

Quæstio est quis dicendus sit vir fidelis? respondeo 1. Ille qui in omnibus credit rebus divinis, Talis erat moyses de quo dicitur Numer. cap. 12. Servus meus Moyses in omni domo mea fidelissimus est. Talis erat Samuel, de quo dicitur: Lib. 1. Reg. cap. 3: Cognovit universus Israel quod fidelis Samuel Propheta esset Domini.

2. Fidelis vir dicitur, cui absque suspitione res ardua vel secreta committi potest.

3. Qui bene operatur respectu solius Dei. Tobias ergo volebat

ut filius suus non tantum virum bonum, sed etiam admodum pi-um ac religiosum inquireret, qui illum verbo & exemplo in virtute præiret, & ad honestam vitam formaret, ne si alium ele-gisset, ejus malos mores imberet. Nemo enim vitiosus est qui non aliquod nobis vitium, præfertim teneris animis vel imprimat, vel, etiam nescientibus, affricet.

Hinc præcis temporibus prima parentum cura erat liberos suos viris honestis, & virtute suâ notissimis erudiendos committere, ut sub talibus præceptoribus proficerent ad pietatem.

Hinc etiam Ethnici tales parentes oderant qui magis solliciti erant ut temporalia liberis bona, divitiisque relinquerent, quam virtutem: Audite quid Philosophus *Crates Thebanus* de ejusmodi dixerit: Si in altissimam, inquit, urbis turrim ascenderem, cla-marem: Quorsum ruitis homines qui totum studium in corro-gandis opibus ponitis, filiorum vero vestrorum non suscipitis curam, ut se probis sociis jungant, & quam longissime Ma-los fugiant?

In tales etiam invehitur *D. Chrysostomus Hom. 60 in Matth.* his ver-bis: Solliciti, inquit, sunt ut amplas liberis suis hæreditates re-linquant, & nullam curam gerunt ut conversetur cum iis, à quibus virtutem discant, & bonos mores, ac procul fugiant so-cietatem illorum, quibus volupe est innocentes animas perdere.

Denique *D. Hieronymus* sic scribit ad *Letam de institutione filie* quæ erat ex nobilissima domo *Romana*. Curabis, inquit, ô *Le-tia*, & hoc ante omnia, ut filia tua pedissequas & puellas habeat, quas à sæcularibus conversationibus ac confortiis arceas, ne quod ipsæ male didicerint, pejus doceant filiam tuam.

Quod si parentes hac in re desint, nec debite suo fungantur of-ficio, adeoque si per ipsorum incuriam liberi ex pravæ Societatis frequentatione corrumpantur, tota in parentes culpa redundat. Horrenda res est, inquit *Chrysostomus*, si parentes causa sint per-ditionis liberorum, nec scio, quomodo aufuri sint comparere co-ram supremo judice.

Scio quidem aliquos dicere: Filius meus providus est, non fa-cile se permittet perverti: Filia mea modesta, proba, & casta est, non facile se permittet seduci: Magna temeritas, & stulta fidu-cia! homines enim sunt, & qui amat periculum, inquit Scriptura, *Ecclesiastici cap. 3, in illo peribit.* Nimia familiaritas animos etiam

fortissimos superavit & fregit: Proximus periculo, inquit *Isidorus*, *Lib. 2 Soliloq.* diu tutus non erit. Sæpe familiaritas peccandi occasionem dedit, & quod voluntas non potuit, assiduitas superavit.

Denique ut concludam, quid possit Mala Societas patuit cum filii *Israël* venissent in desertum *Pharan*, aliqui homines pessimi de fœce coeperunt murmurare contra Deum, & mox traxere in idem peccatum filios *Israël* probos & Dei servos.

Et quænam, quæso, erat ratio murmurandi? propter res sordidas & vilissimas: Murmurabant enim quod non haberent cucumeres, pepones, porros, cœpe, & allia quæ comedebant in *Ægypto*: Fierine potest? Numquid ergo quotidie mittebat illis Deus panem de cælo, in quo, ut ait *Salomon*, habebant omne delectamentum suavitatis, & omnem saporem omnium aliorum ciborum quem desiderabant? Quotidie mane, inquit Scriptura, descendebat panis ille de cælo: Quid ergo habebant quod murmurarent? *Nihil aliud*, inquebant, *respiciunt oculi nostri nisi Man*, assidue Manna, semper idem panis. Quid tum? semper quidem idem erat in substantia, sed tam diversus in sapore, quam diversus erat illorum appetitus, ergo quotidie aliquid novi quando tantum volebant: Saltem nulla erat comparatio inter sordidos illos cibos *Ægypti*, & hunc panem. Quid dicam? hæc est miseria multorum hominum qui plus gustus habent in sordibus sæculi, quam in deliciis Dei.

Negligentia in frequentanda Communione.

Fuse aliàs demonstravi Manna perfectissimam fuisse figuram Ven. Sacramenti, adeoque homines illos esse similes *Israelitis*, qui cum quotidie cibus ille divinus corporis *Christi*, semper & ubique in promptu sit, plus tamen saporis habent in cœpe, & alliis, & porris fœdarum voluptatum suarum, & sæcularium negotiorum, quam in esu cibi illius cælestis; hinc factum est ut plurimi ab isto cælesti cibo abstineant, & varias excusationes prætendant quod non accedant.

Exemplum clarum habemus in parabola quam *Christus* nobis proposuit *Luca cap. 14.* *Homo quidam*, inquit, *fecit cœnam magnam, & vocavit multos: Et misit servum suum hora cœnæ dicere invitatis ut venirent, quia jam parata sunt omnia. Et cœperunt omnes simul excusare. Primus dixit: Villam emi, & necesse habeo exire, & videre illam, ergo te habe me excusatum; & alter dixit: Iuga boum emi quinque, &*

eo probare illa, rogo te habe me excusatum. Et alius dixit: Vxorem duxi, & ideo non possum venire.

Per illam cœnam magnam intelligunt multi interpretes convivium illud de quo canit Ecclesia: *O sacrum convivium, in quo Christus sumitur.* Adeoque sicut illi homines invitati ad cœnam, se excusabant ne venirent, sic plurimi Christiani excusationes prætendunt ne accedant ad Ven. Sacramentum; utrique ex quadam aversione vel nausea, quia magis amant & curant cibos *Aegypti*, bona temporalia, vel mundi voluptates, abstracti à concupiscentiis suis: Frivolæ enim sunt excusationes quas adferunt, sicut erant illorum qui invitati erant ad cœnam.

Primus dicebat: *Villam emi, & necesse habeo exire, & videre illam.* Quænam quæso necessitas exeundi præcisè illo die? non poterat res differri? non erat villa in periculo ut rueret, alioquin stultus erat homo qui talem villam emerat: Et quid erat necesse statim illam videre? procul dubio prius illam viderat cum emerat, quis enim domum emat quam non prius inspexerit, ne, ut communi proverbio dicimus, emat feles in sacco? Quænam ergo necessitas exeundi & videndi villam? nulla, ergo nulla excusatio.

Alter dicebat: *Iuga bouum emi quinque, & eo probare illa,* quasi vero non posset expectare in crastinum; quid enim erat opus tantâ festinatione, præsertim illa hora ipsa qua servus illum monebat tempus esse ut veniret ad cœnam? numquid prius sciebat se invitatum? quis dubitat? dicit enim Scriptura, *vocavit multos,* deinde missus est servus qui diceret *jam omnia esse parata,* adeoque tempus esse ut venirent; si prius monitus erat, quare non prius iverat probare boves suos, ut dispositis suis negotiis paratus esset libero animo ad cœnam accedere: Ergo quæsitæ ratio, & excusatio nulla.

Sed quod maximè stultum erat: Unus dicit se debere exire ut videat villam, alter ut probet boves, interea jam vesper erat, jam tenebræ ingruiebant, non enim ad prandium, sed ad cœnam vocabantur, & quidem illa hora qua omnia erant parata, instratæ mensæ &c. Ergo circa horam septimam vel octavam vespertinam: Nec ille poterat de nocte inspicere villam suam, & iste multo minus in agro probare boves suos: Nihil igitur erat impedi-  
menti quo minus tota illa nocte vel saltè dimidia interessent cœ-



næ, & postredie irent ad sua negotia. Quis ergo non videat clare excusationes illorum stultas esse & nullius momenti?

Tertius dicebat: *Vxorem duxi, & ideo non possum venire.* Quænam hæc ratio vel excusatio, *uxorem duxi*? adeone ille insaniebat amore uxoris suæ ut non posset ab eâ ad unam alteramve horam abesse, & ire ad mensam ad quam tam amice & benevolè invitabatur?

Ubi ergo res hærebat res manifesta est: Tam erant absorpti suis negotiis sæcularibus, vel deliciis, ut nausearent ad exquisitissimos cibos sibi ab optimo amico proponendos in cœna illa magna; mallebant, sicut *Israelite*, vesci alliis, cœpe, & porris *Ægypti*, quam *Manna*: Non debebant ob res tam exigui momenti omittere ad cœnam tam magnam ac pretiosam accedere, sed potius dicere: Non possumus ad videndum villam exire, nec ad probandum juga bouum, nec manere apud uxorem, quia ad cœnam magnam invitati sumus. Sic quisquis invitatur ad sublime illud ac sanctissimum corporis *Christi* convivium, sive propter magnitudinem festi, sive propter magnas indulgentias particulares, frustra excusationes quærit, dicens: non possum modo communicare, quia temporalibus negotiis impediior: Deberet enim contrarium dicere: Non possum modo vacare meis negotiis quia vocor ad Eucharistiam, non enim temporalia debent impedire sumptionem Eucharistiæ, sed sumptio Eucharistiæ, temporalia: Quod enim majoris ponderis ac momenti est, præcedere debet illud quod longè minoris est.

Verum, ut *Paulus* ait *1 Cor. cap. Animalis homo, non percipit ea quæ sunt spiritus Dei: Spiritus autem judicat omnia.* Hic, ut vides, discrimen facit *Apostolus* inter hominem animale ac spirituale, juxta duplicem partem quæ est in homine, quarum altera pars est anima quæ spiritualis est, & vocatur pars superior: In illa convenimus cum angelis: Altera vocatur pars inferior, & est corporalis: In illa convenimus cum bestiis: Hominis autem est, vel hanc partem sequi, vel aliam, vel spiritualibus rebus vacare ut angeli; qui hoc facit, ab *Apostolo* vocatur homo spiritualis: Sin vero sensitivam partem sequamur cum bestiis, tales vocat *Apostolus* homines animales, *animalis homo non percipit ea quæ spiritus Dei sunt*, quia procedit ut bestia: Si enim jumento hinc cribrum avena plenum, vel manipulum fœni proponas, inde catinum ple-  
num

num gemmis & unionibus, relinquet gemmas, & curret ad foenum vel avenam: Cur ita? quia jumentum est, & animal irrationale & non percipit pretium gemmarum: Sic ergo ait Apostolus; si coram homine, rebus animalibus dedito, ex una parte Eucharistiam posueris, ex altera levem aliquam comœdiam, vel tripudium, vel convivium sæculare, vel aliquod temporale lucrum, facile, relinquet pretiosissimam illam gemmam, & cœleste convivium Eucharistiæ, ut commodis temporalibus perfruatur, & sequatur fordidas suas delicias; mavult enim allia & cœpas Ægypti, quia illi plus sapiunt, quam Manna divinum quod nauscat prorsus sicut *Israëlitæ*.

Hoc tam ægre tulit Deus ut Scripturâ dicat: *Iratus est furor Domini valde, sed & Moysi intoleranda res visa est, Videamus porro quid Deus fecerit.*

### DISCURSUS III.

*Deus coturnices submittit Israëlitis: Plectuntur illi ob murmuratorem.*

Cum Moyses audivisset populum murmurantem, ac petentem carnes, confugit ut semper solebat, ad Deum, depositurus querelas, & ait: *Cur afflixisti servum tuum? quare non inveni gratiam coram te? cur imposuisti pondus universi populi hujus super nos? Unde mihi carnes ut dem tanta multitudini? sicut contra me, dicentes: Dabo nobis carnes ut comedamus. Non possum solus sustinere omnem hunc populum, quia gravis est mihi.*

*Et dixit Dominus ad Moysen: Vade, & dic populo: Cras comedetis carnes: Et ait Moyses: Sexcenta millia populi hujus sunt, & tu dicis: Dabo eis esum carniam: Numquid ovium ac boum multitudo cadetur, ut possit sufficere ad cibum? vel omnes pisces maris in unum congregabuntur ut eos satient?*

*Cui respondit Dominus: Numquid manus Domini invalida est? Iam nunc videbis utrum meus sermo opere compleatur.*

*Moyses hic paululum deflexit à via virtutis præsertim fiduciæ, quando dixit Deo: Ubi tantum carnis poterit inveniri ut sexcenta hominum millia comedant, & satientur? Recurrit enim ad naturam,*

Z z z

turam,

turam, quando debebat respicere ad omnipotentiam Dei, quæ naturæ terminis non concluditur.

Sic etiam errabat *Philippus* Apostolus *Ioan. cap. 6* quando videbat *Christum* quinque hominum millia velle pascere in deserto; dicebat enim: *Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis*. Ubi recte sic ait *D. Cyrillus Alexandrinus*: Nihil virtutis, omnipotentiaque *Christi Philippo* venit in mentem, sed trepidus ad solam pecuniarum viam refugit, nullo alio modo hanc rem peragi posse existimans nisi communi, tritoque pecuniarum medio; Sed naturæ ipsius terminis, ædeitatis natura superior est, omnia facile peragens, etiam quæ mentem nostram excedunt.

Petebat *Christus* à *Philippo* (ut tentaret illum, inquit *Euangelista*) *Philippe, unde ememus panes, ut manducent hi*? debebat dicere: Domine, unde aliter possumus habere nisi ex tuis manibus divinis? Non video ad quid aliud in hac occasione ubi tot millia hominum sunt, confugere possumus nisi ad manus tuas quæ omnia possunt: Sic debebat loqui; interea conjicit oculos in pecunias.

Ad hæc reflectens *Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos*: Pauci, inquit, inveniuntur, etiam apud eos qui bene credunt, qui habeant illam vivam in Deum fiduciam, ut non respiciant ad media communia, & non ad omnipotentiam Dei.

Probat exemplis. Sancti, inquit, erant *Moses* & *Aaron*, tamen cum mitteret illos ad petram Deus, ut inde elicerent aquam, quando videbant illam esse tam ficcam, ut non appareret signum vel minimæ guttæ, ita desidebant Deo, ut dicerent: Numquid nos poterimus ex hac petra aquas educere? debebant dicere: Deus hoc poterit qui nobis mandavit.

Sanctus erat *Ezechias*, inquit *2 Hieronymus*, tamen cum ægro decumbenti, promitteret *Isaias* ex parte Dei, sanitatem, petebat signum aliquod ab eodem Propheta, quo securus esset de valetudine recuperanda: Ecce, inquit, *Hieronymus*, quamvis se ad Deum converteret, & crederet se ab illo valetudinem posse impetrare, signum tamen postulât ut credat verum esse quod Dominus repromiserat, hoc parvæ fiduciæ indicium est.

3 Sanctus erat *Abraham*, & tantæ fidei, ut *fidei pater*, appelleretur à *Paulo Rom. cap. 4*: Nihilominus tamen, cum Deus illi promitteret fore ut nasceretur illi filius, *risit*, inquit *Scriptura, Gen. cap.*

cap. 17, dicens: *Putas-ne centenario nascetur filius, & Sara nonagenaria pariet?* Viden? etiam Abraham respiciebat magis ad communem cursum naturæ, quam ad omnipotentiam Dei.

In hoc maxima pars hominum errat, & à rectâ viâ defleat quando sunt in aliqua necessitate; plerumque totam fiduciam ponunt in homine, vix ullam, aut nullam in Deo, cum tamen pauci inveniuntur qui experientia non didicerint, non alienos tantum esse infidos, sed optimos etiam amicos nos in necessitate deserere & certo constat ex alia parte quanta nobis præstiterit Deus: Quid enim Deus non fecit pro nobis? Creavit nos, posuit nos in esse nostro quando non merebamur, nec poteramus mereri. Dedit nobis angelum è domo sua qui nos custodiret, propter nos fecit cælum, propter nos oritur sol, propter nos pluit, propter nos profert terra fructus suos. Propter nos descendit ipse de cælo in terram, propter nos factus est homo, jejunavit, ploravit, mortuus est, sanguinem dedit, carnem, vitam, animam, divinitatem, & seipsum quantus est. Ad quid hæc omnia? ut confidas in tali patre, & in tali bonitate, & firmiter credas, quod ille qui tanta tibi præstitit, non deerit ut minora præstet: Utique, inquit D. Hieronymus in cap. 6 Matth. qui majora præstitit, & minora præstabit.

Non possum efficacius hac in re exemplum adferre quam illud quod lego lib. 2 Paralip. cap. 15. *Asa rex Iuda*, cum inciperet primum regnare statim dejecit & fregit omnia idola, & edicto mandavit ut omnes Dei legem servarent. Propterea tantum illi favit Deus, ut quotidie pœne, propter illum, miracula faceret.

Processit contra illum *Zara rex Ethiopia*, cum decies centenis millibus; Rex *Afa* positus in magnis angustiis paucos habebat milites quos *Zara* opponeret, confugit ad Deum, & ait: *Domine, non est apud te ulla distantia, utrum in paucis auxiliieris, an in pluribus: Domine Deus noster, adjuva nos, in te enim, & in tuo nomine habemus fiduciam &c.* Ad hæc misit Deus angelos suos qui tantum terrorem incusserunt, *Ethiopum* exercitui, ut se darent in fugam, persequitur *Afa*, & cecidit illos, Domino adjuvante, usque ad internecionem, inquit Scriptura, & *Afa* ex spoliis factus est ditissimus. Tunc ivit illi in occursum *Azarias* propheta, & excitavit illum ut semper in Deo confideret: *Dominus, inquit, vobiscum fuit, quia fuistis cum eo: Si quaeseritis eum, invenietis, si autem dereliqueritis eum, derelinquet vos;*

Jam aliquot anni transferant, cum *Praasa* rex *Israël*, regnum *Juda*, extructis munimentis ita coarctavit ut nullus tute posset egredi, & ingredi. Quid agit *Asa* rex *Juda*? mittit legatos suos ad *Benadad*, regem *Syria*, & cum illis magnam vim argenti & auri quod tulerat de thesauris templi Domini, & suis, imploratque ejus auxilium, inito foedere ut sibi assistat, atque defendat. Tunc venit ad *Asa* regem *Juda* *Hanani* propheta, & dixit ei: Quia habuisti fiduciam in rege *Syria*, & non in Domino Deo tuo, idcirco evasit *Syria* regis exercitus de manu tua: Nonne *Aethiopes* longe, plures erant, quos cum Domino credidisses, tradidit in manu tua? Stulte igitur egisti, & propter hoc ex praesenti tempore adversum te bella consurgent.

Quid ergo vult Deus? Ut nullo modo confidamus in homine? hoc non, debent enim homines, juxta communem cursum, Deo cooperari. Quis enim dicat agrum non posse confidere medico? aut tristem confidere non posse bono amico? Sed hoc vult Deus, ut vel ante omnia primo confidamus Deo, vel non magis confidamus hominibus quam illi, vel quando nulla spes est in hominibus, confugiamus ad illius omnipotentiam qua possit nobis adesse supra communem cursum naturæ.

Ideo vero voluit à propheta corripi *Asa* regem *Juda*, quia cum tantam illi victoriam contulisset contra decies centena millia *Aethiopum*, non fidebat Deo quod esset illi daturus victoriam contra exiguum exercitum *Baasa* regis *Israel*, nisi in subsidium illius vocaret regem *Syria*, debebat enim confidere, quod Deus qui majora præstiterat, etiam minora præstaret.

In hoc etiam turpiter erravit *Moyse*, quando Deus illi dicebat Dabo carnes filiis *Israël*, & *Moyse* responderet: Sexcenta millia populi hujus sunt, & tu dicis dabo eis carnes? Ubi inveniemus tantam multitudinem boum vel ovium, vel piscium ut latentur?

Mirabile est. Viderat *Moyse* tot miracula & portenta quæ fecerat Deus potentissimo suo brachio: Aperuerat mare rubrum, pluerat panem de caelo, eduxerat aquam de petra, & jam non fidebat Deo quod possit dare carnes. Qui majora præstiterat, non præstabit minora?

Ex hac diffidentia sæpenumero fit ut cum totam spem ponimus in hominibus, nihil obtineamus, nisi forte Deus per suam misericordiam nobis occurrat. Audite quid dicat in hac re con-

contigisse *D. Ioannes cap. 5.* Jacebat *Ierosolymis* in nosocomio vir quidam, qui triginta octo annis fuerat paralyticus: Accessit ad illum *Christus*, petiitque ab eo: *vis sanus fieri?* respondit ei languidus, *hominem non habeo qui me juvet.* Non invenio quod *Christus* ab alio petierit, *vis sanus fieri?* Imo *Luc. cap. 7.* Videns adolescentem defunctum efferrī ad sepulchrum sequentemque matrem plorantem, iussit stare qui illum efferebant, & adolescentem revocavit ad vitam, nec petiit à matre an vellet illum reviviscere? Et isti languido non vult dare sanitatem nisi prius petat ab illo an velit sanus fieri? quare hoc? qui ita confidebat hominibus ut non semel cogitaret de Deo, dicebat enim *hominem non habeo qui me juvet*, sed debebat addere, Deum potest me juvare, & valetudini restituerē, si illi placet; idcirco si *Christus* illum ex mera bonitate non accessisset, eique ultro sanitatem obtulisset, numquam sanus factus fuisset, quia tantum omnem spem suam in homine collocabat. Hoc ita intellexit *Ericus*: Non noverat, inquit, rogare Deum pro sua restauratione, quam putabat impossibilem, quia hominem non habebat: Magna inscitia quod cum hominem non haberet, non recurreret ad Deum.

Solebam aliquando mirari cum audirem Deum dicentem *Ierem. cap. 17. Maledictus homo qui confidit in homine*: Sciebam enim non omnem fiduciam in homine, aut vititam esse aut malam. *Paulus* dicit *2 Cor. cap. 7.* se fiduciam habere in *Corinthiis*, nec tamen peccavit: nec *Salomon* toties nobis inculcavit ut servaremus amicum bonum qui nos possit juvare, & consolari, si semper malum foret confidere in homine: mirabar tamen Deum dicere: *Maledictus qui confidit in homine*, quia nesciebam huiusmodi homines reperiri posse qui ita fiduciam suam collocarent in homine vel aliis creaturis, ut ne quidem cogitarent de Deo, sed cum hinc talem unum jam invenerimus, non miror talem maledici à Deo, & si adhuc plures ejusmodi sint, & hi maledicti sunt, quia illius obliviscuntur à quo omnia bona debent procedere, & sine quo ab hominibus, nec ab aliis creaturis quidquam sperandum est.

Imo tantam exigit *Christus* in Deum fiduciam ut dicat *Matth. cap. 6. Nolite solliciti esse, dicentes: quid manducabimus? aut quid bibemus, aut quo operiemur?* scit enim pater vester quia his omnibus indigemus, & ut hanc nobis fiduciam imprimat, provocat nos ad volatilia caeli *Respicite, inquit, volatilia caeli, quoniam non serunt, neque me-*

tunt, neque congregant in horrea, & pater vester caelestis pascit illa: Non dicit, inquit *Theophylactus*: Respicite *Agarem* ancillam *Abrahe* cui fontem aquæ suppeditavi cum moreretur siti in solitudine: Nec dicit: Respicite *Israelitas*, quos pavi in deserto & pane & carnibus, cum omnia illis deessent: Non dicit etiam: Respicite *Eliam* ad quem corvos submisi ut illi carnes adferrent: Nec denique dicit: Respicite *Danielem*, existentem in lacu leonum ad quem missus fuit propheta ut in momento à *Ierusalem* in *Babylonem*, hoc est, per multa milliaria, prandium ferret. Sed dicit: Respicite volatilia cæli: Si enim, inquit *Chrysostomus* in cap. 6 *Matth.* tantam illorum curam gerit Deus, quanto magis nostri? multis enim passibus, inquit *Christus Matth. 10.* pluris sumus nos.

Quid ergo, inquit aliqui, tantamne in Deum fiduciam exigit *Christus*, ut omnia de cælo, à Dei manu operiamur, nihil agendo? mercator non sit sollicitus de suis negotiis? opifices sedeant manibus complicatis? Famuli & ancillæ non sint solliciti de suis ministeriis? Hoc non: Sed agat homo quod debet, & quod sui officii est, & confidat fore ut Deus illi in omnibus adsit; quamvis enim non semper miracula faciat, si tamen cum fiducia vera in Deum, omnia tua agas, & primum quæras regnum Dei, promittit *Christus* quod reliqua omnia adjicientur tibi, etiamsi propter fiduciam tuam deberet facere miracula, sicut plurimis fecit qui in illum confidebant; nam *Christi* promissio errare non potest. Hinc propter defectum fiduciæ multa Deus non agit, quæ faceret si haberes fiduciam. Multæ hoc misero tempore audiuntur querelæ: Nobiles dicunt, quid juvat esse tot jugerum terræ ac prædiorum Dominum, cum exiguus inde census redundet? ex aliquot millibus annuis vix mille recipimus, & quid hæc inter tantos, inter tot liberos, tot famulos? Cives & mercatores queruntur commercia perire, debita in annos plurimos produci à paucis persolvi, jacturam maximam, emolumentum minimum &c. Fateor dura sunt ista. Verum an ideo deponenda omnis in Deum fiducia? Quid hoc juvabit? inquit, omnia enim procedent sicuti procedunt, verum est si nullam habeas in Deum fiduciam, si vero habeas, falsum est, tunc enim Deus facile omnia sus deque in momento invertit.

Videamus modo quomodo Deus egerit cum *Israelitis* cum jam murmurassent & petiissent carnes: Dixit *Moses* ad illos, prout præceperat

ceperat ei Deus, *cras dabit vobis Dominus carnes ut comedatis &c. eo quod repuleritis Dominum qui in medio vestri est.* Miratur hunc loquendi modum noster *Sebastianus Barradas*: Si Deus, inquit, diceret: Supplicium sumam de vobis, eo quod repuleretis me, optima esset consequentia: At non dicit, sumam supplicium, sed dabo vobis carnes, quia repulistis me, & murmurastis: Quid? an ergo, Deus illos non castigabit, sed tantum remunerabit? absit hoc à justitia Dei, & remunerabit, & castigabit; sed ea est bonitas Dei, ut prius præmittat beneficia ac misericordiam quam veniat ad supplicium: Juxta illud *Davidis Psal. 100*: *miserencordiam & judicium cantabo tibi Domine.* In quæ verba sic ait *Ambrosius lib. de Noë cap. 3*: Principale virtutis est inchoare à beneficiis, & præseminare gratiam: Unde *David ait*: *miserencordiam & judicium cantabo tibi Domine.* Præcedit beneficii gratia, sequitur pœna: Sic, inquit, invenies quod septem annorum fœcunditas in *Egypto* præcesserit totidem annorum sterilitatem: Ita cum iratus Deus in homines tempore *Noë*, omnes diluvio vellet disperdere, mox addebat: *Erunt dies hominis centum & viginti annorum*: Proclamat prius diluvium, hic erat judicii terror, & mox promittit tot annos ut pœniteant, & hæcerat misericordia, quæ præveniebat judicium: Hoc Dei est præmittere beneficia antequam puniat.

Sic denique egit cum *Israëlitis* quando murmurando peccarant, & petierant carnes: Dedit enim illis Deus quod petierant: Nam dicit Scriptura: *Ventus egrediens à Domino, & arreptans trans mare coturnices, d. tulit, & demisit in castra itinere quantum uno die confici potest, ex omni parte castrorum per circuitum, volabantque in aere duobus cubitis altitudine super terram. Surgens ergo populus toto illa die & nocte, ac die altero, congregavit coturnices, & sicaverunt eas per gyrum castrorum.*

Movent hic quæstionem interpretes, quare Deus potius coturnices quam alias aves vel alia pecora submiserit?

Respondet 1 *Cornelius* noster: Quia coturnices in magna copia erant ad manum: Abundat enim similibus avibus *Arabia* quæ non longe distabat à castris *Israëlitarum*.

Respondet 2 *D. Augustinus lib. 4. q. 9. in Exod.* Quia non petierant carnes vitulorum vel ovium quas habebant in castris, sed lautiores & delicatiores, ut gulæ suæ satisfacerent: Caro autem coturnicum, ut *Abulensis* ait, in illis regionibus præsertim, valde excellens & delicata est. Volebat ergo Deus etiam in hoc illis satisfacere, & indulgere illorum appetitui ac desiderio.

Sed



Sed hoc horrendum est quando Deus sic incipit agere cum peccatoribus, & illos sibi ipsis relinquere, signum est quod retrahat manum suam, & sinat illos abire quo volunt, hoc facto, currunt de peccato in peccatum.

Hæc est doctrina *D. Pauli Apostoli Rom. cap. 1*, ubi agens de Ethnicis, sic loquitur: *Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum: Quid inde secutum est? repleti sunt, inquit, omni iniquitate, fornicatione, avaritia, invidia, homicidio, dolo, superbia, detractione, immisericordia, inobedientia &c.* Ecce quantus Catalogus peccatorum; unde hoc? quia Deus permittit illos abire post desideria illorum.

Hoc idem exaggerat *David Psalm. 80*, agens de *Israelitis*: *Non audivit, inquit, populus meus vocem meam, & Israel non intendit mihi, quid deinde? Dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in ad inventionibus suis.* Hoc est, inquit *Lyranus & Hugo*, ibunt in enormia & nova peccata quæ ipsi-met invenerunt.

Existimabant se fortè felices, cum omnia juxta desideria sua ac vota succederent, sed nihil infelicius. Audio enim Deum dicentem per *Oseam prophetam cap. 4*: *Non visitabo super filias vestras si fuerint fornicatae, & super sponsas vestras cum adulteraverint.* Gravis offensa est, inquit *Hieronymus hoc loco*, postquam peccaveris, iram Dei in hac vita non mereri. Adeoque, subdit, quando videris peccatorem divitiis affluere, jactare se de potentia, sanitate gaudere, corona circumdari filiorum, & impleri illud quod scriptum est *Psal. 72*: *In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur, scito in illo hanc comminationem prophetæ esse completam: Non visitabo super filias vestras &c.* Magnum argumentum, inquit *Chrysostomus Hom. 37 in Ioan.* & signum damnationis æternæ, quando quis non desinit peccare, & tamen omnia temporalia ei bene succedunt: Extremum enim supplicium est quando Deus finit peccatorem agere quidvis ad libitum, sine ulla refrænatione supplicii.

Tunc enim verum est quod Deus dixit per *Davidem*: *Dimisi eos secundum desideria cordis eorum*, vel, ut *Paulus ait*: *Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum*, hoc est, inquit *Chrysostomus*, permittit ut abirent post desideria & concupiscentias suas: Sicut inquit, si aliquis præfectus exercitus prælio ingravescente retrocedendo abscellerit, dicitur milites hostibus tradidisse. Non quod illos vi in hostes im-

impulerit, sed quod illos auxilio dumtaxat suo privarit. Sic & Deus eos dimisit, qui admittere ejus præcepta noluerunt. Permittit illos agere quod cupiunt & quærunt, sua scilicet perficere desideria, & sic relinquit illos in manibus inimicorum suorum, hoc est, passionum suarum, & affectuum in ordinatum.

Tunc statim sequitur excæcatio & obstinatio in peccatis: Excæcatur intellectus, ut ne peccati gravitatem agnoscat, nec imminetia pericula damnationis videat. Obduratur voluntas, ne timore, vel dolore, vel alio affectu in Deum afficiatur: Surdescunt aures ne interiores inspirationes divinas, nec exteriores admonitiones ministrorum Dei percipiant: Similiter gustus spiritualis amittitur, nullum enim saporem percipit in oratione, in lectione piorum librorum, in concionibus, in pia conversatione. Denique quasi lapis est in spiritualibus, & totus vivit in corporalibus: Sicuti ergo Medici, cum vident ægrum nullum ex medicina remedium referre, deferunt illum, & habent illum pro mortuo: Sic Deus illos relinquit, qui nullum remedium capiunt ex spiritualibus quia cæci sunt, & surdi, sine ullo gustu, & affectione in Deum.

Sed vix, clamat Deus *Osee cap. 9, v. 8*, cum recessero ab eis, cum deseruero eos & permisero illos currere post concupiscentias suas, & nullum illis frænum injecero quo possint compesci & cohiberi.

Quis non horreat dum legit illud quod narratur *lib. 1 Reg. cap. 28*. Venerat *Saul* ad sagam ut suscitaret *Samuelem* jam mortuum: Apparuit *Samuel*, & dixit *Saul* ad illum: *Coarctor nimis, siquidem Philistiim pugnans adversum me, & Deus recessit à me. Quid, inquit Samuel, interrogas me cum Dominus recesserit à te? O Propheta! quid hoc sibi vult? numquid tu prius protector illius eras? numquid effusis lacrymis veniam pro illo postulabas à Deo? numquid orationes tuæ gratissimæ fuerant Deo? cur ergo Saul ad te non confugiat? cur non consulat te? responderet Samuel, quomodo possum ego illum juvare, quando Deus illum deseruit? cum enim adhuc viverem, illumque deserem, dixit Deus ad me: Usque quo tu luges Saul, cum ego projecerim eum? Quid ergo ego possim si Deus illum non juvet, nec protegat?*

Hinc cum olim hostes *Davidis Absalon* & *Achitophel*, putarent

Aaaa

Da

*Davidem*, propter adulterium & homicidium, derelictum à Deo, dicebant: *Deus dereliquit eum, persequimini, & comprehendite eum, quia non est qui eripiat.*

Non est ergo quod peccator existimet omnia esse in tuto, quando finit Deus illum sequi desideria sua, ita ut omnia illi bene succedant, & nihil illi defit eorum quæ optat & cupit: Nec enim est majus supplicium, quam nullum supplicium pati inter peccata, hoc enim certissimum signum est quod Deus illum non curet, donec illum subita morte opprimit.

Sic egit cum murmurantibus & rebellantibus *Israëlitis*: Desideraverant carnes, tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, dedit illis carnes in summa abundantia, & delicatissimas: Sed, ut ait, Scriptura: *Adhuc carnes erant in dentibus eorum: Et ecce furor Domini concitatus in populum, percussit eum plaga magna nimis.* Qualis fuerit illa plaga Scriptura non exprimit, putant Interpretes aliqui Deum immisisse ignem in illos, qui tantam multitudinem consumpsit, ut locus ille, inquit Scriptura, semper deinceps vocatus fuerit, *sepulchra concupiscentia*, quia ibi aliquot millia eorum qui desideraverant, sepulta fuere.

#### DISCURSUS IV.

*Maria Soror Moysis murmurat contra Moysen, & lepra corripitur.*

**H**æc quæ præcedenti discursu narravimus contigerunt in deserto *Pharan*. Tunc jussit Deus ut castra moverent: *Egressi autem*, inquit Scriptura, *de sepulchris concupiscentia, venerunt in Hazereth, & manserunt ibi.*

Hic inceperunt *Maria* soror *Moysis*, & *Aaron* frater ejus, murmurare contra *Moysen*, & dicere: *Numquid per solum Moysen locutus est Dominus? Nonne & nobis similiter est locutus?*

Tota autem causâ murmurandi, inquit Scriptura, erat propter uxorem *Moysis*, quæ vocabatur *Sephora*. Quid hæc commiserat? verosimile est, inquit *Abulensis*, quod ex arrogantia & ambitione voluerat se præferre *Maria*, eo quod esset uxor *Moysis*, & maritum suum,

sum, quasi populi ducem, verbis extulerit, & prætulit *Maria* & *Aaroni*: Quod cum illi viderent, responderunt: *Numquid per solum Moysen locutus est Deus? nonne & nobis similiter est locutus?* Quo responso volebant comprimere arrogantiam *Sephora*, & ostendere se *Moysi* esse æquales, & se tam nobiles esse Prophetas quam erat *Moyses*.

Habes hic 1. contentionem inter duas, fæminas utra esset major dignitate *Maria* an *Sephora*: *Maria* prophetissa erat, sic enim expresse vocatur *Exod. cap. 15*, 2 *Maria* tanto in pretio habebatur à populo, ut esset omnium mulierum illius populi præstantissima, dicitur enim *Ibidem*, quod cum agerent gratias Deo pro transitu maris rubri, ipsa omnes præiret, & omnibus præcineret 3. putat *Hieronymus Mariam*, simul cum *Aarone*, & *Moysè*, aliquo modo populum gubernasse juxta illud quod dicit Deus *michea cap. 6*: *mihi ante faciem tuam Moysen, & Aaron, & Mariam*. Fortè *Maria*, feminis præerat, easque docebat, *Sephora* vero uxor erat *Moysi*, illius viri qui imperium habebat in totam gentem *Israëliticam*, & erat supremus dux totius exercitus, tot miraculis clarus. Hac dignitate suâ superbiebat *Sephora*. & *Maria* se præferbat, *Maria* hoc non ferens, irata dicebat: *Numquid per solum Moysen locutus est Dominus? nonne & nobis similiter est locutus?* Contentio ergo erat utra esset major & dignior.

Hic olim etiam, ut narrat *Lucas cap. 22*, disputabant Apostoli inter se, quis eorum esset major: Ridicula res: Erant pauperes piscatores, homines viles, qui nihil habebant in mundo, præter unicam vestem qua induebantur: Et disputant illi quis eorum esset major? O humanam insaniam! Quæ semper ceteris vult eminere, etiam in fordibus, quando omnibus inferior est; & si neminem habet quicum de magna dignitate possit contendere, etiam de vili imminetia contendit inter abjectos sui æquales.

Quando vero duo magni inter se super hac re contendunt, acrior disputatio est & obstinatio: Hinc contentio de majori dignitate inter *Mariam*, *Aaronem* & *Sephoram*, graviter punita fuit à Deo, ut postea videbimus, præsertim in *Maria*, quia illa in suas partes traxerat *Aaronem*: Tam potens est femina, ut etiam summum Sacerdotem, & sanctissimum virum posset seducere.

Accedit quod *Maria* triplex peccatum commiserit. I enim peccavit superbia 2 detractioe 3 mendacio.

Peccavit superbia, uti & *Aaron*, ipsius instinctu; patet ex verbis illorum: *Nūm*, inquit, *per solum Moysen locutus est Dominus; nonne & nobis similiter est locutus*; ut se extollant & jactent, *Moysen & Saphoram* ipsius uxorem despiciunt: volunt enim dicere: Non tam excellens est *Moyses* sicuti vulgo habetur, vel ab ejus uxore dicitur: Non utique: Quia non per solum *Moysen* locutus est Dominus sicut passim creditur, etiam locutus est nobis aequae ac ipsi.

Hic vides clarè naturam superbiæ, alios despiciere ut se extollat. Plura reperio hujus rei exempla in Scriptura, quibus hæc veritas clarè probatur: Duo seligam aut tria ex multis.

Primum habemus in Scribis & *Phariseis*, de quibus dicitur quod scandalizabantur in *Christo*, hoc est, quod fidem derogarent omnibus quæ dicebantur de illo. Faciebant catalogum omnium ipsius præstantium operum, mirabilium miraculorum, quæ audiverant dici de isto homine, quem, juxta judicium suum, aspiciabant ut vilem, contemptibilem: ideo dicebant; Impossibile est ut ille faciat talia, qualia de ipso dicuntur: *Unde huic virtutes, & hæc omnia?*

Unde? ex ipsius natura? ex ipsius excellentia? ex nobili ipsius stirpe? at quidquid in illo videmus, æque abjectum est: Unde ergo procedere possunt tot mirabilia quæ de illo dicuntur, quod alii decipiantur, & credant opera ipsius qualia dicuntur, non est mirum, quia alii non norunt quis sit, aut qualis, non norunt ipsius familiam, nec parentes, nec propinquos. Nos vero non potest decipere, quia novimus illum intus & extus. Ad quid tantus *Christi* contemptus? ex mera superbia: Putabant enim se non posse eminere nisi *Christum* deprimerent.

Similes illis erant ii quos Scriptura *Lib. 1 Reg. cap. 10*, vocat *Belial*. Statuerat Deus *Saulem*, regem *Israelitarum*, ut illos defenderet, & in libertatem assereret contra hostes illorum. At ubi illum oculis conspexere, & scirent illum esse ortum vili familia, & profapia humili, & parentes ejus de plebe, contemnebant, & despiciebant eum, putantes non esse possibile ut regium haberet

beret animum, nec regias qualitates, qui conditione tam vilis erat. *Dixerunt ergo, inquit Scriptura, filii Belial: Num salvare nos poterit iste? & deſpexerunt eum, & non attulerunt ei munera.* tantumdem erat ac ſi dicerent quemadmodum *Phariſei*: Unde huic potentia? Unde virtutes?

Hoc proprium eſt opus ſuperbiæ, oculos conſpicere in propriam excellentiam, & in abjectionem alterius, ut alios contemnendo, ſeſe extollant. Hæc ſecum expendens *D. Gregorius Magnus lib. 14. Moral. cap. 14.* ſic loquitur: Quare ſuperbi contemnunt ſanctos humiles, & humiles æſtimant peccatores ſuperbos? Ratio eſt, inquit, quia ſuperbi conſpiciunt oculos in aliquod bonum quod habent in ſe & in aliquod vitium quod alii habent in ſe: Nulla enim res eſt, tam bona quæ non habeat aliquid vitii: Sic perdicis peccus eſt optimum, ova nil valent. Nulla etiam res eſt tam mala, quæ non habeat aliquid boni: Sic vipera aliquid virtutis habet ad conſiciendam theriacam, & ipſa eſt plena veneno. Eodem modo ſuperbus, videt in ſe quod bonum eſt, & in alio quod vitioſum eſt, atque ita æſtimat ſe, & alium contemnit: Humilis eſt contrario, videt bonum proximi, & vitium proprium, atque ita contemnit ſeipſum, & æſtimat proximum, quamvis ſit magnus peccator. Quanti faciebat *David Saulem*, quamvis eſſet reprobatus à Deo? & neminem minoris faciebat quam ſe: In *Saule* conſiderabat, quod eſſet rex unctus à Deo, & in ſe, quod eſſet pauperculus, & de paupere tribu, & ſic dicebat: *Quem proſequeris rex Iſrael? canem mortuum perſequeris, & pulicem unum.*

Hinc patet quod *Chriſtus* magnam haberet rationem conquerendi de civibus *Nazarenis*, & quam parum fundamenti illi haberent conquerendi de *Chriſto*, illi enim tantum videbant in *Chriſto*, quod erat abjectum in oculis eorum, ſed non aſpiciebant excellentiam ipſius doctrinæ, nec dignitatem miraculorum: Interea dum in ſe conſiderarent excellentiam ſuæ proſapiæ quæ deſcendebat ab *Abraham*, non videbant ſua vitia & peccata quæ illos poterant humiliare, propterea *Chriſtum* deſpiciebant, adeo ut multis injuriis illum afficerent, & contra illum exclamarent: *Quanta audivimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua*, quaſi dicerent: Fieri ne poteſt quod tam liberalis ſis & beneficius erga terras alienas, & tam parcus erga patriam tuam, ut ne vel unum in ea miraculum feceris? Hiſce verbis contemnebant famoſa illa

Superbia  
ejusque da-  
ſcriptio.

opera quæ dicebantur de *Christo*, & in faciem ipsi improperabant quod miracula quæ dicebatur fecisse in *Capharnaum*, & alibi, meræ fabulæ essent: *Christum* despiciunt ut se extollant. Talis erat superbia *Maria* & *Aaronis*, quando murmurantes dicebant: *Nam per solum Moysen locutus est Dominus? nonne & nobis similiter est locutus?*

Ex hac superbia orta est detractio: Patet ex verbis Dei ad illos dicentis: *Quare non timuistis detrahere seruo meo Moysi?* Detractionem Deus hic vocat quod non bene loquerentur de *Moysi*, consanguineo suo, superiore suo, & viro sanctissimo, & per hoc maxime venerando, ac dignissimo ut à nemine linguâ tangeretur, qui nemini vel minimam fecisset injuriam, faceret, aut facere intenderet. Erat enim, inquit Deus ipse, *vir mitissimus inter omnes qui morabantur in terra.*

Omnes hæ circumstantiæ valdè aggravabant peccatum *Maria* & *Aaronis*. Grave quidem est detrahere de alienis, sed gravius de consanguineis, sororibus, fratribus, parentibus: Grave est detrahere de subditis, gravius de superioribus: Gravissimum de viris justis & sanctis, qualis erat *Moyses*: Sanctitas enim per se meretur omnem honorem, respectum, ac reverentiam: Sancti enim sunt dii participativè, juxta illud *Davidis*: *Ego dixi, dii estis vos;* & illud quod dicebat Deus ad *Moysen*: *Constitui te Deum Pharaonis.* Hinc expressè mandavit Deus *Exodi cap. 22*. *Diis non detrahes:* Quod *Gregorius*, *Cyrillus*, & *Theodoretus*, etiam intelligunt de Sacerdotibus, qui quamvis forent malæ vitæ, sancti tamen sunt propter dignitatem: Hoc est quod *Hieronymus* ait: Absit ut de his aliquid iniustum loquar qui Apostolico gradu succedentes, *Christi* corpus sacro ore conficiunt, per quos & nos Christiani sumus; qui claves regni cælorum habentes, quodammodo ante judicii diem judicant. Tanto major injuria quanto major persona est de qua detrahimus, & quanto dignior persona quæ detrahit; quo enim dignior est persona quæ detrahit, eo majus pondus habent ea quæ dicit, adeoque facilius creduntur. Ex dictis patet quod gravissimè peccarint *Maria* & *Aaron*, quod cum illa esset princeps mulierum, hic summus Sacerdos, detraherent *Moysi*, viro sanctissimo, de quo Deus ipse testatur quod esset mitissimus omnium hominum & fidelissimus in domo sua.

Præterea peccatum detractionis tam turpe est ut vix inuenias qui audeat vel velit fateri se id commisisse, & sic numquam inuenies principium ex quo ortum est: Unus ait: Non scio quis hoc dixerit: Alter; alii mihi dixerunt: Alter, non est mihi dictum tanquam res certa: Alter, ego quidem dixi quod audiveram, sed nullo modo credebam. Sic *Christus* fuit actus in crucem, si peccatis quis hoc fecit! Omnes se excusant. Diabolus dicit: Ego non feci, dixi enim ut illum dimitterent, apparui in somnis uxori *Pilati*, eamque misi ad maritum suum, ut illi diceret? *Nihil tibi, & iusto illi Iudas* dicit: Ego non feci, quia retuli argenteos ad Sacerdotes, & falsus sum me tradidisse sanguinem iustum. Pharisei dicunt: Nos non fecimus, quia *nobis non licet interficere quemquam*: *Herodes* dicit: Ego nolui illum condemnare, propterea remisi illum ad *Pilatum*: *Pilatus* lavat manus suas, & dicit: *Innocens ego sum à sanguine iusti huius*. Sic videmus interdum hominem aliquem malevolorum linguis quasi actum in crucem, quia læsus est honor ipsius: Quis hoc fecit? nemo: Omnes enim dicunt: Non ego hoc feci; quia tam turpis est detrahitio ut pudeat omnes fateri.

Accedebat ad hæc duo peccata, scilicet superbiam, & detractionem, etiam mendacium; dicebant enim: *Nonne Dominus nobis similiter est locutus?* Erat quidem Deus illis locutus, sed non similiter, vel sicut *Moyse*: Nam vel per *Moysem* illis locutus erat, vel apparendo illis in aliqua specie externa, non autem facie ad faciem, sicut *Moyse* locutus fuerat in monte *Sinai*.

Iratu itaque Deus, inquit Scriptura, contra eos: Statim locutus est ad *Moysem, Aaronem & Mariam*: *Egredimini vos tantum tres ad tabernaculum fœderis, cumque fuisset egressi, descendit Dominus in columna nubis, & stetit in introitu tabernaculi vocans Aaron & Mariam, & dixit ad eos: Audite sermones meos: Si quis fuerit inter vos Propheeta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. At non talis servus meus Moyse, qui in omni domo mea fidelissimus est: Ore enim ad os loquor ei, & palam, & non per æigmata, & figuras Dominum videt: Quare ergo non timuistis detrahere servo meo Moyse?*

Tacet *Moyse*, nec se defendit, ideo loquitur Deus pro illo, ipse enim defendit & laudat innocentes qui calumnias patiuntur.

Num.



Numquid per suos Prophetas viduis ac pupillis oppressis, promisit dicens: nolite despondere animum, ego enim causam vestram suscipiam, & defendam vos contra oppressores vestros?

Cum filii *Israel*, per solitudinem ambularent, & *Madianite* contra illos procederent pugnaturi, dixit *Deus*: vos tacebitis, & ego pugnabo pro vobis.

*Susanna* innocens erat damnata ad mortem, nec mora, mittit *Deus Danielem*, qui illam defendat, & morti eripiat.

*Magdalena*, deplorans peccata, multa obloquia, & calumnias patiebatur non tantum à *Pharisæis*, sed etiam ab *Apostolis*, sed cum illa taceret, locutus est pro illa *Christus*, & dixit: Quid molesti estis huic mulieri, bonum opus fecit.

Dicebant amici *Iob*, fanda & nefanda de illo, arguebant illum innocentem, iactantiam, impatientiam, blasphemiam, hypocrisis, impietatis; intervenit *Deus*, & laudavit *Iob*, ut contra illorum malevolas linguas ipsum defenderet.

Sciebat hoc *David*, quod *Deus* tantus esset innocentium defensor, ideo clamabat *Psal.* 108. *Deus, laudem meam ne taceris*: Orat *David* ut *Deus* illum laudet: Quid? numquid ergo vana gloria est expetere laudem humanam? & magna temeritas est velle laudari à *Deo*? ita est: verum non vanam gloriam quaerit *David*, sed rogat *Deum* ut illum defendat contra linguas hostium suorum: *Os*, inquit, peccatoris, & os dolosi contra me apertum est, tu, o *Deus*, qui innocentes soles defendere, defende me: unus dicit me esse injustum, ostende ergo justitiam meam, alter dicit me hominem esse superbum, tu ostende humilitatem meam, alter dicit me hominem esse crudelem, tu ostende mansuetudinem meam: *Operui in jejunio animam meam, & factum est in opprobrium mihi*: *Posui vestimentum meum cilicium, & factus sum illis in parabolam, & psallebant in me qui bibebant vinum*, confunde illos, & ostende pietatem meam: *Alii dicunt: Quando morietur, & peribit nomen ejus?* tu ostende innocentiam meam. Hoc est quod *David* orat: *Deus laudem meam ne taceris*, ut me laudando defendas innocentem, contra opprobria, calumnias, & maledictiones hostium meorum.

Sic denique fecit *Deus* respectu *Moysis*, laudavit enim illum ut fidelissimum servum suum totius nationis *Israëlitice*, ut maximum prophetam, ut sanctissimum totius mundi hominem, quo obturaret ora, & compesceret linguas *Marie* & *Aaronis*.

Hoc non contentus Deus; Nubes quæ erat super tabernaculum recessit, & iratus contra eos abiit. Et ecce Maria apparuit candens lepra quasi nix. Lepra inter Iudeos erat teterrimus morbus, quem omnes fugiebant sicut nos pestem; hoc morbo Maria hic plectitur, quia detraxerat Moysi. Ex hac teterrima Maria lepra docemur, inquit D. Ephram, quam grave ac detestabile vitium fit obrectatio. Corpus quod leprâ infectum cernebatur, speculum quoddam fuit animæ quæ non perspiciebatur, cuius indicabat maculam. Ex illa carnis putrefactione patefactum est, quomodo hominis detractoris corrumpatur animus.

Gravissimâ poenâ punitur Maria, quia gravissimum peccatum est detractio. Vis videre quam grave sit? audi Bernardum: Detractor, inquit, & lubens auditor, uterque diabolum portat in lingua. Audi Chrysostomum in Psalm. 100: Grave malum, inquit, est detractio, turbulentus dæmon.

Magna ars est si pictor aliquis uno alterove tractu penicilli multa magna simul possit exprimere. Ideo mirum est quod D. Iacobus Apostolus cap. 5 duobus verbis totam malitiam linguæ detractantis complecti potuerit. *Lingua, inquit, 1. est animal inquietum; 2. est plenum veneno mortifero*: Non poterat quid brevius dici: nihil quod magis quotidiana experientia constet. Quis enim non videt quam sit *inquietum animal* lingua. *Tota die, inquit David Psalm. 31, iniustitiam cogitavit lingua tua.* Quid hoc significat, *cogitavit*? Non enim lingua cogitat, sed intellectus vel phantasia: Vult ergo David dicere, linguam esse tam levem & agilem, & velocem, sicuti sunt cogitationes nostræ, quæ in momento volant ex uno loco in alium, ex una regione in aliam. Talis etiam, inquit David est lingua nostra, in momento volat ad omnia loca; jam saltat in monasteria inter religiosos, statim post in chorum inter Ecclesiasticos, mox in domos civicas inter Magistratus, jam in aulas inter aulicos, & de omnibus invenit semper aliquid quod garrat ac suggillet, vadit quo vult, penetrat omnia quæ vult. Ergo, ut ait D. Iacobus, *animal plane inquietum*. Si quis assidet mensæ invitatus ab alio, vadit eo, & dicit sicut dicebant de Christo: *Potator vini est*: Si quis non comedit, sed jejunit, vadit eo, & dicit, sicut Pharisei dicebant de Ioanne Baptista: *Dæmonium habet*: Si bene agis, mox tibi adest, & ait: *In Beelzebub eiecit demonia*: Si aliquis patitur, & quasi pender in cruce, dicit, quod dicebant de

Lingua  
mala ma-  
ximum  
malum.

bbb

Chri-

*Christo: Alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere: Si dives es, dicit lingua quod per usuras bona acquiseris: Si pauper es, dicit quod bona dissipaveris per comessationes & delicias: Si non oras, dicit te non habere vel scintillam pietatis: Si oras, dicit te esse hypocritam: Si non faveas pauperi, dicit te crudelem: Si faveas, dicit te hoc facere propter proprium interesse. Denique volat usque in caelum, ad ipsum thronum divinitatis: David enim dicit Psalm. 77: Male locuti sunt de Deo, quid ergo manifestius, quam quod lingua sit animal prorsus inquietum, quod nullibi durat ut omnia carpat.*

Alterum est quod fit *malum plenum veneno mortifero*: Vel ut ait, *David Psalm. 5: Venenum aspidum sub labiis eorum*. Scriptura detractorem passim vocat serpentem: Sic *Eccles. cap. 10*, dicitur: *Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occulte detrahit ubi s.* *Gregorius: Serpens & detractor aequales sunt: Quomodo enim ille mordens venenum infert, sic iste detrahens pectoris virus sui effundit in fratrem.*

Detraxisti de altero, & non scit? Serpens es qui mordet, & veneno inficit sine sensu: hoc est quod ait *David: Venenum aspidum*. Hoc genus serpentis habet venenum sub lingua, & est tam mortale ut non sit locus remedio, sequitur necessario mors, sed cum magnis convulsionibus, angustiis, ac tormentis: Est enim venenum urens quod accendit cor donec illud consumat. Vides hic venenum mala linguae? mortale est, quia destruit honorem & famam proximi sine remedio, & cum maximis tormentis: De quo dicit *Ecclesiasticus cap. 28: mors illius mors nequissima, & utilis magis infernas, quam illa*. Ignis inferni tam potens est, ut noster respectu illius non sit nisi pictus, consumit quasi animas & daemones qui sunt puri spiritus. Lingua autem detractoris *inflammata est a gehenna*, inquit *Iacobus Apostolus: Igitur detraxisti de honesta persona, incendisti famam illius; quo igne? igne inferni*. Denique tantum malum est lingua detractoris ut ipse *Cicero* homo ethnicus dixerit: Detrahere alteri, magis est contra naturam quam mori, quam dolor, quam caetera quae corpori possunt accidere: Nam tollit convictum hominum, & societatem.

Non est ergo mirum quod Deus tam severe hoc peccatum puniverit in *Maria*, ut immiserit illi lepram, morbum omnium fetidissimum, & qui totum corpus exiguo tempore consume-

bat.

bat. Et quia tam pestilens erat hic morbus, ut reliquos statim inficeret, *Exclusa est*, inquit Scriptura, *Maria extra castra septem diebus.*

Sed quid factum *Aurone*, qui ejusdem culpæ reus erat? evasit poenas: Cum enim, ait Scriptura, vidisset *Mariam* leprosam, statim accurrit ad *Moysem*, & dixit: *Obsecro Domine mi, ne imponas nobis hoc peccatum quod stulte commisimus.* Sine mora confessus est suum peccatum, & confessione illud delevit, & sic liber fuit à poena. Tunc rogavit *Moysem*, ut oraret Deum pro *Maria*; oravit *Moyse*, dicens: *Deus, obsecro sana eam, & sanata est.* & revocata ad castra, ut viveret, sicut prius, in medio populi.

## DISCURSUS V.

*Mittit Moyses viros qui explorent terram promissionis.*

Post hæc profecti sunt filii *Israel* in *Pharan*, ibique fixere tentoria, dixitque Deus ad *Moysem*: *Mitte viros qui considerent terram Chanaan, quam daturus sum filiis Israel, singulos de singulis tribubus, ex principibus.*

Vocavit ergo *Moyse* duodecim principes, & dixit ad eos: *Ite, & considerate terram Chanaan, qualis sit, & populum qui habitator est ejus, utrum fortis sit an infirmus, si pauci numero an plures. Ipsa terra bona an mala: Urbes quales, muratae an absque muro; humus pinguis an sterilis, nemorosa, an absque arboribus. Confortamini, & afferte nobis de fructibus terra. Cumque ascendissent exploraverunt terram à deserto *Sin* usque *Robeb.**

Jam quadraginta dies impenderant explorandæ terræ, quando reversi sunt, & narraverunt *Moyse*, ac populo dicentes: *Venimus in terram ad quam misisti nos quæ revera fuit lacte & melle; ut ex his fructibus cognosci potest, absciderant enim palmitem cum uvâ sua, inquit Scriptura, quem portaverunt in veste duo viri, de malis quoque granatis, & de ficis loci illius tulerunt.* Sed terra illa, inquebant, cultores fortissimos habet, urbes grandes atque muratas. Alii vero dicebant: *nequaquam ad hunc populum valeamus ascendere, quia fortior nobis est; terra quam lustravimus devorat habitatores suos, populus quem aspeximus, proceræ staturæ est, ibi vidimus monstra quedam filiorum *Enac* de genere Giganteo, quibus comparati locusta videbamur.*

Bbbb 2

His

His auditis incœpit populus murmurare, sed *Caleb*, qui erat unus è duodecim qui missi fuerant, compescuit murmur populi, dicens: *Ascendamus & possideamus terram quoniam poterimus obtinere eam.* Hæc est series totius historiæ: Videamus modo quid inde possimus dicere ad instructionem morum.

Ac primum quidem reflecto ad illa verba: *Absciderunt palmitem cum uva sua*, idque juxta *torrentem botri*. Per *torrentem* intelligit passim Scriptura, magnos dolores & aduersa: Sic ait *David* de *Christo Psalm. 109*: *De torrente in uia bibet*, hoc est, multa & graua patietur: Rursum *Psalm. 123*: *Torrentem pertransiuit anima nostra*, hoc est, multa passi sumus. Per *uua* uero significantur dulcedines, consolationes & prospera: *Absciderunt* ergo *palmitem cum uua sua*, de *torrente*, illi qui iuerant ad terram promissionis: Sed quis unquam uidit *uitem* aut *uvas* crescere in *torrente*? *Quis* ille qui expertus est *uiam* quæ nos ducat ad terram promissionis *cælestem*: *Ibi* crescunt *uua* & *vites* in *torrente*, dulcedo *aternæ gloriæ* inter dolores & calamitates: In *ipsis* dolorum *torrentibus* crescit *suauitas beatitatis*: *Nemo* enim tantus potest esse peccator, nemo tam sanctus, qui non colligat *uvas* de *torrente* ut sic euehat in *cælum*: Dum *cæditur uitis*, & *lacrymas* fundit, per *lacrymas* & *vulnera* paratur ad *proferendas uvas*, & *generosissimum uinum*: Numquid à *duobus discipulis* *Iuis* petiit *Christus*, an possent *bibere calicem passionis suæ*? *Quare* hoc? *Quia* petebant *primas sedes* in *regno Christi*, illic, inquit *David*, *propinabit Christus* *plenos calices voluptatum*, illic *beatæ animæ inebriabuntur ab ubertate dõnis Dei*, sed prius *epotandus calix passionis*, *uinum enim illud cæleste non crescit nisi in torrente*, de quo *Christus* ipse, juxta *Davidem*, tam large bibit in *uia*.

Et quare putas ex *aqua uinum* factum in *Cana Galileæ*, quod ut gustauit *Architriclinus*, dixit se nihil ad id temporis gustasse *meracius*, & *generosius*, nisi ut intelligamus, *arumarum ac lacrymarum aquas* in *uinum* *uerti beatitatis*? *Ideo Christus* tum *mentionem* fecit *beati calicis*, cum *suum cruorem effundendum* *prædixisset* in *cœna*. *Hic est*, inquit *Matth. cap. 26*, *sanguis meus qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*: *Dico autem uobis, non bibam modo de hoc genimine uitis usque in diem illum, cum illud bibam uobiscum in regno patris mei*. *Illius convivii numquam meminerat*: *Nunc primum* de illo agit, quia *copiose egerat de suis suppliciis proferendis*.

Aduersitates  
causa  
consolationum.

ferendis, æternitatis enim deliciæ feruntur per calamitates & vulnera, spinæ quas hic patimur in coronas mutantur, cruces in thronum, calix doloris in calicem gaudii, aqua tribulationis in vinum quod Beati bibunt in cælo, fel mutatur in mella, mons Calvariæ in cælum. Sanguis meus, inquit *Christus*, effundetur, sed inde nascetur vinum quod vobiscum bibam in regno cælorum.

Proinde merito credidit *David*, se destinatum ad gloriam æternam, quia prævidebat sibi impendere ærumnas; dicit enim *Psalms*. 21. *Video quoniam tribulatio proxima est, & cum texuisset Catalogum eorum quæ patiebatur, tunc exclamavit: Apud te, Domine, laus mea in Ecclesia illa magna cælorum.* Hic deprimor, ergo ibi exaltabor. Tanta est æternitatis beatæ cum dolore conjunctio! Nostra est beatitudo, si deprimimur, & non refugimus pati.

Dicit *Ioannes Apocal. cap. 21*, quod Deus in cælo absterget omnem lacrymam ab oculis sanctorum: Ergo prius flere qui nunc exultant præ gaudio, veneruntque non sine cruore ex pugna mortalitatis, quia prius, ut ibidem ait *Ioannes*, coacti fuere lavare stolas suas in sanguine agni. Vocabatur *Elias* in montem *Horeb*, ut illic videret Deum, sed debebat illud iter conficere per tædiosam desertum ubi nec ullus homo apparebat, nec fruges quibus vesceretur, sed unico subcinericio pane & frigida potu contentus, nullo alio per quadraginta dies alimento confortatus.

Non possumus Deum videre in cælo nisi patiamur, alioquin verum non esset quod ait Apostolus: *Per multas tribulationes oportet introire in regnum Dei* Hoc primum.

2. Reflecto ad illa verba: Detraxerunt, illi nempe qui missi fuerant à *Moyse*, terræ promissionis quam inspexerant, apud filios *Israel*, & statim incœperunt illi murmurare Ecce, illi male loquuntur, & mox populus, incipit male loqui; Hoc est quod *Paulus* ait, *1. Cor. cap. 5: Nolite seduci, corrumpunt bonos mores colloquia mala: Non loqui mihi, sed tonare videtur Paulus, cum has Corinthiis, de colloquiis leges præscribit.* Nam pravitate sermonum non elidi pudorem ait: Multi enim succumbunt, sed revalescunt, & prostrati victoriam referunt. Non vulnerari ait: Multi enim vulnera referunt, sed post vulnus iterum sanantur, & triumphant. Non dicit malis colloquiis innocentiam perdi: Sed, *corrumpunt*, inquit, *bonos mores, colloquia mala: Hoc est, nihil relinquitur in audiente quod*

Colloquia  
prava:

Bbbb 3

non

non sit obnoxium corruptelæ: Et hoc agunt ista colloquia non in mores pravos, sed probos, qui à corruptione longissime aberant. Ut scias hujus veneni tantam esse perniciem, ut ea quoque corrumpat, quæ videbantur minime posse corrumpi. Vox una factis est aliquando, ad totum hominem, quantumvis pium, corruptendum.

Paucis verbis utebatur *Absalon* ad eos qui veniebant ad aulam patris sui, pro negotiis suis, dicens: *De qua civitate es tu? Videntur mihi sermones tui boni, sed non est qui te audiat. Quis me constituat judicem?* Quid inde secutum? tumultus in populo contra *Davidem*, ipse fugatus ex aula, intrusus in imperium rebellis patri *Absalon*, cædes ex utraque parte innumeræ, ut mirum sit quomodo ex tam parva scintilla, tantum potuerit excitari incendium, nisi sciremus tantam esse pestem colloquii pravi ut firmissima quæque corrumpat, quando illa vel tenuissima stilla asperferit.

Vidit olim *Judea* *Pilatum* clamoribus, delationibus, & accusationibus Scribarum & vulgi reluctantem, ac dicentem: Nullam invenio in *Christo* causam mortis: Sed mox ita succubuit, ut adjudicaret fieri petitionem eorum, cæsumque virgis, spinisque coronatum, non damnavit solum, sed etiam medium inter latrones egit in crucem.

Quibus ille muneribus deflexus est à justitia? nullis. Qua terris seditione aut apparatu armorum dejectus è folio æquitatis? nullo. Solis verbis inde dejectus est.

Sed fortasse longa oratione quam aliquis habebat eloquentiâ tantâ ut esset digna *Demosthene* vel *Cicerone*: nihil minus: Vix decem verbis ex optimo judice factus est parricida innocentis: Et quæ illa verba? *Si hunc dimittis*, clamabat populus, *non es amicus Cæsaris*. Si tu tantam in tali præside corruptionem & inconstantiam miraris, ego sane non miror: Quia tam paucae voces: *Non es amicus Cæsaris*, fulgur illi videbantur, quo in extremas miseras à *Cæsare* projiceretur: Tantum veneni secum trahit vel brevissimus discursus non bonus, ut totum *Pilatum* corrumpat.

Cum fratres Patriarchæ *Iosephi*, pascerent oves in agro, & de longe vidissent illum advenientem, *cogitaverunt*, inquit Scriptura *Genes. cap. 37, illum occidere*; an aliquid ipse novi contra illos commiserat? exacerbabat illos prius narratione somniorum suorum, accusarat illos apud patrem de crimine pessimo quod olim com-

miserat.

miserant : Antiqua illa erant : Cur jam de novo deliberant illum occidere, si nihil ille novi commiserat ? audi. *Cogitaverunt*, inquit Scriptura, *illum occidere, & mutuo loquebantur, ecce somniator Venit* : Mutuis sese colloquiis in fratris necem concitavere, & per ista colloquia, invidia illorum quæ jam latebat sub cinere, exarsit in flammam, hinc *cogitaverunt illum occidere*, & unde hæc flamma ? quia *mutuo loquebantur*.

Denique sermones iniqui & mendaces illorum qui fuerant missi in terram promissionis quibus terram illam describebant plenam crudelissimo hominum genere, ac monstros, ita seduxerunt populum *Israëliticum*, ut *Moysem* contempserit, in *Aaronem* lapides corripuerit, & reverti voluerit in *Aegyptum* ; Et quamvis alii conarentur illos componere, dicentes, esse *terram fluentem lacte & melle* ; non timeatis, inquebant *populum terra hujus, quia sicut panem eos possimus devorare, Dominus nobiscum est, nolite metueret*. Sed tantum abest ut tali sermone illos componerent, ut eo magis concitarentur ad murmurandum, & jam lapidibus obruerent *Moysem*, & *Aaronem*, nisi Dei nubes se interposuisset, & liberaffet à morte ; mox in illos à Deo lata sententia est ut nullus eorum terram promissionis ingrederetur, *feriam enim illos*, inquit Deus, *pestilentia, atque consumam*. Viden' quam severa sit divinitus in tumultuantes quos videt malis colloquiis depravatos ? Et merito : Raro enim extinguitur incendium, quod per malam linguam excitatum est.

Hinc tanta cura ac sollicitudo in parentibus *Romanis*, ut nullum impurum verbum proferretur ubi puer aderat, ne teneris animis semel imbibitum, numquam deinde deleri posset. Qua super re acerrime *Bernardus* excurrit *Serm. 24 in Cant* : Unus est, inquit, qui loquitur, & unum tantum verbum profert, & tamen illud verbum, uno in momento, multitudinis audientium, dum aures inficit, animas interficit.

Hoc tandem est quod ait *Paulus* : *Corrumpunt bonos mores colloquia prava, sed præ cæteris impudica, quæ passim in consortiis juventutis, & non raro, etiam inter variæ conditionis homines, in conviviis habentur, non tantum quibusdam involucris tecta, sed etiam aperta, & dum vinum quod lætificat cor hominis bibitur, sparguntur spumæ inferni, & sputa diaboli (sic enim verba impudica vocat *Peraldus*) quæ animas inficiunt.*

Et



Et in hoc multi Christiani, quod pudor est, peiores sunt ethnici. Accipio Scripturam in testem *Daniel cap. 5*, ubi describit convivium illud *Balthasaris regis Babyloniae*, in quo nihil deerat quod poterat fræna laxare luxuriæ; aderat quidquid deliciarum habet aer in avibus, sylvæ & campi in quadrupedibus, flumina & mare in piscibus, aderant maximi totius imperii principes, aderant uxores eorum & concubinæ, omnia denique ad incendendam libidinem composita: Nihilominus tamen post hæc omnia dicit Scriptura: *Bibebant vinum, & laudabant deos suos.*

Quis unquam credere potuisset, nisi Scriptura diceret, idololatrias, & *Babylonios* quidem, hoc est, in civitate quæ sibi similem non habebat in licentia & luxu; imo & principes, qui nihil sibi illicitum esse existimant, non effudisse se in omnem quidvis loquendi licentiam? nihil simile: Non disputabant de feminarum capillis, ac cirris: Non quærebant an passi an adstricti crines plus arriderent in femina, quinam oculi acriores glauci an subnigri: Non differebant de petulantia quovis usu, abusuque lascivia: Quid ergo? *laudabant deos suos*: Quis non stupeat? mille ex Principibus, *Babylonis* accumbebant mensæ, & nemo erat qui non laudaret Deos suos, nemo qui verbum impudicum proferret, sed *laudabant Deos suos*, etiam inter vina, inter omnes delicias, in consortio tot levium feminarum agebant de diis suis.

Quis jam inter epulas meminit Dei? Quis in conviviis loquitur de cælo? *Assyriorum* princeps *Balthasar*, ita cum principibus epulabatur, ut à Deorum suorum laude non interquiesceret: *Bibebant vinum, & laudabant Deos suos*: Inter pellices & concubinas differebant de diis idololatriæ. Christiani vero, tantum abest ut Deum laudent, ut è contrario non pauci cælum sermonibus impuris oppugnent. In *Assyriorum* vino supernatabat religio, in Christianorum vino religio non semel submergitur: *Babylonis* infundebant quasi cælum in calices suos, dum laudarent Deos suos, & infundent Christiani in calices suos sordes linguarum suarum, quibus & se, & alios inficiant? ergone convivari non possumus, aut nos oblectare, nisi oculis, nisi animo, nisi lingua fornicemur? Pergamus ad alia.

*Judicia humana non  
estanda,*

Tertium quod reflecto in verbis eorum quos *Moyfes* miserat in terram promissionis, est illud, quod ex una parte essent qui terram istam laudarent in summo, dicentes, terra est quæ fluit lacte

& melle, ecce portavimus nobiscum fructus illius, palmitem uvæ, qui ut videtis, tantæ magnitudinis est, ut debuere portari in vecte: Videtis etiam malo granata & ficus quas attulimus, omnes præstantissimos fructus, hinc potestis colligere quam sit felix ac ferax regio. Præterea incolæ non adeo fortes sunt ut eos superare non valeamus, quare magno animo estote, & nolite timere.

Ex alia vero parte dicebant alii: *Terra quam lustravimus devoravit habitatores suos, populus quem aspeximus, proceræ stature est: Ibi vidimus monstra quedam filiorum Enac, de genere gigantum, quibus comparati locuste videbamur.*

Primi omnia facillima faciebant, & animabant populum ut viam versus terram promissionis arriperent: Secundi omnia faciebant molestissima, & terrorem populo incutiebant, ne iter illud prosequerentur. Primi repræsentabant angelos bonos, qui nos assidue animant ut prosequamur iter quo tendimus ad terram promissionis cælestem, ostendentes illud non esse difficile, terram illam esse lacte & melle manantem, & locum omnium deliciarum ac voluptatum. Secundi repræsentabant angelos malos, qui nobis persuadere conantur iter illud plenum esse monstris, quæ homines devorent, & gigantibus, quibus non possumus resistere.

Via qua ad cælum tendimus, sunt mandata Dei ac virtutis: Hoc unum nobis occinunt angeli, quod ait *Ioannes Epist. 1. cap. 1: Mandata Dei gravia non sunt, & quod ait Christus Matth. cap. 11: Iugum meum suave est, & onus meum leve.*

Mandata Dei gravia non esse probant 1. *Augustinus lib. de grat. Christi, cap. 16, dicens: Gravia non sunt, quia non trahunt deorsum: Quidquid enim grave est, ut lapides, lignum, ferrum, terra &c. & per se cadunt deorsum, & alia secum trahunt. Mandata vero Dei, inquit Didymus Alexandrinus, hominem levant in altum, ergo non sunt gravia.*

Explicat hoc similitudine *D. Bernardus Epist. 72, ad Ramaldum: Leve est, inquit, quod portantem non gravat, sed levat: Ubi, inquit, occurrit de pennis avium, mirum opus naturæ: Unde grossecit materia, inde sarcina levigatur, & quantum crescit in massa, tantum decrescit in pondere. Hoc plane in pennis similitudinem oneris Christi exprimit, quod & ipsæ ferant à quibus feruntur.*

Cccc

Præ-

Prægrandium alæ volucrum, grave in se pondus habere videntur, eo tamen ciconiæ, ardeæ, aquilæ pernici feruntur per aera volatu: Ipsæ ferunt à quo feruntur, & ut ait Poeta, sine pondere habentia pondus.

Amor omnia vincit,

Inde concludit *Augustinus in Psalm. 122*, nihil esse tam grave, cui amor non addat alas: Ascendit, inquit, volando, qui ascendit amando; D. quoque *Bernardus Serm. 43, in Cant.*: ad illa verba, *Canticorum Cap. 1: Fasciculus Myrrha dilectus meus mihi*, Non fascem, inquit, sed fasciculum dilectum dicit, quod leve præ amore ipsius ducat, quidquid laboris imminuat aut doloris. An non fasciculus jugum *Christi*, quod ait esse suave, & onus leve? Non quia leve in se, sed leve tamen amanti: Considerate dumtaxat, inquit, *Augustinus in cap. 26, Matth. Tom. 10 Pag. 1525*, quanta amor reprobis atque lascivis faciat, quam dura, & intolerabilia pertulerunt ut pervenirent ad ea quæ amaverunt: Sive sit amator pecuniæ qui vocatur avarus, sive sit amator honoris, qui vocatur ambitiosus, sive sit corporum pulchrorum amator, qui vocatur lascivus: Et quis posset considerare omnes amores? Considerate tamen quantum laborent omnes amatores, nec sentiunt quod laborent &c. Sic *Augustinus*.

Consideremus hoc ergo, ut monet *Augustinus*, in variis exemplis: 1. Quid non pertulit Patriarcha *Jacob* pro *Rachele*, ut illius amoribus potiretur? dicat ipse met: *Die noctuque*, inquit *Genesi cap. 29, astu urebar & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis*, idque per quatuordecim annos, & post hæc omnia, inquit Scriptura, tot anni videbantur illi dies pauci, præ amoris magnitudine. Optime ergo ait, *Bernardus Serm. 14, in Cant.* Ubi amor est, labor non est.

2. Domicella quædam, ut ad tempora nostra veniamus, detestabat conjugium adolescentis, qui claudicabat, nam crus sibi paulo ante confregerat. Ubi amasius hoc intellexit, mox chirurgum advocat, & denuo, acerrimo doloris sensu, crus sibi confringi, & restâ confingi curavit: Miraris? amabat, & ideo leve illi videbatur quod patiebatur. Sed nulla res, inquit *Augustinus*, amanti difficilis.

3. Fuit nobilis aliquis qui digitum auricularem sibi præciderit, eumque litteris insertum in pignus amoris ad suam amasiam destinavit: Alter cum forte acum super puellæ pectus conpexisset,

subla-

sublatum ori inferuit, dicens tanto se eam amore diligere, ut acum libens in illius gratiam deglutiret, fecit, & extinctus est. Denique fuit qui biberis ad sanitatem amasiæ suæ, non modo vitrum efficcavit; sed insuper omnes margines dentibus comminuit, & vitri fragmenta avidissime devoravit, & vitam amisit. Monstra illa sunt amoris, terribilia sunt: Sed amor, inquit, *Chrysostomus Serm. 40.* nec vulnera curat, nec ferrum, nec mortem; si amor est, vincit omnia.

Summa, si amas, non potest tibi via quæ ducit ad terram promissionis gravis esse, aut difficilis, quia nullum Dei mandatum est quod non sit leve, facile, & suave amanti.

Aut tu dic mihi quænam ex illis tibi gravia, videantur. Forte inimicos diligere, illis parcere, aut benefacere? nullus habuit majores hostes quam *David*, nemo libentius illis condonavit: An grave æstimas servare pudicitiam? Quomodo ergo tot millia virginum, tanta cum hilaritate illam servarunt? Quare merito petebat interdum à se *Augustinus*: Non poteris quod isti & istæ?

Dices fortasse quod audimus alios aliquando dicentes: Illi erant sancti: verum dicis, sed homines tamen erant ut tu, ex eadem materia facti erant qua tu: Si tu ex carne es, non erant illi ex ære, non erant alterius naturæ quam tu.

Quis sanctior *Elia*? Tamen, inquit *Jacobus Apostolus Cap. 5*: Homo erat, similis nobis, & obnoxius passionibus, qui habebat affectus & motus humanos: jam irascebatur, jam melancholicus erat, jam premebat illum fames, & sitis, & lassitudo, & alia incommoda, sicut nos: Vide tamen quanto animo fuerit ac fortitudine: Impetravit à Deo ut lingua ejus fieret clavis cæli, ut illud modo aperiret ad fundendos imbres, aut ignes juxta suam voluntatem, modo illud clauderet ut non plueret: Nihil illi erat difficile, quia totus ardebat amore in Deum.

Lego in libro *Iosue cap. 11*. Quod *Iosue* supremus exercitus *Israëlitici* dux, universa compleverit quæ præceperat Deus *Moyse*, & *Moyse* illi: Non præterit, inquit Scriptura, de universis mandatis vel unum quidem verbum quod jussisset Dominus *Moyse*. Et hic, homo erat sicut & tu, sed sanctus quia Deum amabat; ideo ardua quæque levia videbantur, tu vero, quia non amas, omnia difficilia tibi videntur.

Lego 2. apud S. Lucam cap. 1 de Zacharia, & ipsius uxore Elisabeth: *Erant ambo ante Deum incedentes in omnibus mandatis, & justificationibus Domini, sine querela.*

Non in aliquibus tantum mandatis, sed in omnibus, nec in mandatis tantum, sed etiam in justificationibus, hoc est, in omni genere devotionis ac pietatis Et quod non minus mirabile est, vivebant in matrimonio *sine querela.*

Et hi homines erant sicut & tu, ex eadem carne constantes, & passionibus humanis obnoxii, sed sancti erant, quia Deum sincere amabant, ideo nullum erat mandatum, nulla justificatio, quæ illis non videbatur non levis: Tu vero quia non amas in plurimis quæ occurrunt in matrimonio præcepta à Deo, facis difficultatem;

Attendis diabolo & carni dicenti tibi, sicuti olim illi exploratores terræ promissionis ad filios Israel: Terra illa quam vidimus, habitatores habet fortissimos: Vidimus ibi monstra quædam de genere giganteo qui devorant homines, monstra quædam, quibus comparati locustæ videbamur.

Ecce omnia tam terribilia & horrenda, ut populus illis auditis, exclamaret: *Nequaquam ad hunc populum possumus ascendere.* Interea omnia erant mendacia, Scriptura enim dicit, *destruxerunt terram quam inspexerant.*

Tu quoque territus falsis imaginationibus, dicis, non possum hoc, non possum illud: contrarium est verum, inquit *Augustinus Serm. 61, de temp.* Nam in omnibus Scripturis, inquit, dicit tibi Deus, quia potes, tu vero è contrario respondes te non posse: Considera nunc utrum Deo, an tibi debeat credi: Et ideo quia veritas mentiri non potest, relinquat vanas excusationes suas humana fragilitas, quia nec impossibile aliquid potuit imperare qui justus est, nec damnaturus hominem pro eo quod non potuit vitare, qui pius est.

Optime vocat *Augustinus vanas excusationes* eorum qui dicunt se non posse: Non poteris, ut alibi ait, quod isti & istæ, tot millia fecerunt? dicis illi fuerunt sancti; Vana excusatio, quia nihilominus homines fuerunt ut tu, quare non posses esse sanctus ut illi? Dices, non habeo tantas gratias ut illi; vana excusatio, habes si vis, est enim axioma Theologorum, factu quod in te est. & Deus faciet quod in se est: Invenio, inquit, magnas difficultates; vana excusatio,

rio, ama Deum, & non invenies, nihil enim difficile est amanti: Piger es, ideo quadrat in te quod ait, *Salomon Prov. cap. 22: Dicit piger: Leo est foris, in medio platearum occidens sum: Nullum virtutum genus tibi esse videtur quod non leoninam ferocitate præ se ferat. Exhorrescis jejunia ut noxia sanitati, times egestatem si des eleemosynas, ex remissione injuriarum times labé nomini tuo inurendam, phantasiæ sunt quæ tibi amor proprius, & diabolus suggerit, vel ut ait, David Psalm. 93: Fingis laborem in precepto: Phantasiæ sunt, si enim vere amares, nihil tibi foret difficile pro Deo & cælo, sed diceres cum caleb & Iosue, duobus sanctis exploratoribus terræ promissionis: Terra illa cælestis quo tendimus, fluit lacte & melle, ascendamus ergo, & possideamus eam, quoniam facile poterimus obtinere eam. Non sunt leones in via qui te decerpant, tu fingis hoc; non sunt talia monstra quæ te devorent, tu fingis hoc, quia credis diabolo, non sunt ibi gigantes qui te terreant, tu fingis hoc, tantum ama, & omnia tibi fluent lacte & melle.*

DISC URSUS VI.

*Punitur quidam qui ligna colligebat die Sabbathi.*

Cum castra filiorum Israël, adhuc versarentur in deserto Pharan, contigit ut quidam ex illis colligeret ligna die sabbati, quem cum inveniissent, obtulerunt eum, inquit Scriptura, *Moyse & Aaron, & univere multitudini, qui recluserunt eum in carcerem, nescientes quid super eo facere deberent: Dixitque Dominus ad Moysen: Morte moriatur homo iste, obruat eum lapidibus omnis turba extra castra, cumque eduxissent eum foras, obruerunt lapidibus, & mortuus est, sicut præceperat Dominus.*

Hic vides quam severe puniat Deus violatores festorum, etiam in re non admodum gravi, qualis erat aliquot ligna colligere. Hinc ulterius colligere potes quanti faciat Deus dies sibi dicatos. Hanc occasionem, arripiam, agendi de celebratione festorum, in qua hodieque passim peccatur.

Dico 1. Principium mundi, simul fuit principium Sabbathi apud *Judæos*, & diei Dominicæ apud Christianos. De Sabbato quidem ait Scriptura *Genes. cap. 2*, postquam narraverat opera omnia quæ Deus

*Festi dies  
Sanctorum  
celebrandi,*

Deus sex diebus creaverat, *benedixit*, inquit, *diei septimo*, & *sanctificavit illum*, hoc est, inquit *Lippomannus*: In illo die benedictiones & laudes fieri voluit, sibi que consecravit, sanctificare enim idem est ac ad divina obsequia applicatio. Postea sub *Moyse Exodi cap. 28*, illum publicari voluit sub præcepto, dicens: *Memento ut diem Sabbati sanctifices*.

De Dominico vero die inter Christianos, sic ait antiquum quoddam Concilium, quod habetur *Tom. 1 pag. 757*: Ex Apostolorum traditione, & Ecclesiæ autoritate descendit: Mos inolevit ut diem Dominicum venerabiliter atque honorabiliter colamus, quoniam eo die Christus à mortuis resurrexit, eo die Spiritus Sanctus super Apostolos de cælo descendit.

Dico 2. Exigebat & Dei majestas, & natura hominis ut talis dies institueretur. Dei quidem majestas, ut nos illo die totos impenderemus ejus divinis obsequiis, qui totos dies impendit in conferendis nobis novis beneficiis. Exigebat hoc etiam natura hominis, quæ consistit in duabus partibus, quarum una terrena est, & deorsum trahit, scilicet corpus: Altera æterna & immortalis, scilicet anima. Sicuti ergo, inquit *D. Antoninus Sum. Theolog. Tit. 14 cap. 4*. Corpus indiget aliquo tempore ad refectionem sui, quæ fit per somnum, comestionem, & hujusmodi, alias deficeret in operando & vivendo; ita & anima indiget refectione spirituali, ne deficiat, quæ fit per orationes & alia spiritualia: Adeoque postquam homo sex solidos dies impendit negotiis suis sæcularibus ac temporalibus, necesse erat, ut saltem unum diem impenderet Deo, & animæ.

Videte modo quanti Deus fecerit illum diem obsequio suo destinatum. Patet 1 ex illis verbis: *Memento ut diem Sabbati sanctifices*; Ubi reflexit *D. Bernardinus Tom. 2, Serm. 10 A. 1*, ad illud verbum *Memento*; In nullo inquit, aliorum præceptorum posuit verbum istud *Memento*: Præviderat enim humanæ fragilitatis conditionem, & quantum aliis diebus hebdomadæ, mundanorum sollicitudines memorias hominum occuparent, ideo addidit, *Memento*, vide ut inter omnes tuas curas, & negotia sæcularia, numquam obliviscaris diem Sabbati sanctificare, ut saltem unum diem tribuas Deo, quando tot dies tribuisti mundo.

2 Hoc sæpius postea voluit Deus inculcatum *Judeis*. Sic lego quod præceperit *Jeremie* prophætæ, ut nomine suo diceret civibus

Ierofolymitanis: Vade, inquiebat Deus ad Ieremiam, & sta in porta filiorum populi, per quam ingrediuntur reges Iuda, & egrediuntur, & in cunctis portis Ierusalem, & dices ad eos: Audite verbum Domini reges Iuda, & omnis Iuda, cunctique habitatores Ierusalem, hec dicit Dominus: Custodite animas vestras, & nolite portare ponderam die Sabbati, & nolite eijcere onera e domibus vestris in die Sabbati, & omne opus non facietis.

Et quia Iudei, similia faciebant diebus Sabbati, graviter illos corripuit *Esdras* Propheta & princeps. In diebus illis, inquit lib. 2. cap. 13. Vidi in Iuda calcantes torcularia in Sabbato, portantes acervos, & onerantes super asinos vinum, & uvas, & ficus, & omne onus, & inferentes in Ierusalem die Sabbati, & inferentes pisces & omnia venalia, & objurgavi optimates Iuda, & dixi eis: Que est hec res mala quam vos facitis & profanatis diem Sabbati? Numquid hec fecerunt patres nostri? adduxit Deus super nos omne malum, & super civitatem hanc, & vos additis iracundiam super Israel violando Sabbatum.

Deus per *Ieremiam*, volebat monitos reges, per *Esdras* alios magistratus, ut sedulo invigilarent ne quid committeretur contra Sabbati sanctitatem, & ni faciant, minatur illis supplicia: Nondum vides quanti fecerit Deus dies festos?

Similiter etiam *Christus* ejus filius: Quia quodcumque erat aliquod festum Ierofolymis, ipse eo se conferebat, reverentia & devotionis causa, ut loquitur *D. Antonius de Padua*. Sic ait *D. Lucas* cap. 2. Cum factus esset annorum duodecim ascendit Ierofolymam cum parentibus secundum consuetudinem diei festi. Sic etiam *Ioannes* cap. 5: Erat dies festus Iudeorum & ascendit Iesus Ierofolymam. Item cap. 7: Erat in proximis dies festus Iudeorum Scenopegia, & ascendit Iesus, & ingressus est templum.

Hisce positis dico 3 dies festos celebrari debere per vacationem ab omni opere servili. Hoc docuit Deus ipse suo exemplo, cum enim sex diebus operatus fuisset in creando mundo, septimo die, requievit, inquit Scriptura, ab omni opere.

1 Hoc expresse mandavit *Exodi* cap. 20: Non facies omne opus in eo, quod paulo post declarat *Levit.* cap. 23: Nullum servile opus facietis: Quanam autem illa opera servilia sint in particulari, longum esset recensere, & plerique hoc norunt.

Dico igitur 4. cum *Augustino* lib. de Spir. & lit. cap. 15: per abstinentiam ab opere servili, etiam intelligi abstinentiam a peccato:  
Dicit



Dicit enim Deus, volo ut sanctificetis dies festos, sanctificare autem est non peccare: Sic etiam dicit *Glossa*: Etiam peccatum est opus servile, *omnis enim*, ut ait *Ioannes cap. 8*, qui facit peccatum, servus est peccati. Hinc *D. Thomas 2. 2. quest. 122* putat, quod ille magis faciat contra præceptum de sanctificatione Sabbati, qui facit peccatum die festo, quam qui facit aliquod opus corporale de se licitum: Confirmat hoc auctoritate *S. Augustini*, dicentis *lib. de 10 Chordis*: melius faceret *Iudæus* aliquid utile in agro suo, quam seditiosus in teatro, die festo existeret: Et melius feminæ eorum die Sabbati lanam facerent, quam si toto die in neomeniis suis saltarent.

Accedit *Origenes Hom. 23 in Numer*: Qui peccat, inquit, die festo, agere non potest diem festum, quia agit diem peccati.

Nihilominus tamen videmus in dies festos reservari choreas, tripudia, comædias, crapulam, comestiones, spectacula profana, ludos, excursions ad villas, convivium &c. ita ut merito exclamet *S. Antoninus p. 2 Sum. Theol. Tit. 9 cap. 7*: Heu miseranda cæcitas Christianorum! qui plura sæpe peccata faciunt, & graviora in diebus festivis, quam per totam hebdomadam: Nam cum aliis diebus oporteat eos diversis exercitiis laborare ut possint vivere, diebus festivis, quando deberent laborare pro anima, & Deo vacare, implicant se multis vitiis.

Hoc inter multa peccata quæ commiserat *Augustinus*, nominatim deplorat in suis *confessionibus*: Ausus sum, inquit, o Domine, in solemnitatum tuarum celebritate, intra parietes ecclesiæ tuæ, concupiscere, & agere negotium procurandi fructus mortis.

Merito hoc deplorat, nam ut ait *D. Bernardus Tom. 2, Serm. 10. cap. 1*. Quam execrabile sit festivis diebus vacare lasciviæ, cantibus, & choreis, comædiis, potationibus, tempus terere, quis exprimere potest? non enim deliciis & epulis carnalibus diem dominicam deputavit Deus, sed sacris exercitationibus, verbo Dei audiendo, frequentando Sacramenta, orationi &c.

*D. Bernardus etiam Serm. de natali S. Ioan. Bapt.* sic perstringit illos qui hoc modo prædicto dies festos transigunt: *Ioannes* corpus castigat, extenuat, & affligit, vos indui festinatis bysso & purpura, & splendide epulari: Hiccine est præsentis totus honor diei? hæc *Baptista* reverentia tota? & cuius celebratis natalem? nonne illius qui in eremo fuit hirsutus veste, confectus inediâ? & in his tota vestre

vestra versatur celebritas, in gloria vestium, & voluptate ciborum? Putant SS. Patres & alii numquam magis diabolus rem suam agere ut homines peccent quam diebus Dominicis & festis. Hæc est 1. opinio *S. Leonis Papæ Serm. 3 de quadrag.* Non desinit, inquit, nobis antiquus hostis laqueos peccati ubique prætere, sed tunc maxime adversus *Christi* membra sævire, quando ab eis sunt sacra-tiora celebranda mysteria.

Hæc est etiam opinio *S. Bernardini Tom. 2 Serm. 10*: Statuit, inquit, Deus sacras solemnitates & dies festos, ut cessaremus à vitiis, vacaremus ab operibus mundanis & insisteremus divinis: Sed insi-diante humani generis inimico, quod statutum fuerat ad Dei gloriam, & nostram salvationem, jam conversum est ad Dei ignominiam, & nostram damnationem.

Quod paulo latius deducit Scriptor quidam insignis hujus sæ-culi: Sciens, inquit, malignus serpens diem Dominicum & alia fe-sta ab Ecclesia præcepta & instituta esse, ad exhibendum Deo & sanctis specialiolem, & reverentiolem Dei cultum; ad exhibendum pro divinis beneficiis, & patrociniis Sanctorum debitam gratitu-dinem, atque ad animarum profectum, hisce se totis viribus oppo-nit diabolus, hominesque illis diebus, plus quam aliis ad dissolutio-nes instigat, ut fructum impedire possit; & licet mercatus, & ludos, & comædias, & venationem, & vanos discursus & insolentias in templis, differre possit ad alia loca & tempora, mavult tamen illa fieri festis diebus quando sacrificia, & divina obsequia celebrantur. Hoc est quod etiam *Thomas à Kempis*, experientia se didicisse affir-mat, nempe quod Sancti circa festa solemniora magis tententur quam alias.

Dico 5. non sufficere, ut festa celebremus, cessare à servilibus operibus, & non peccare, sed etiam celebranda esse cum pietate ac devotione, & exercitio virtutum quas tam commode, propter negotia sæcularia, non possumus exercere diebus feriatis.

Probat hoc *D. Thomas Opusc. in Decalog.* ex variis Scripturis: *Deut. cap. 5: Observa diem Sabbati ut sanctifices eum Exodi cap. 14: Custodite Sabbatum meum, sanctum est enim. Exodi cap. 35: Septimus dies vobis erit sanctus.* Ergo inquit *S. Thomas*, hic dies datus est ad sancta ac pia opera facienda. Ideo enim voluit Deus nos ab omni opere corpo-rali vacare, ut nos daremus operibus animæ, corporalia enim im-pediunt spiritualia.

D d d d

Hinc

Hinc videre potestis quantum absint à celebratione festorum, qui uno sacro audito contenti, reliquum diem impendunt conversationibus, deambulationibus, ludis, recreatiunculis, quod non facerent diebus feriatis suis negotiis occupati adeoque minus agunt pro Deo diebus festis, quam diebus feriatis; imo istis diebus sæpe summo mane veniunt sacrum audituri, ut tanto expeditiores sint ad sua negotia, diebus vero festis vel otiantur in lecto, vel vacant comendo corpori, & veniunt audituri postremum sacrum: Hoc non est diem Domini celebrare, sed diem corporis sui, & sensualitatis.

Audiamus porro ex Patribus quomodo antiqui Christiani diem Dominicum aliaque festa, præsertim martyrum celebrarint. 1. toti vacabant orationi, ideo *Constantinus* imperator, ut scribit *Eusebius lib. 4. de vita Constant. cap. 18.* solebat vocare diem Dominicum, *diem orationum*, & certas preces instituerat ipse quibus ejus aulici uterentur: Toto quidem vitæ cursu, singulisque diebus orandum est, sed qui diebus festis, non sæpius, & diutius orat, aut non satis religiosus est, aut Christianus non bonus.

2. Antiqui Christiani confitebantur illis diebus, & communicabant: Clare enim scribit *Augustinus lib. 6 Confess. cap. 2.* ad memorias Martyrum *Communicationem corporis Christi* fuisse celebratam.

3. Intererant Missæ Sacrificio, quod tam proprium festis est, ut majores nostri nomen Missæ sæpius sumerent pro ipso festo: in Capitularibus *Caroli Magni lib. 2 cap. 18.* lego hæc verba: *Spatium dare decrevimus usque ad missam S. Martini.* hoc est usque ad festum illius Sancti. Ibi etiam festum *S. Andree* vocatur *Missæ S. Andree*. Sic & nos hodieque vocamus festum *S. Joannis*, festum *S. Bavonis*, festum purificationis *Deiparæ*, dedicationis templi, *Missam S. Joannis* &c. Unde patet *Missam propriam esse festorum dierum.*

4. Omnes turmatim confluebant, & seplebant templa ad audiendum verbum divinum: Vix enim Patrem invenies cujus conciones dictæ ad populum festis diebus non extent: Plurimos autem qui laudent confertam auditorum multitudinem, & dicant egressos è templo vel debere de auditis meditari, vel colloqui.

5. Vacabant operibus misericordiæ, invisebant captivos, largiebantur eleemosynas, & epulis pauperes recreabant: Ita restatur

statuatur *Augustinus Serm. 2, de Temp.*

6 Pridie festorum jejunabant, & nocte præcedente vigilabant ad tumbas martyrum, ibique orabant, hinc profestaa dhuc vocantur *vigiliae*. Hoc reperio apud *S. Leonem*, qui non semel suas conciones concludit his verbis *Jejunemus & vigilemus*, & oremus ad sepulchrum *S. Petri* &c.

7 Relebant, inquit *Augustinus in Psalm. 15*, in festis martyrum quid illi patiebantur, & intelligebant quid intuebantur. Pulchra & fructuosa meditatio: Recolere enim quid Martyres passi fuerint, miserationem movet, intelligere quid spectassent, ad imitationem excitat. Dum enim consideramus quomodo & quid, omnium rerum caducarum cupiditate exuti, bonis fortunæ spoliati, mortui mundo & honori, sceleratis odiosi cari Deo, in media ipsa morte, & diris corporis cruciatibus, forti animo paterentur, animus noster elevatur à terra, & quasi hujus vitæ oblitus ad sublimia evolat, & ingeneratur pia cupiditas eo abundi quo illi felicissimè pervenerunt.

Ita celebrabant festos dies Christiani illi antiqui, majores nostris, quantū vero nos ab illorum pietate ac devotione deflexerimus, ad oculum videmus, & quod hæc è præcipuis rationibus sit, cur Deus nos tot plagis affligerit, vix dubito, dum enim Scripturas pervolvo, invenio apud *Ezechielem cap. 20*, Deum clamantem: *Sabbata mea violaverunt, dixi ergo ut effunderem furorem meum super eos, & consumerem eos*, Conquestus fuerat Deus *lib. 2 Paralip. cap. 34*, cum eodem populo quod idola adorasset, dicens: *Quia dereliquerunt me, & sacrificaverunt diis alienis, ideo stillabit furor meus super locum istum*. Quantum discrimen inter stillare, & effundere? & tamen, quando *Judei* idolis servierant, dicit Deus, *stillabit super eos furor meus*; quando vero violaverunt Sabbata, dicit, *effundam furorem meum*, numquid hoc est tacitè significare, sibi magis displicere violationem Sabbati, quam cultum idolorum?

2 Audio Prophetam *Amos cap. 8*, dicentem: *Et erit, inquit, in die illa, dicit Dominus, convertam festivitates vestras in luctum*. Tunc, inquit, *Gregorius hoc loco*, festivitates convertuntur in luctum, cum pro peccatis, quæ homines in illis committunt, puniuntur.

Deplorat hoc *Ieremias Propheta Thren. cap. 3*: *Via Sion lugent, inquit, quia non est qui veniat ad solennitates ejus*. Quomodo hoc factum

Dddd 2

ctum

etum sit patet ex *lib. 2 Esdræ cap. 13*, ubi Sanctus hic vir objurgat principes *Juda*, dicens: *Profanatis diem Sabbati*, permittitis enim, ut isto die *Judei* calcant torcularia portent acervos, & onerent super asinos vinum & uvas, & ficus, & omne onus inferant in *Ierusalem*, die Sabbati, & vendant: Propterea adduxit Deus super nos omne malum & civitatem hanc. Quod erat illud malum? Venit *Nabuchodonosor*, & destruxit hanc civitatem, duxitque *Judeos* captivos in *Babyloniam*, & sic festivitates nostræ versæ sunt in luctum, nullus enim est qui amplius veniat ad illas celebrandas.

Denique ut paucis absolvam, habemus exemplum illud super quo materiam hanc totam fundavimus, nempe illius hominis qui die Sabbati colligebat aliquot ligna ad struendum ignem. Cumque *Moses* & *Aaron* dubitarent quo supplicio affici deberet, recurrerunt ad Deum, qui sententiam pronuntiavit, dicens: *Morte moriatur homo iste, obruat eum lapidibus omnis turba.*

## DISCURSUS VII.

*Core, Dathan, & Abiron vixi absorbentur à terra.*

Statim post punitionem illius hominis, narrat Scriptura horrendum supplicium *Core, Dathan, & Abiron*. Historia autem est talis: Erant hi tres principes populi, surrexerunt illi contra *Mosen*, & cum illis alii ducenti quinquaginta, omnes proceres Synagogæ, invidabant enim *Aaroni*, quod ipse à *Moyse* electus esset in Sacerdotem, & ipsi tantum essent Levitæ: Caput totius seditionis erat *Core*: Dixerunt ergo ad *Mosen*. Quid vobis persuadetis? Quænam est ista vestra arrogantia, ut vos soli fungamini Sacerdotio? an putatis vos solos esse sanctos? Omnis multitudo populi æque sancta est ac vos, & Deus æque est inter illos ac apud vos; omnes enim æque credunt in Deum, eandem vobiscum habent religionem, eodem fœdere comprehenduntur, quod Deus eum illis iniit in monte *Sinai*: Omnibus pluit de cælo manna, omnibus prævit in columna nubis & ignis, cum omnibus habitat in tabernaculo: Quid ergo vos plus habetis quam omnes, ut sanctiores reliquis vos esse putetis? *Cur ergo elevamini super populum?*

*Domini?*

Quid

Quod cum audisset Moyses, inquit Scriptura, cecidit pronus in faciem, ut Deum oraret, finita oratione, dixit ad Core, & ad omnem multitudinem: *Mane notum faciet Dominus qui ad se pertinent, & quos elegerit appropinquabunt ei. Quis est Aaron ut murmuretis contra eum?* Ipse se Sacerdotio non ingessit, sed Deus eum elegit.

Tunc misit ad Dathan & Abiron, ut venirent ad se, sed noluerunt venire dicentes: *Non venimus.* Hactenus nos decepisti: Quoties enim audivimus te dicentem, quod introduces nos in terram lacte & melle manantem, interea vis nos occidere in deserto; non venimus.

Dixit autem Moyses ad Core, qui illi astatat: *Tu, & omnis congregatio tua stete seorsum coram Domino, & Aaron die crastino separatim: Tollite singuli thuribula vestra, & ponite super ea incensum, offerentes Domino ducenta quinquaginta thuribula; Aaron quoque teneat thuribulum suum.* Cumque die crastino hoc facerent, apparuit cunctis gloria Domini, scilicet in nube lucidissima, & mira luce circumdata quæ gloriam majestatemque Dei repræsentabat, dixitque ad Moysen & Aaron: *Separamini de medio congregationis hujus ut eos disperdam: Precipe universo populo ut separetur à tabernaculis Core, & Dathan, & Abiron.* Abiit ergo Moyses ad Dathan & Abiron, qui cum liberis & uxoribus remanserant in tentoriis suis, stabantque cum thuribulis in eorum ingressu, & exclamavit voce magna ad turbam populi: *Recedite à tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere quæ ad illos pertinent, ne involvamini in peccatis eorum.* Et ut cessavit loqui, dirupta est terra sub pedibus rebellium, devoravitque illos cum tabernaculis suis, & omni substantia eorum, descenderuntque vivi in infernum: *Sed & ignis egressus est à Domino, & interfecit ducentos quinquaginta viros qui offerebant incensum.* Tandem addit Scriptura Numeror. cap. 26. *Factum est grande miraculum ut pereunte Core, filii non perirent.*

Antequam veniam ad documenta moralia, prius ad majorem historiæ explicationem observare debeo illa verba: *Descenderunt vivi in infernum,* non in sepulchrum, ut putat Abulensis, sed in illum locum ubi damnati puniuntur igne æterno: Sic enim intelligunt Hieronymus, Epiphanius, Beda, Bellarminus, & Ambrosius, qui sic loquitur Epist. 82: *Immugiens terra in medio plebis scinditur, aperitur in profundum sinus, abripiuntur noxii, & ita ab omnibus mundi hujus ablegantur elementis, ut nec aerem haustu, nec cælum visu, nec mare tactu, nec terram contaminarent sepulchro.* Dicendum

dum ergo est illos in æternum fuisse damnatos.

Sed cum Scriptura dicat quod vivi descenderint in infernum, quæstio est an vivi eo pervenerint, cum corpore & anima. Afferunt aliqui contrarium, tamen est probabilius, scilicet vivos descendisse in terram, sed mortuos esse in via, ibique corpora remansisse, animabus in infernum descendentibus.

Ratio prima est: Quia sententia mortis universaliter lata est in omnes homines, sic enim dicit Apostolus *Hebr. cap. 9: Statutum est omnibus hominibus semel mori*, à qua lege nemo eximendus est.

Ratio 2. Etiam lex resurrectionis statuta est pro omnibus omnino hominibus, ergo & illi rebelles etiam resurgent, igitur mortui sunt, non vivi, alioquin jam illorum corpora immortalia forent, in inferno, adeoque non resurgerent in die iudicii.

Ratio 3. Mortuos esse significat *Moyſes*: Antequam enim illos terra devoraret, dicebat: Hi homines non consueta morte, sed insolita & inaudita interibunt, sed cum omnis populus videret illos in apertam terram descendere vivos, putabant etiam illos vivos descendisse in infernum. Cogita nunc qualis fuerit clamor & lamentatio cum absorberentur à terra, quo percussa multitudo populi quæ non longe inde stabat, fugit ab eis: Qui autem permanſerant, scilicet uxores, liberi, famuli omnes simul perierunt, præter filios *Core*, dicit enim Scriptura *Numer. cap. 26*. Factum est grande miraculum ut pereunte *Core*, filii non perirent, quia non fuerant secuti exemplum Patris, nec adhæserant illi in rebellionem, & postea sancti habiti sunt inter levitas, adeo ut *David* aliquos Psalmos scripserit quorum titulus est, pro filiis *Core*.

Hoc postremum mihi serviet pro documento morali. Dicit Scriptura non tantum factum esse miraculum, sed etiam grande miraculum. Quod illud? Quale illud fuerit inquit, *Lyranus in Nam. cap. 26*, non habetur ex textu nisi in generali. Putat autem *Lyranus* miraculum illud fuisse, quod quando terra aperuit os suum, & devoravit *Core* cum multis aliis, filii ejus virtute divina manserunt penduli in aere, donec terra rursus clauderetur sub pedibus eorum. Sed de hoc nihil habetur in textu, hoc tantum: *Factum est grande miraculum: Quale? Ut pereunte Core, filii ejus non perirent*: Ergo non erant complices in scelere patris; nec secuti fuerant malum ejus exemplum, alioquin proculdubio simul periissent cum illo, sicut omnes

*Filii patris  
sequuntur  
exempla  
parentum.*

nes alii qui erant rei rebellionis. Hoc ergo vocat Scriptura grande miraculum quod filii secuti non fuerint malum exemplum parentis; est enim quasi miraculum quod parentes sint mali, & filii eorum exempla vitamque non imitentur. Hinc recte ait *S. Petrus Chrysologus Serm. 111*: Parentis vitium est filiorum exitium, sicut in arboribus feminis vitium totius arboris vitium est. Hoc in arboribus manifestum est, quod vitiat, radice flores marcescant, fructus non valent, folia pallefcunt, & tota arbor arefcit, quia ex radice pendent omnia quæ in arbore sunt.

Clara sunt verba Apostoli *Pauli Rom. cap. 11*: Si radix, inquit, sancta, & rami: Ubi *Theophylactus*: Necessè est radiciramos assimilari, sic parentibus filii, parentes enim radices filiorum sunt, & filii rami parentum.

Tanta solet esse morum similitudo inter parentes & filios, ut cum olim *Lib. 1 Reg. cap. 10*, filii *Israel* audirent *Saulem* prophetantem inter prophetas, admirabundi exclamarent: Quid hoc! *quenam res accidit Sauli? quis pater ejus?* ac si dicerent: Si pater ejus numquam prophetavit, nec ad tantam dignitatem pervenit, unde ergo hoc ut filius ejus *Saul* prophetet? quasi *Saul* idem deberet esse cum patre.

2 Cum *Saul* videret *Davidem* pugnantem cum *Goliath*, & truncato illius capite triumphantem, admiratus illius animi fortitudinem, petiit ab *Abner*: *Cujus filius est ille puer?* Quare hoc *Saul* inquit? quia certo sibi persuadebat, filium fortitudinem illam, habere à patre: Quasi non posset tantus fructus è ramo erumpere, nisi radice simili pullularet.

3 Volebat *Deus Judic. cap. 13* *Sampsonem* abstinere à vino, sed prius matri imperavit ut se abstineret: Quare hoc? Quia, inquit, *Montanus*, filii matrum affectiones plerumque sequuntur.

4 Laudat *S. Lucas Zachariam & Elisabeth*: *Erant*, inquit, *justi ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini sine querela*. Quare, petiit *Ambrosius in cap. 1 Luca*, hosce parentes ita laudat Evangelista: nisi ut inde videamus qualis fuerit illorum filius *S. Ioannes Baptista*? Est ergo communis opinio, qualis radix tales rami & fructus, quales parentes, tales filii.

Vidit hoc etiam Poeta *Ethnicus Iuvenalis*, cum dixit *Satyra 6*: *Scilicet expectes ut tradat mater honestos, aut alios mores, quam quos habet,*

Non



Non potest hoc manifestius probari quam exemplo *Herodiadis*, concubinæ regis *Herodis*, quæ pessimos mores suos transfuderat in filiam suam: Mater hujus filiæ erat tam impudens ut relicto marito legitimo, publice viveret cum *Herode* in concubinato. Filia etiam omnem pudorem exuerat, intravit enim in locum convivii ubi principes, & tribuni, & primi *Galilee*, accumbebant ad mensam, & ibi saltavit, cum ignominiosum esset fæminam se immiscere confortiis virorum, præsertim in conviviis, multo magis ibi saltare. Sicut mater sic filia.

2 *Herodes*, inquit Evangelista *Marcus cap. 6*, libenter audiebat *Ioannem Baptistam* concionantem: Mater illa numquam intererat concionibus ejus, nec poterat illum audire, sequebatur filia matrem, utraque sine ullo spiritu Dei, totæ effusæ in vanitates.

3 *Herodes* multa bona opera faciebat de quibus audiverat *Ioannem* differentem. Mater illa, non curabat quid diceret *Ioannes*, explodebat illum sic faciebat & filia.

4 *Herodes* habebat *Ioannem* ut virum justum & sanctum, inquit Scriptura; Mater illa non poterat ferre ipsius sanctitatem, quia repugnabat illius deliciis, & indomitis passionibus. Talis erat etiam filia.

5 Mater erat crudelis, quia volebat, *Ioannem* occidere, idem volebat filia.

6 Cum *Herodes* isti filiæ dixisset: Pete quod vis, & dabo tibi: Statim accurrit ad matrem, & dicit: Quid petam? at illa: Pete, inquit, caput *Ioannis Baptistæ*: Quod mater impia volebat, volebat æque impia filia.

Denique nihil erat ista matre audacius, hanc audaciam implet & filia: Hæc enim mox reversa ad locum convivii in præsentia tot principum, & nobilium virorum totius *Galilee*, ausa est dicere *Herodi*: Volo: Quis ille modus alloquendi regem? Volo? Quid vis? Volo ut protinus, & quidem protinus? Quid tandem vis? Volo ut protinus des mihi in disco caput *Ioannis Baptistæ*: In disco? Quis unquam vidit caput humanum in disco? Vide quanta audacia & crudelitas; loquebatur, sicut à matre didicerat.

In hoc exemplo clare patet verum esse quod ait *Juvenalis* Poeta: Mater non alios mores tradet filiæ, quam quos ipsa met habet, & ita fit, inquit, *S. Vincentius Serm. de Nativ. B. V.* Mater Venalis docet ut fit filia talis.

Dien.

Denique sive in bono, sive in malo, qualis radix tales rami, quales parentes, tales filii: At, inquiet aliquis, videmus filios probos malorum parentum, & contra piorum parentum filios malos. *Saul* malus erat, & habuit *Jonatham* filium valde probum, *Achas* pessimus erat, & ipsius filius *Ezechias*, pius ac religiosus. E contra *Noë* vir justus erat & *Cham* ejus filius, improbus, *Isaac* erat sanctissimus vir, & filius ejus *Esau* homo ferox, Pessimus erat *Core*, & tamen filii ejus, non sunt secuti exempla patris.

Verum est: Sed propterea dicit Scriptura: Grande miraculum factum est quod filii *Core* non fuerint secuti malum exemplum patris, quia passim contrarium fit, quod autem fit contra commune & ordinarium cursum ut filii non sequantur exempla parentum, est species quædam miraculi.

Hoc est quod etiam advertit *D. Chrysostomus Hom. 2. de patient. Iob*, ubi miratur sanctitatem hujus viri; putat enim *Iobum* fuisse quintum nepotem *Esau*. Scribit autem *Paulus Hebr. cap. 12.* quod *Esau* fuerit fornicator & profanus: Dicit ergo *Chrysostomus*: Ostendit Scriptura radicem ex qua ortus est *Iob*, ut fructum admiretur. Quasi dicat: Instar miraculi est quod ex radice & arbore tam vitiosa tam sanctus & virtute præditus fructus oriretur, qualis fuit *S. Iob*.

Hinc discere possunt parentes quantum sibi cavere debeant ne dent mala exempla filiis suis, cum passim, & juxta communem cursum, filii per hæc corrumpantur, & pereant.

Ostendit olim Deus in somnio Patriarchæ *Iosepho*, solem & lunam, dicebat enim *Vidi solem & lunam*, *Jacob* pater ejus statim intelligebat per solem seipsum ut patrem familias, & per lunam uxorem suam, est etiam communis omnium interpretum opinio, non aliter posse intelligi: Est ergo Pater in familia sicut sol, mater sicut Luna: Si solem inter, & lunam quando sibi oppositi sunt, nubes aut terra interponatur, oritur Eclipsis, & hinc tenebræ in omnibus subterraneis: Quando pater & mater in familia non prælucent exemplis, tota familia versatur in tenebris: Superiores enim, inquit *Plato & Socrates* Philosophi Ethnici, magis peccant exemplo quam culpa, quia tantis obsunt quantis præsumunt ait *Bernardus Epist. 127.* Quare *Hieronymus* scribens ad *Heliodorum*, sic illum alloquitur: In te omnium oculi diriguntur: Domus tua & conversatio tua, quasi in specula, magistra est publicæ disciplinæ, quidquid

Eccc

feceris,

feceris, id sibi omnes faciendum putant.

Pergamus in historia. Jam *Core, Dahan, & Abiron*, vivi absorpti erant à terra, & ducenti quinquaginta alii ejusdem criminis rei, igne consumpti, quando *omnis multitudo filiorum Israel*, inquit Scriptura, *sequenti die murmuravit contra Moysen & Aaron, dicens: vos interfecistis populum Domini*. Cumque oriretur seditio, & tumultus cresceret: *Moyses & Aaron*, fugerunt ad tabernaculum fœderis, & operuit illud nubes, apparuit gloria Domini, & immisit ignem in populum, & percussit quatuordecim millia hominum, & septingentos; quod cum vidisset *Moyses* misit *Aaronem*, cum thuribulo & igne hausto de altari, & thure, qui stans inter vivos & mortuos, obtulit sacrificium, pro populo deprecatus est, & plaga cessavit.

## DISCURSUS VIII.

*Maria & Aaron moriuntur Moyses erigit Serpentem aneum.*

JAm quadragesimus annus erat quo filii *Israel* de *Ægypto* egressi proficiscebantur per solitudinem, quando venerunt in *Cades*, ibique, inquit Scriptura, *mortua est Maria soror Moysis, & sepulta in eodem loco*. Mortua est autem ætatis anno 130, erat enim decennio major *Moysè* fratre suo, & de illo dicitur *Deuteron cap. ult.* quod eodem anno mortuus sit cum esset 120 annorum.

Inde profecti venerunt in *montem Hor*. Vbi locutus est Dominus ad *Moysen*: *Tolle Aaron, & filium ejus cum eo, & duces eos in montem Hor, cumque nudaveris patrem veste sua, indues ea Eleazarum filium ejus, & Aaron morietur ibi*. Spoliavit ergo *Moyses Aaronem* vestibus suis, postquam illum in conspectu totius multitudinis duxisset in *montem Hor*, & induit eis *Eleazarum filium ejus*.

Quærent hic Interpretes, quare Deus præceperit *Moysi*, ut ipse vestibus *Aaronem* spoliaret, & non potius permiserit *Aaroni*, ut seipsum vestibus exueret.

Respondent: *Aaron* jam erat moriturus, ideo nolebat Deus illum occupari circa dispositionem bonorum temporalium, sed totum vacare æternis atque divinis, ut doceret innumeros homines, qui, dum moriendum est, toti occupati sunt ut de temporalibus bonis disponant, vix aut parum solliciti de æternis: Mortis tempus

Dispositio-  
nes ad felici-  
tatem mcr-  
tem.

op.

opportunitatem non est ut aliis prospiciatur, sed ut quisque sibi. Tunc enim eundem est ad aeternitatem, ergo hoc unum spectandum est ut felicem aeternitatem consequatur; quid enim tum sollicitus es de temporalibus quando omnia relinquenda sunt? Numquid ergo, inquit, me curam gerere oportet ut filiis meis post mortem prospectum sit? Quis dubitat? Sed hoc prius factum oportebat, serius est de istis disponere quando disponere debes iter tuum ad aeternitatem, ut feliciter mori. Si dicas, quod interdum aliquos audivi dicentes, videmur debere mori quando adhuc sani sumus, & condimus Testamentum. O cogitationem insanam! Ergo nullus unquam novam domum aedificet, quia multorum hominum phantasia est, quo plurimi paulo post moriantur aedificata jam domo. Salta sunt ista, & aliquis propter similes insanias differet de bonis disponere ad ultimam vitae horam quae totum hominem requirit? Omnes nempe ejus cogitationes & curas, ut viam illam ingrediatur, quam *Christus* dicit esse angustam & arctam, plenamque difficultatibus? Quis viator tale iter aggressurus non se totum impendit, ut cogitet, disponatque de mediis, quibus, quantum commodissime potest, difficultates omnes superare possit, ne dum aliis rebus intentus, iter suum non possit perficere, sed haereat in via? Quid ergo tibi cum mundo, quando cogiteris deserere mundum?

Mittebat olim Deus *Isaiam* prophetam ad *Ezechiam* regem aegrotantem ut illi suo nomine diceret: *Hec dicit Dominus Deus, precipue domui tuae: Morieris enim tu, & non vives.* Hoc audito, convertit *Ezechias* faciem suam ad parietem, & oravit Dominum, *flevitque fletu magno.*

Vide quantum à te dissentiat *Ezechias*, nam factus de morte certior, suaeque domui consulere iussus, neglecta domo, non tabelliones accersit, non acciri medicos imperat, verum expiando animo totus incumbit, oratque & lacrymatur: Nos vero quando oporteret mente à domo abducta animam curare, peccata desistere, rationes nostras subducere, condimus Testamta, signamus codicillos, salutationibus vitae halitum supremum impendimus. At *Ezechias* dicebat: *Domus mea mens mea est: Huic proinde prospiciam & precibus & lacrymis.* Non de litibus disceptandum morituro, nec de cimeliis; unæ expirantis *Margaritæ* lacrymæ sunt. De abacis, de fundis, de armentis sollicitum esse morien-

Eecce

tem

tem propudium est: ista vix sanum, & vegetum decent ludibria. Horum ergo recordatio in moriente, non tantum ludibria, sed etiam deliria sunt. Quid? morimur & supputamus? Quando ergo terrena calcabimus, si ne tum quidem ab illis divellimur cum paulo post à terra absumendi sumus?

Huc ego puto spectasse *Christum*, quando proposuit nobis parabolas, de cœna magna, iussitque invitatos mox ad illam venire, jam enim omnia esse parata. Per cœnam illam nihil aliud intelligi voluit quam cœlum, sic enim illud vocat *S. Ioannes in Apocalypsi*: *Beati inquit, qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt*. Per invitatos intelligo morientes, quia vocabantur ut statim ac sine mora venirent ad cœlum, quod fieri non potest nisi in morte. Sed quid illi? Unus incepit cogitare & agere de sua villa, alter de bobus quos emerat, tertius sollicitus erat pro uxore: Quid mirum si Deus tunc dixerit: *Nemo virorum illorum gustabit cœnam meam?*

Non ita moriuntur iusti. Patriarcha *Iacob* moriturus vocabat ad se filios suos, & *Benedixit singulos*, inquit Scriptura, *Genes cap. 49, benedictionibus propriis*: Tunc non disponit de rebus temporalibus, sed singulos benedicit, & benedicendo prophetat non quid ipse, sed quid Deus cuique sit daturus, & quidem ejusmodi bona quæ spectant ad æternitatem, quod advertit *D. Chrysostomus Hom. 66 in Gen.* Quia moriturus erat, inquit, benedictione sua firmat pueros, maximas has facultates relinquens, & divitias quæ numquam absumi possunt; procuraverat divitias filiis dum viveret, sed jam moriturus omnes temporalium bonorum curas abjecerat, ut totus vacaret æternitati ad quam properabat. Hanc unam spectabat in morte, quam inter tot temporalia bona semper præ oculis habuerat in vita.

Sic etiam mortuus est *Aaron*, adstante sibi filio *Eleazaro*, sed nihil de illo sollicitus ut Sacerdotalem illi dignitatem suam restitueret, hujus enim curam reliquerat *Moyse*, ipse vero quasi abstractus ab omnibus curis terrenis, extra omnem strepitum mundi, ac tumultus humanos, moriebatur in altissimo monte: *Illoque mortuo*, inquit Scriptura, *descendit Moyses cum Eleazaro, & omnis multitudo, quæ cum expectaret ad radicem montis, videns occubuisse Aaron, flevit super eo triginta diebus per cunctas familias suas*. Fletus autem ille non erat aliud, juxta interpretes, quam pro anima

anima ipsius orare, dare cleemosynas, jejunare, abstinere ab omni recreatione &c.

Interea præteritis illius luctus diebus, profecti sunt filii Israel de monte *Hor*, per viam quæ ducit ad mare rubrum ut circumirent terram *Edom*. Et tædere cepit populum itineris ac laboris, locutusque est contra Deum & *Moysem*, & ait. Cur eduxisti nos ex *Egypto*, ut moreremur in solitudine? deest panis, non sunt aqua, anima nostra jam nauseat super cibo isto levissimo. Quamobrem misit Deus in populum ignitos serpentes, ad quorum plagas, & mortes plurimorum, venerunt ad *Moysem*, atque dixerunt: Peccavimus, quia locuti sumus contra Dominum & te: Ora ut tollat à nobis serpentes: Oravitque *Moyse* pro populo: Et locutus est Dominus ad eum: Fac serpentem æneum, & pone eum pro signo, qui percussus aspexerit eum, vivet. Fecit ergo *Moyse* serpentem æneum, quem cum percussi aspicerent, sanabantur.

1 Serpentes qui *Israëlitas* mordebant vocantur igniti, non quod ignea essent natura vel formæ, sed quod morfu suo tantum calorem causarent in corpore, ut morfi ab eis sibi uri viderentur.

2 Jubetur *Moyse* facere serpentem æneum, & ponere eum pro signo, hoc est, supra perticam, ut omnes illum possent videre, unde sequitur ingentis magnitudinis eum fuisse, & valde alte erectum, ut per tota castra, quæ facile per sex milliaria in circuitu extendebantur, à vulneratis spectari posset.

Serpens ille in altum erectus in pertica, est *Christus* exaltatus in cruce. Sic enim ipse, met ait. *Ioan. cap. 3*: Sicut exaltavit, inquit, *Moyse* serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.

Sic etiam dicitur de Serpente: Qui percussus eum aspexerit, vivet. Passio Christi efficacis medicina, Serpens, inquit *Hadrianus* Papa 1. *Epist. 3, ad Carol. Reg.* præstabat vitam temporalem, *Christus* vitam æternam: Quicumque enim, inquit, percussus fuerit à serpentibus peccatorum, *Christum* intueantur, & habebunt sanitatem in remissionem peccatorum. Eodem modo loquitur *Chrysostomus* hoc loco: *Judei* vulnerati ab ignitis serpentibus corporeis oculis aspicientes serpentem æneum elevatum in ligno, salutem corporis consecuti sunt, *Christiani* incorporeis oculis aspicientes in *Christum* positum in cruce, omnium peccatorum remissionem consequuntur.

Quot per totam Ecclesiam grassantur igniti serpentes, scilicet

Eccc3

Con-

Concupiscentia oculorum, inquit *D. Ioannes*, concupiscentia carnis, & superbia vitæ. Ab his ferimur omnes, & pereunt plurimi, tantumque vivet qui in *Christum* cruci affixum aspexerit. Non sufficit serpentem exaltatum esse in ligno, respici debet ut sanet; *Christus*, nisi aspiciatur in cruce, non curat: Sed hoc deplorandum: Nemo non vulneratus est, & tamen quis est qui hanc vulneri medicinam quærat? Quis Domini passionem serio debiteque recogitat? noli dicere intersum concionibus de passione: Non sufficit: Siquidem non audienti, sed respicienti salus promittitur: Igitur nisi cum devotione & attentione aliquando Deum tuum aspexeris vulneratum, non sanaberis à vulneribus tuis. Quantum dedecus in deserto nullum perire exaltato in ligno serpente, & in Ecclesia plurimos non sanati suspenso in cruce Deo. Circumstant nos peccata, inquit *Paulus*, *Hebr. cap. 12*, *aspiciamus ergo in consummatorem Iesum qui sustinuit crucem. Christus* enim in cruce, si attente vel oculo aspiciatur, vel mente consideretur, omnium est medela vulnorum atque morborum spiritualium.

Accipio in testem *D. Augustinum* in *Manuali cap. 21 & 22*. Cum me pulsat, inquit, turpis aliqua cogitatio, recurro ad vulnera *Christi*: Cum me premit caro mea, recordatione vulnerum Domini mei, resurgo: Cum diabolus mihi parat insidias, fugio ad viscera misericordiæ Domini mei, & recedit à me: Si ardor libidinis moveat membra mea, recordatione vulnerum Domini nostri filii Dei extinguitur. In omnibus adversitatibus meis non inveni tam efficacem remedium quam vulnera *Christi*: Nullum tam potens est contra ardorem libidinis medicamentum, quam mors redemptoris.

Huic addo *D. Hugonem de S. Victore*, qui sic loquitur *Lib. 1 de anima Cap. 23*. Quoties, inquit, te sentis turpibus cogitationibus pulsari, & ad illicitam delectationem affici, toties ante mentis oculos pone quomodo *Christus* in cruce suffixus pro te, redemptor tuus moritur pro te.

Vis tertium testem audi *Origenem Lib. 6 in cap. 6 ad Rom.* Certum est, inquit, quia ubi mors *Christi* circumfertur, ibi non potest regnare peccatum: Est enim tanta vis crucis *Christi*, ut si ante oculos ponatur, & in mente fideliter retineatur, ita ut in ipsam mortem *Christi*, intentis oculis mentis aspiciatur, nulla concupiscentia, nulla libido, nullus furor, nulla superare possit invidia; sed continuo ad ejus præsentiam, totus peccati & carnis fugatur exercitus.

Hi tres Patres loquuntur ab experienciâ: Sed pauci hæc intelligunt & experiuntur, quia pauci *Christum* pendentem in cruce ad nostram salutem, considerant vel aspiciunt.

Videor enim mihi *Christum* de cruce ad nos audire clamantem: Ego hic summis pro te tormentis discrucior, & tu libidini vacabis? Ego hic oculos meos habeo lachrymis manantes præ amore & dolore, & tu oculos tuos oblectabis rebus obscœnis? Ego blasphemias, injuriasque atroces libens hic audio, & tu aures cantilenis ac turpibus verbis pascēs? Ego sitio, & potor aceto & felle, & tu ciborum, ac vini cupediis ad crapulam usque te ingurgitabis? Ego pedes manusque habeo infami ligno affixas, & clavis transfixas, & tu pedes ac manus, totumque corpus immerges in tuarum turpitudinum cœno? Ego spinas capite gero, & tu coronaberis? Ego totus sanguine madeo, & tu nondum usque ad sanguinem restitisti, ut vel unicam cupiditatem aut passionem frangeres?

Qui ad hæc considerationes, aspectumque *Christi* in cruce pendentis non sanetur, nec moveatur, nec dicat cum *D. Bernardo*: Deus meus pendet in patibulo, & ego voluptati operam dabo? saxeus sit oportet, vel desperatus.

Nihilominus tamen, si quis adhuc non credat considerationes istas tam esse potentes, videat ergo in exemplis quæ narrat *Petrus Pennequin de amore divino Parte 2 cap. 6*. Fuit, inquit, in regno *Neapolitano* puella nobilis, quæ jam convocatis amicis ut nuptui traderetur, paululum se turbæ subduxit, & ante crucifixum prostrata, hæc secum attentius, oculis in *Christum* coniectis, expendit. Tu amor mi, & redemptor animæ meæ, tu *Iesu* pro me tam dire cruciaris, & ego voluptati operam dabo? tu vulneribus concisus & spinis, ego auro & gemmis gravis: O quam sum dissimilis tibi, amantissime *Iesu*! nec mora, cincinnos sibi præscindit, & illis pedes Domini illigavit: Sic, progressa in medio amicorum cœtu, matrem alloquitur: Non multis, nec longè sibi sponsum quærendum, prope adesse, *Christum* ostentans, illi, inquit, meos amores, & virginitatem devovi. Ad hæc omnibus attonitis, nequidquam momentibus, ac minantibus amicis, perstitit in proposito: Visne aliquid solidius ad probandum quantæ sit potentia aspectus *Christi* pendentis in cruce, comparando ipsius tormenta nostris delitiis? Accipe aliud exemplum ejusdem auctoris. Erat *Madriti* unus è pri-  
ma-



matibus regni qui convenit Patrem nostrum *Petrum Fabri*, unum ex decem Sociis *S. Ignatii*, ut quasdam ab eo precandi formulas, & puncta pie ruminanda addisceret. Inter alia, hæc, inquit *Faber*, tecum aliquando perpende: *Christus* in summa inopia, ego in copia: *Christus* in fame & siti: Ego in exquisitis epulis; *Christus* nudus, ego pretiosè vestitus: *Christus* in doloribus, ego in deliciis: Hicce instructus abit, nec multo post ad splendidissimum convivium invitatus, dum cupedias & luxum miratur, unum ex quatuor punctis, quæ à *Fabro* didicerat, ei occurrit, scilicet: *Christus* in fame & siti, & ego in exquisitis epulis, quo ita compunctus fuit, ut in uberrimas lacrymas effusus, mensa assurgere, convivas deferere, è cubiculo se surripere, & ad solitudinem se recipere cogeretur, ut privato dolori liberius fræna laxaret.

Denique fuit matrona quædam valde nobilis in *Italia* qua: unicum habebat filium, occiditur ille à nescio quo, refertur domum mortuus, mater ad crucifixum quem in conclavi habebat, confugit, & ante illum prostrata: Tu, inquit, Domine *Iesu*, pendens in cruce ignovisti hostibus tuis, & ego non ignoscam meis: dum hæc orat, ad illam ipsam domum, nescius quo iret, confugit homicida: Ubi hoc illa intellexit è conclavi evolat ad hominem, benigne excipit, occulit domi, donec datâ occasione, liberum dimitteret.

Estne jam adhuc aliquis qui non videt verissimum esse quod audivimus SS. Patres dicentes, nullum esse efficacius remedium, nullum potentius medicamentum quam aspectus & consideratio *Christi* pendentis in cruce, ut vulnera nostra curentur, infirmitates sanentur, dolores mitigentur, peccata deleantur?

Propterea ut nos ad hoc exciret *S. Petrus* Apostolus, clamat ad nos *Epist. 1. cap. 4. Christo passio in carne, & vos eadem cogitatione armamini.* Ubi observat *S. Thomas*, *Christum* fuisse in cruce instar equitis *Cathaphracti*. Dominus inquit, armatus fuit in cruce: Habuit enim in capite quasi galeam, non de auro vel argento, sed de spinis: Habuit lorica, non de ære vel ferro, sed carnem immaculatam de Virgine sumptam: Habuit in manibus non lanceam vel gladium, sed magnos clavos manibus affixos; In pedibus quasi calcaria clavos infixos: Pro equo vero habuit ipsam crucem. Hæc arma, inquit *D. Petrus*, induite, quia ut *S. Thomas* addit: Memoria Dominicæ passionis contra insultus & tentationes diaboli munit & roborat.

DIS

## DISCURSUS IX.

*Proficiunt filii Israel per varias regiones, percipiunt reges earum:  
Historia de Balaamo Ariolo.*

Post erectum serpentem æneum, quem seruatunt, & secum tulerunt *Israelite*, sed cum multis post annis in terra promissionis inciperent ei tribuere divinos honores, *Ezechias* rex pietissimus, ut superstitionem illam tolleret, eum iussit confringi.

Itaque filii *Israel* profecti de sinibus terræ *Edom*, castrametati sunt in *Oboih*, inde abièrunt in *Teabarim*, & inde ad torrentem *Zared*, donec per alia varia loca venirent ad fines *Amorrhæorum*. Hic miserunt nuntios ad *Sehon* Regem illius gentis ut liceret sibi transire per terram illius: *Non declinabimus*, aiebant, *ad agros & vineas, non bibemus aquas ex puteis, via Regia gradiemur, donec transeamus terminos tuos.* Sed noluit hoc illis concedere.

Sed exercitu congregato, egressus est illis obviam in desertum, pugnavitque contra *Israel*, à quo percussus est, & sic possederunt *Israelite* terram ipsius, & omnes civitates illius interceperunt.

Post hæc venerunt circa *Basan*, & occurrit illis *Og* Rex terræ illius cum omni populo suo, ut contra illos pugnaret: Sed dixit Dominus ad *Moysem*: *Ne timeas eum, quia in manu tua tradidi illum, & omnem populum, ac terram illius. Percusserunt igitur & hunc cum filiis suis, inquit Scriptura, univèrsamque populum ejus usque ad internecionem, & possederunt terram illius.*

Tandem venerunt ad campestria *Moab*, ibique castrametati sunt. *Balac* Rex *Moabitarum* hoc intelligens, & sciens quomodo debellassent Reges *Amorrhæorum* & *Basan*, dixit ad seniores *Madian*, qui erant vicini ipsius: *Ita delebit hic populus omnes qui in nostris finibus commorantur, quomodo solet bos herbas usque ad radices carpere.*

Tunc, inquit Scriptura, misit nuncios ad *Balaam* filium *Beor* ariolum, ut vocarent eum, & dicerent: *Ecce egressus est populus ex Ægypto qui operuit superficiem terra, sedens contra me: Veni igitur, & maledic populo huic, quia fortior me est, novi enim quod benedictus sit cui benedixeris, & maledictus in quem maledicta congesseris.*

Erat hic *Balaam*, non *Propheta Dei*, ut putat *Eugubinus*, sicuti,  
F f f in-

inquit, erant *Sibylla* quæ tametsi gentiles, uti erat *Balaam*, erant tamen Prophetæ, obtinuerant enim, ut ait *Augustinus*, à Deo donum prophetiæ, propter meritum Virginitatis. Talis non erat *Balaam*, sed erat propheta diaboli.

Patet 1, quia vocatur *Ariolus*, quod nomen in Scriptura passim significat homines qui arte diabolicâ prædicebant futura; unde putant *Cyrillus*, *Augustinus*, & alii plures, fuisse magum.

2. Cum jam pararet se ut prædiceret, dicitur extruxisse septem aras, & sacrificium obtulisse idolo *Baal*, adeoque invocavit diabolum. Ergo fuit Magus qui dæmonem solebat consulere: Denique fuit homo impius qui habitabat in *Mesopotamia*.

Ad hunc perrexerunt Principes *Moab*, cum *Madianitis*, ferentes secum munera pro *Balaam*, & rogarunt illum ut vellet venire ad *Balaam* Regem *Moab* ut malediceret populo *Israel*. Sed cum ille more suo de nocte dæmonem sibi familiarem consulere, venit Angelus, & dixit: *Noli ire cum eis, neque maledicas populo, quia Benedictus est.* Significavit hoc *Balaam* mane Principibus *Moab*, qui reversi ad Regem suum, dixerunt: *Noluit Balaam venire nobiscum.* Misi ergo ad illum Rex plures & nobiliores qui majora ei munera darent si vellet venire: Tunc rursus apparuit illi Angelus, & dixit: *Surge, & vade cum eis, ita dumtaxat, ut quod tibi præcepero, facias.*

*Surrexit ergo Balaam*, inquit Scriptura, *mane, & strata asinâ suâ profectus est cum eis.* Cumque venisset ad viam angustam, scilicet inter duos parietes qui cingebant vineam quandam, stetit Angelus in medio viæ gladio evaginato, quem cum videret asina, & non *Balaam*, avertit se ab itinere, junxit se parieti, & attrivit pedes *Balaam*, ille iratus verberabat eam, cumque illa conideret in terram, *vehementius cadebat latera ejus.*

Interrumpamus hic tantisper filum historiæ, ut aliquod breve documentum inde eliciamus.

Irascebatur *Balaam* asinæ, ideoque verberabat eam, mirum! verberabat enim asinam quia defendebat illum contra evaginatum gladium Angeli, quæ si non restitisset, *Balaam* recta via currebat in mortem, sed ille tam cæcus erat ut nec Angelum videret, nec cogitaret à bestia suam vitam servari. Sic multi mortales plerumque ad sua commoda ita cæcutiunt, ut beneficia pro injuriis reputent, *Balaam* quidem asinam inscius verberabat: Sed quod semel *Ariolo* isti contigisse audimus, quoties hoc evenit multis, quando illi mi-

mus grati sunt iis, quorum ductu consilioque, si scirent, seruari-  
 tur & viverent; odimus illos qui sanioris consilii sunt & ablega-  
 mus à nobis, quamvis sciamus illos à nobis avertere excidium  
 animæ: Non patimur nos admoneri de observanda lege & jure  
 divino, sed in illos tonamus, & si non fustibus, linguis illos ver-  
 beramus ut stupida animalia. Hinc legum violatio, corruptio mo-  
 rum, & Regnorum familiarumque everfio.

Admoni-  
 tionum &  
 consilii im-  
 patientes.

Quoties repugnamus etiam Confessio quando non eo nos ve-  
 hit, ubi casum metuit? quoties relamamus vicario Dei, si nos ire  
 prohibeat ad occasiones ejusmodi, ubi passim cecidimus, & certa  
 mors nos adhuc manet? Quid ergo miramur si bonos consiliarios,  
 seductores putamus, quando domi non alios volumus quam pal-  
 patores?

Hoc Deus *Isaia cap. 30* exprobrabat olim *Judæis*, dicens: *Filii estis  
 nolentes audire legem Dei: Qui dicunt Prophetis, nolite aspicere nobis ea  
 quæ recta sunt. Loquimini nobis placentia: scilicet tamdiu audiendi  
 quamdiu supprefferint veritatem, & loquantur nobis placentia.*

Ergone meliores fuerint hac in parte gentiles, etiam maximi  
 Reges, quam sint multi mediocris conditionis Christiani? audite  
 quid *Daniel* dixerit *Babyloniæ Regi Balhassari*? quid putatis? quod  
 palpatores egerit, & dixerit ei placentia? audite, inquam: O Rex!  
*aliebat, appensus es in statera, & inventus es minus habens: Divisum est  
 Regnum tuum, & datum est Medis & Persis.* Audis? non tantum præ-  
 nuntiat famulus infortunium Principis, sed etiam totius Regni ca-  
 lamitatem. Quid expectas? ut verberibus excipjatur, & tantam  
 dicendi libertatem supplicio mortis luat? absit: *Tunc*, inquit *scri-  
 ptura, jubente Rege, indutus est Daniel purpurâ, & circumdata est torques  
 aurea collo ejus, & prædicatum est de eo quod haberet potestatem tertius in  
 Regno.* Obstupescis super hoc? non amabat Rex iste gentilis blan-  
 ditias, nec palpatores, sed meram veritatem: Nolebat audire pla-  
 centia quæ illum seducerent, sed quæ illum poterant emendare,  
 ideo non multavit morte Prophetam sed honorem pro veritate  
 rependit: Et nos ita veritatem odimus ut eos qui nobis repug-  
 nant ut nos servent à morte, pessimè excipiamus sicut *Balaam* ani-  
 mam suam.

Audite nunc quomodo *Saul*, etiam cum jam Deo rebellasset, ege-  
 rit cum *Samuele*, à quo non monebatur tantum, sed etiam objurga-  
 batur: *Pro eo*, inquit, *quod abjecisti Sermonem Domini, abjecit te Dominus*

*ne sis Rex.* An aliquid dici potuit ad minuendam Regis dignitatem acerbius? Quis enim illum pro Rege revereatur in posterum, quem ex Propheta, jussu numinis, intellexerat deturbatum è folio? Nihilominus tamen *Saul Samuelem* non abjicit, sed rogat ne se deserat desertum à Deo. *Peccavi, inquit, sed revertere mecum ut adorem Dominum Deum tuum.* Tantum abest ut fulminet aut in furorem actus, tonet contra *Samuelem*, ut è contrario fateatur culpam suam, & eum à se nolit discedere. *Peccavi, mane mecum: Moneat quis jam hominem in dignitate constitutum, imo etiam interdum minoris conditionis, mox exclamabit, non peccavi, discede à me, interea non videmus nos resistere Deo à quando resistimus piis monitoribus per quos Deus loquitur, sicut loquebatur angelus per asinam Balaam.*

Nam cum illam vehementius verberaret, aperuit, inquit Scriptura, *Dominus os asinae & locuta est: Quid feci tibi? Cur percutis me ecce jam tertio? respondit Balaam: Quia commeruisti & illuisti mihi, utinam haberem gladium ut te percuterem. Dixit asina: Nonne animal tuum sum, cui semper sedere consuevisti usque in presentem diem? Dic quid simile unquam fecerim tibi? at ille ait: Numquam: Et mox vidit angelum stantem in via evaginato gladio, qui dixit illi: Cur tertio verberas asinam tuam? Nisi illa declinasset à via, occidisset te, & illa viveret.*

Notandum hic 1. quod asina propriè non fuerit locuta: Loqui enim est conceptum suum verbis exprimere, asina autem non poterat habere conceptum, nec intelligere quid verba illa ore prolata significarent: Dicendum ergo quod verba illa, non à mente vel anima asinae, sed ab angelo in ore illius formabantur: Sicut etiam dæmon in paradiso locutus est *Eve* per serpentem, & formavit in gutture ejus hæc verba: *Cur precepit vobis Deus ut non comederetis de ligno?*

Notandum 2. merito *Balaam* correptum ab angelo quod sevērius asinam castigasset ac verberasset: Tantine ergo erat animal irrationale verberasse sevērius? Nequaquam: Sed voluit Deus ostendere quid debeant Domini facere respectu servorum suorum, parentes respectu filiorum suorum, superiores respectu subditorum suorum, & omnes homines respectu proximi sui. Dixit olim Deus *Indicis: Non alligabis os bovi trituranti,* quæ verba adferens *Paulus 1. Corinth. cap. 9. Numquid, inquit, de bobus cura est Deo? An propter nos hæc*

*hac scripta sunt* ? Plane, inquit, *propter nos scripta sunt*, scilicet ad nostram instructionem : Sic quod Scriptura dicat *Balaam* ab angelo correptum, imo & illi mortem intentatam, quia nimis crudelis fuerat in bestiam, propter nos scriptum est, ut disceremus non esse crudeles, nimiumque severos in homines, etiam in illos in quos aliud quod habemus imperium.

Superior enim, quisquis ille est, non potest omnia facere quæ vult, sed tantum illa quæ rationabilia sunt, uti nec ille qui non est superior, & tamen alios sibi non subjectos, irrationabiliter, & ex ira persequitur, ac deprimit, alioquin hoc Deus in illis severissime castigabit: Hinc toties Scriptura repetit: Deus vindicabit injurias pauperum, pupillo erit adjutor, viduam suscipiet, afflictos defendet &c. & ad superiores clamat Apostolus, ut memores sint se Dominum habere in cælis, quasi diceret, ille Dominus singulas castigationes quas irrationabiliter, & ex furore aut crudelitate exercuisti, adducet contra te in judicium. Patet ex dictis Angeli contra *Balaam*, cur tertio, inquit verberasti asinam tuam ? singulas ecce enumerat verberationes, & rationem exigit cur toties verberarit.

Deinde quantam curam injuste afflictorum gerat Deus, etiam in Angelo apparente *Baalamo*, videmus. Venit is è cælo acturus cum *Balaam*, & primo loco ponit curam de asina injuste percussa, primum enim quod dicebat. *cur verberas asinam tuam?* Deinde primo se videndum exhibuit asinæ, deinde *Balaam*: Hæc omnia significant quod Deus præcipuam curam afflictorum, & injuste oppressorum gerat ut illos juvet, ac consoletur, & suo tempore se ulciscatur de oppressoribus, aliosque affligentes affligat. Dabitur enim injuste oppressis in die judicii tempus & modus quo se contra oppressores defendant ut confundantur, sicuti Asina rationibus se contra *Balaam* defendendo, confundebat illum, dicens: *Cur percutis me ecce jam tertio semper tibi fideliter servivi, nec unquam tibi aliquid mali feci, ergo injuste castigor, cumque Balaam responderet, commeruisti, intervenit Angelus, & dixit: Non est ita, ego veni ut adverterer tibi, quia male fecisti, cum tibi numquam mali aliquid fecerit asina? convictus Balaam coactus fuit fateri crudelitatem suam, & præ confusione cecidit coram angelo pronus in terram: Itaque angelus asinam declaravit innocentem, & Balaam condemnavit injustitiæ.*

Ffff 3

Prop-

Propterea *D. Petrus. Epist. 2. cap. 2.* Vocat *Balaam* insipientem, dicens: *Correptionem habuit sua insania, subjugale enim & mutum animal hominis voce loquens, prohibuit Propheta insipientiam.*

Tales, inquit, sunt, qui derelinquentes viam rectam, erraverunt, sicuti *Balaam, maledictionis filii, quos Deus in diem iudicii reservavit cruciandos*, ut illis opponat eos quos injustè affixerunt, illosque convincant injustitiæ ac crudelitatis, adeoque cruciandos igne æterno.

Hæc omnia paucis verbis expressit *Sapiens Sapiens. cap. 5: Stabunt, inquit, iusti in magna constantia, adversus eos qui se angustiaverunt, & abstulerunt labores eorum*; æstimabuntur in hac vita quasi vilissimæ bestię ab iis qui illos vexabunt, sed in die iudicii apparebit illos fuisse homines ratione & intellectu præditos. Æstimabuntur quasi bestię infirmæ qui se non possent defendere: Sed in die iudicii *stabunt in magna constantia, adversus eos qui se angustiaverunt*: Hi vero, inquit *Salomon, turbabuntur timore horribili, & mirabuntur*, sicut *Balaam* quando *Asinam* audiebat loquentem, & se corripientem. Turbantur ergo tunc mali, tum propter inexpectatum eventum, tum propter correptionem factam à bonis, tum propter confusio-

nem suam.  
Sed unde tanta ista bonorum constantia in die iudicii adversus eos qui se angustiaverint, & male tractarint? Respondeo, à Deo: Sicuti enim ipse aperuit os *Asinæ* contra insipientiam *Balaami*, sic aperiet ora servorum suorum ut libere loquantur seque defendant contra crudelitatem oppressorum suorum: In hac vita cæduntur, & non possunt vel non audent loqui ex se, vel ne majorem iram incurrant dominorum suorum, si contra eos mustitent, vel ne obloquendo conscientiam maculent, vel ut patientiam exerceant, vel ne memores vilis suæ conditionis videantur insurgere in se majores. Sed veniet dies quo Deus aperiet ora ipsorum, & tunc loqui poterunt cum magna constantia, ita ut ipsorum hostes cogantur dicere cum *Balaam*, peccavimus, & exclamare, ut ait *Salomon: Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos fors illorum est.*

Sic etiam in illo die surgent Martyres contra suos tyrannos, & hi turbabuntur timore horribili: Quantus erit horror *Herodi*, quando innocentes pueri illi exprobrabunt suam crudelitatem? tunc enim loquentur, qui cum cæderentur, nondum à natura habebant facultatem loquendi: Quantus horror *Herodi Ascalonitæ*, quan-

do audiet contra se clamantem *Ioannem Baptistam* à se vinculis mancipatum, & decollatum? Quanta turbatio *Neronis*, quando audiet duos illos magnos Apostolorum principes *Petrum & Paulum* contra se insurgendo, acerrimis verbis corripientes. Hinc discimus, inquit *Chrysostomus*, *Epist. ad Cyriacum*, quod omnes qui sunt à nobis contumeliosi & injuriis affecti, tunc contra faciem nostram statuentur.

Hoc factò profecutus est *Balaam* iter suum versus *Balac* regem *Mobitarum* qui illum vocaverat ut malediceret castris *Israelis*. Ubi Rex ille intellexit eum advenire, egressus est, inquit Scriptura, in occursum ejus, dixitque ad *Balaam*: *Misi nuntios ut vocarem te, cur non statim venisti ad me? Cui ille respondit: Ecce adsum, numquid loqui poterò aliud nisi quod Deus posuerit in ore meo? Perrexerunt ergo simul, & venerunt in urbem.*

Mane autem duxit rex *Balaamum* in montem ubi erat templum Idoli *Baal*, ut inde videret extremam partem castrorum *Israel*.

Ibi extruxit *Balaam*, septem aras, & imposuit singulis unum vitulum & unum arietem ut dæmoni sacrificaret, & malediceret populo *Israel*, sed cum paululum abysset, occurrit illi angelus, & posuit verbum in ore ejus, vertitque, ut dicit *Moyse Deut. cap. 23 maledictionem ejus in benedictionem*, atque adeo invitus benedixit *Balaam* populo, quem venerat jussu regis, maledicturus; dixitque regi sibi astanti: *Quomodo maledicam, cui non maledixit Deus? quaratione detester, quem Dominus non detestatur?*

Tunc irruit, inquit Scriptura, in eum spiritus Dei, & cepit prophetando suam benedictionem his verbis: *Quam pulchra tabernacula in a Jacob, & tentoria tua Israel! ut valles nemorose, ut horti juxta fluvios irrigui, ut tabernacula quæ fixit Dominus, quasi cedri prope aquas.*

Videbat ex altissimo monte exercitum *Israeliticum* constantem multis millibus hominum jacentem in vallibus longe lateque extensis, illorum tentoria pœne innumera pulchro ordine disposita, laudavitque ejus pulchritudinem quatuor similitudinibus earum rerum quæ voluptati solent esse hominibus. Primo comparavit valli aut sylvæ plenæ arboribus quæ densis frondibus convestitæ, & pulchrè dispositæ gratam umbram dant fatigatis. 2. Hortis qui semper virent, & fructus ferunt, quod amœnis assidue fontibus irrigentur. 3. Cedro quæ stat juxta fluvium, præterlabentem, quò nihil amœnius quam ad ripam ejus, sub illius arboris umbra semper



per virentis sedere. 4. Comparat tabernaculis quæ Dominus fixit, quasi diceret, tota illa tentoriorum series quam video, ita disposita est, ut non opus humanum, sed divinum esse videatur.

Quid hoc hominis est qui tantis laudibus extollit *Israelem*? idololatra est, homo impius, magus, hostis *Israelitarum*. Quis crederet *Israelem* mago debere tua præconia? Quis crederet hominem impium, & idololatram servos Dei tot titulis speciosis potuisse cohonestare ut iis exprimendis adduceret & valles, & cedros, & hortos amœnissimos, diceretque esse opus divinum. Et ille quidem Magus si voluisset *Israelem* maledicere, quot maledicta effutisset, tot gemmas à Rege obtinuisset, noluit tamen; tanto mirabilius quod nec auro corrumpi, nec multis muneribus sibi à Rege promissis seduci potuerit ut male loqueretur de *Israele*.

Lingua  
maledica.

O probrum ac dedecus Christianorum, qui tam facile se abripi finunt ut fanda ac nefanda eruant, etiam interdum de amicis, ac probis, quando impius homo nullis muneribus adduci potuit, ut male loqueretur de hostibus suis, & idololatra de servis Dei! Non poterat discipulus Satanæ non optime loqui de iis, de quibus Deus bene dixerat, & quos benedixerat. *O quam pulchra, exclamat, tabernacula tua Jacob, & tentoria tua Israel!*

Tu vero quot tabernacula familiarum, ac tentoria probrorum virorum maledicâ linguâ tuâ aliisve modis deformare conaris? tu, inquam, Christiane, imo & tu Sacerdos Domini, qui præ cæteris debebas illos defendere ac benedicere? & adhuc post hæc invenies, qui dicant cum *Pharisæis Ioan. cap. 8. Nonne bene dicimus nos?* dicebant *Christo* quod *Samaritanus esset, & demonium haberet*. Quid? hoc sine est bene loqui de *Christo*? *Samariam* civitatem hæreticâ ac idolis servientem, imo & infernum ipsum defenditis, & adhuc jactare audetis: *Bene dicimus nos?* pessime dicitis, & eo estis scelestiores, quo vos jactatis magis innocentes: Rejectus fuit à Deo *Cham* filius *Noë* quod patrem suum, duobus fratribus suis tantum, & quidem clam, ridendum exposuisset, & tu laudi ducis quod domesticorum evulges flagitia? quid si non domesticis tantum, sed etiam externis palam evulgasses? quid denique si delictum fingeres, & nescio quam notam falso inureres illis qui virtutibus emicant?

Venerat ad tabernaculum Domini *Anna Samuelis* mater, ut oraret, lachrymisque suis deploraret suam sterilitatem, mulier plane sancta: Vidit hoc *Heli* summus Sacerdos, & remulentam pu-

putabat, dixitque ei: *Vsquequo ebria eris? digere paulisper vinum quomades.* Eloquebatur *Heli* quod iudicabat, nec filiis suis sacerdotibus hoc indicavit ne mulieri dolore oppressæ, tanquam ebriæ insultarent. Tu vero ea proloqueris, quæ vel ignoras, vel non credis, non modo detractor, sed etiam mendax: At ex multis, inquires, audivi quod dico. Quod *Heli* dicebat, viderat ut putabat, non audierat, & tamen erravit. Ergone, inquires, non possum dicere quod oculis aspexi? dicas, si bonum est, nam mala de aliis nemo nisi improbus unquam loquetur.

Columba ex arca *Noë* emissa, cum undique sordes ac foeda cadavera fluitarent, maluit inanis redire quam sordes inferre in Arcam: Sed cum altera vice emitteretur, quando jam agri incipiebant revirescere, terraque mundari, tunc ramum virentis olivæ secum tulit ad *Noë* in arcam. Disce ab ave non sordes, sed olivam proferre, ut aut conticescas, aut ea tantum proferas, quæ ad laudem serviunt aliorum, non autem famam possint denigrare: Sed quid de columba loquar? ille ipse corvus, qui etiam emissus ex arca est, maluit numquam reverti, quam sordes inferre in arcam, foris mansit ne arcam conspurcasset. Et hoc plenum dedecoris, id à te non impetrare rationem humanam, quod Natura docuit corvum.

Si quis dicat, levissima sunt quæ dixi de viro non pessimo, & ego ajo, nihil tanges tam parvum quod viri etiam maximi lædere famam non possit, vis exemplum? audi quod dicat Scriptura *Lib. 2 Reg. cap. 15.* Volebat *Absalon* filius *Davidis* *Iudeorum* sibi animos devincire ut patrem de throno ejiceret, & ipse regnaret: Quid egit? stabat quotidie ad fores palatii, omnesque eo advenientes pro negotiis suis blando vultu excipiebat, petebatque quid haberent negotii? iisque auditis, dicebat: *Videntur mihi sermones tui boni ac iusti, sed non est qui te audiat, constitutus à rege.* Quasi diceret: Pater meus rex ita distinetur aliis regni negotiis ut accedentem ad se populum non admittat: Non caret urbs princeps, sed audire: Non attrahit sibi quid inter se de villis vel agris disputent villici, bellis implicitus: Noctu psallit, interdum pugnat: Non certat cum olitoribus aut rusticis, sed cum gigantibus. Ipse vos liberavit à *Philistinis*, nolite ergo conquiri quod tam raro sedeat pro tribunali ut lites expediat: Fateor vobis deesse in rege iudicem, sed ducem & militem habetis

Gggg

betis

betis in rege : Ecce inter tot laudes unum est quod *Absalon* carpit, tarditatem scilicet patris sui in iudicando : *Non est qui te audiat constitutus à rege : Faciebatque hoc omni Israeli, & sollicitabat corda filiorum Israel.* Vis iam videre quantam tempestatem res non admodum magna de  *Davide* tanto viro, ac sanctissimo dicta, etiam cum laudaretur, excitavit tantum, ut omnes tribus filiorum  *Israel*, foedissimam proditione defecerint, dicit enim Scriptura : *Venit nuntius ad David, dicens: Toto corde universus Israel sequitur Absalon.* Quid ille dixerat de patre? tantum mullitarat aliquid de negligentia ipsius in audiendis minoris conditionis hominibus, hoc satis fuit ut totius regni rebellionem illum pœne obrueret. Ideo ait *David servis suis: Surgite, fugiamus, neque enim erit nobis effugium à facie Absalon: Festinate egredi.* Fugit ergo  *David* cum suis ex aula, egreditur  *Ierosolymam* quasi vagabundus in montes, in via lapidibus impetitur, & maledicuntur à  *Semei* : Unde ergo hæc tanta tempestatem ex uno illo dicto  *Absalonis*: *Nemo est constitutus à rege qui te audiat: Tantum incendium potuit excitare una scintilla ex ore Absalonis emissa contra maximum virum, quantum ergo excitabit si contra alium flammam emittas: Noli ergo dicere, parva sunt quæ dixi, nihil pro minimo debet haberi quod famam lædere possit, quia minima etiam maximum virum prosternere possunt.*

Quapropter peiores sunt qui famam alterius lædunt quam  *Balaamus*,  *Magus*, & impius homo, qui etiam hostes suos benedicebat, & servos Dei laudabat, cum haberet fortia incitamenta ut illis malediceret.

Tunc profequitur suum discursum, & ait : *Deus eduxit Israel de Aegypto cuius fortitudo similis est Rhinoceroti: Devorabunt gentes hostes illius, ossaque eorum confrangent, & perforabunt sagittis: Accubans dormivit ut Leo, & quasi leona, quam suscitare nullus audebit: Qui benedixerit tibi, erit & ipse benedictus, qui maledixerit, in maledictione reprobabitur.*

Hic incipit Prophetice loqui Deo instigante. Dicit, filios  *Israel* superaturos omnes inimicos suos, & Reges eorum: est enim, inquit, tanta fortitudine, & ferax ac pugnax instar Leonis quem nemo audebit excitare à somno, dum quiescet in terra promissionis, talis fuit tempore *avidis* &  *Salomonis*.

Tunc, inquit Scriptura, iratus est Rex contra  *Balaam*, & dixit : *Ad maledicendum inimicis meis vocavi te, quibus è contrario benedixisti: Respondit Balaam: Nonne nuntiis tuis quos misisti ad me, dixi: Si dede-*

rit mihi Balac plenam domum suam argenti & auri, non potero praterire Sermonem Domini Dei mei, sed quidquid Dominus dixerit, hoc loquar. Perrexit ergo Balaam in suo discursu, & incipit prophetare de adventu Messiae, ut ostendat felicitatem filiorum Israel ex quibus ille nascetur: Orietur, inquit, stella ex Jacob, & surget virga de Israel.

Hæc de Christi adventu in terram intelligi debere patet ex textu Chaldaeo, sic enim hæc verba interpretatur: *Consurget Rex de domo Jacob, & ungetur Christus de domo Israel, & dominabitur omnium filiorum hominum: Christus vero vocatur à Balaam, & stella, & Virga, stella quia ipse fuit lux mundi, ut dicitur Apoc. cap. 21, fuit stella matutina, quia sicuti ista stella, solem præcedendo, finis est noctis & principium diei, sic Christus noctem ac tenebras infidelitatis fugavit, & attulit lumen ac diem veritatis.*

Dicitur etiam *Virga*, quod *Hebraice* significat sceptrum, quia futurus erat Rex, & supremus totius orbis Monarcha.

Tunc exclamat Balaam: Heu! quis victurus est, quando ista faciet Deus? quibus verbis significat hoc futurum extremis mundi temporibus. Tunc etiam, inquit, *Venient de Italia*, hoc est, *Romani*, qui totam *Judeorum* gentem disperdent, & *vastabunt Hebræos*, quod contigit sub *Romanis* Imperatoribus *Tito & Vespasiano*, quadraginta annis post mortem Christi.

## DISCURSUS X.

*Filii Moab seducunt filios Israel ad fornicationem & idololatriam.*

**N**arravimus quomodo Balaam benedixit castra filiorum Israel, invito & irato Rege Moabitarum Balaco. Hoc facto rediit Rex in urbem suam, & Balaam in patriam suam: Priusquam tamen abiret, pessimum Regi consilium dedit. Audiamus *Philonem Iudæum* loquentem *lib. 1. de vita Moysis*: Sciebat, inquit, Balaam, Hebræos per solum legum contemptum expugnabiles: Conatus est ergo illos ad libidinem, ac impietatis scelus pertrahere, & dixit Regi: Mulierum pulcherrimas si permiseris ob quæstum vulgare sua corpora, hoc hamo capietur juvenus hostium.

*Origenes* vero hoc loco, sic eum facit loquentem: *Vifne, inquit, ô Rex, superare Israelitas? non virtute militum, sed mulierum decôr epugnandum est: Nec armatorum vigore, sed mollicie femi-*

G g g g 2

narum.

narum. Procul amove armatorum manum, & electam collige speciem puellarum: Forma vincit armatos, ferrum pulchritudo captivat: Vincuntur specie, qui non vincuntur praelio. Ita *Origenes*.

Quod autem *Balaam* hoc impium consilium dederit Regi, patet etiam ex Scriptura: Hoc enim 1 dicit *Moses Numer. cap. 31. Nonne*, inquit, *mulieres Moab, deceperunt filios Israel per suggestionem Balaam*: 2 hoc significat *D. Ioannes Apoc. cap. 2*, ubi scribit ad Episcopum *Pergami*, & ait: *Habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balaam mittere scandalum coram filiis Israel, edere, & fornicari.*

Quid aliud expectes ab homine impio quam consilium impium, præsertim quando penetrarunt aulas Regum & Principum? Alioquin etiam ubique tales reperiuntur qui scelera suadeant modo possint obtinere quod volunt. Unde illud *Virgilii* in proverbium abiit: *Flectere si nequeo superos, Acheronta movebo.*

Potestne aliquid manifestius in hanc rem adduci quam exemplum *Saulis*? *Deus*, inquit 1 *Reg. cap. 28 recessit à me, & exaudire me noluit*: Quid ergo factu opus? pete à tuis principibus, & audi quid tibi consilii dabunt: Quid aiunt: *Dixerunt*, inquit Scriptura, *servi Saul ad eum: Est mulier pythone[m] habens in Endor*: Ego, inquit *Saul*, *vadam ad eam*. & addit Scriptura; *Abiit ipse, & duo viri cum eo, veneruntque ad mulierem nocte*: Quid ibi facturus? auxilium postulaturus per sagam à dæmone.

Quid vis clarius? non poterat suis orationibus Deum flectere ut illi opem ferret, ergo movet infernum ut hoc consequatur: Nihil interest quo modo, modò fiat: unde tanta impietas? à consiliariis malis, impiis, ac politicis, qui dixerant illi: *Est mulier pythone[m] habens in Endor*: Tam parum curabant illi homines quo modo Rex evaderet, ut etiam dæmonem consulendum putarent.

Quam pudendum etiam fuit quod *lib. 2, Reg. cap. 16* consilium dedit *Achitophel Absaloni*: *Ingrederere*, inquebat, *ad concubinas patris tui*: Quare hoc? quare vult *Achitophel* ut *Absalon* tantum crimen committat? *Absalon* affectabat imperium: quid inde? non poterat aliter obtinere imperium nisi peccaret cum uxoribus Patris sui? sic impie iudicabat *Achitophel*: *Ingrederere*, inquit, *ad concubinas Patris tui, & cum audierit omnis Israel quod sedaveris Patrem tuum, roborabuntur tecum manus eorum.*

An quia *Deus* non favebat, evocanduserat dæmon luxuriæ turpissimæ? Sed hoc maxime mirum quod addit Scriptura, nempe:

Conf:

Consilium autem Achitophel quod dabat in diebus illis, quasi si quis consuleret Deum. Et quem pudeat atrocita quæque committere, quando pro Deo habetur qui tam immania scelera vel agit, vel consulit?

Non minores absurditates videbimus si ingrediamur *Aegyptum*, & illic videamus quid principes egerint in aula *Pharaonis*. Venerat in *Aegyptum* *Abraham* Patriarcha cum uxore sua *Sara* valde formosa, & ait Scriptura *Genes. cap. 12*: *Viderunt Aegyptii mulierem quod esset pulchra nimis*: Non noverant illam, quia peregrina erat, nesciebant quæ esset aut qualis, sat erat vidisse quod esset formosa. Accurrunt ergo illi statim ad regem, & nuntiaverunt ei, talem faminam advenisse: Nihil præterea? nihil: Ingridiantur ad *Pharaonem*: Arbitri removentur, rogantur sententiæ, Rex audit, disse-runt principes, quis non crederet in tali Senatus-consulto ubi rex & principes adsunt, agi vel de scribendis militibus, armisque expediendis, de urbibus muniendis, de finibus regni tuendis, vel saltem de vestigalibus plebi imponendis, ac colligenda pecunia? Nihil minus: Disserunt de formosa muliere quam viderant intrantem *Aegyptum*: Super hac una re agitantur consilia: Et quis tandem exitus? audi Scripturam: *Sublata est*, inquit, *mulier in domum Pharaonis*, & sistitur *Pharaoni*, vi rapta à viro suo, ut serviat ejus libidini. Nondum vides quo vergant consilia impiorum ac politicorum, præsertim in aulis?

Denique quid poterat probrosius fingi quam quod contigit in aula *Davidis* sanctissimi regis? habebat is filium nomine *Amnonem*, primogenitum suum. De hoc dicit Scriptura *lib. 2. Reg. cap. 13*: *Factum est ut sororem speciosissimam, nomine Thamar, adamaret Amnon, filius David, ita ut propter amorem ejus agrotaret, sed difficile ei videbatur ut quippiam inhonestè ageret cum ea*. Quid ergo facto opus? Habebat amicum nomine *Ionadab* unum è primoribus regni, qui dixit ad eum: *Quare sic attenuaris Macie fili regis per singulos dies? Cur non indicas mihi?* Respondit *Amnon*: *Thamar sororem fratris mei Absalon amo*. Audite impietatem pessimi consiliarii *Ionadab*: *Cuba* inquit, *super lectum tuum, & languorem simula, cumque venerit pater tuus ut visitet te, dic ei: Veniat, oro Thamar soror mea, ut det mihi cibum, & faciat pulmentum, ut comedam de manu ejus*. Omnia contingere pro-ut *Ionadab* consuluerat. Misit *David* *Thamarem* ad *Amnonem*, paravit illa cibum pro fratre, & cum ille jussisset exesse omnes qui erant

in cubiculo, intulit *Thamar* quod coxerat, cumque jam sua manu ministrare pararet, apprehendit eam *Amnon*, & deprecantem ac reluctantem, oppressit. Deus bone! Quot & quanta mala ex uno malo consilio. Frater peccat cum sorore: Post peccatum statim eicit illam e cubiculo, jubetque ostium claudi, illa sedet pro foribus lacrymis suffusa, & misere lamentans, tantum non desperabunda, donec in domo *Absalon* fratris sui contabesceret præ dolore. Ipse *Amnon* paulo post propter crimen, crudelissimè trucidatur ab *Absalone* in convivio, jam temulentus. Sic dominantur passim in aulis consiliiarii impii ac politici.

Nec desunt tales consiliiarii etiam extra aulas, qui alios vel ad malum impellere, vel à bono absterere conantur. Plures invenies in uno *Petro* Apostolo: Ibat *Christus Ierosolyman* cum duodecim suis Apostolis, & inter eundem dixit illis: *Ecce ascendimus Ierosolyman, & filius hominis tradetur gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur, & occidetur: Petrus* hoc audiens, accessit propius, & ait: *Abstine à te Domine, non eris tibi hoc.* Sed *Christus* conversus ad eum, dixit: *Vade post me, Satana, scandalum es mihi, non scis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum.* Audin? non dicit *Christus* *Petrum* similem esse diabolo, sed diabolum. *Vade post Satana*, quia volebat illi persuadere, & consulere ut non iret *Ierosolyman* ne pateretur & occideretur: Quamvis *Petrus* fores, si alium consiliis tuis abstrahere vis à cruce, dæmonium es.

Abierat *Christus* in solitudinem soli victurus Deo extra omnem hominum tumultum, ibi rigide jejunabat, cubabat in nuda humo, vel capite reclinato in saxum: Quis illum inde abstrahurus accessit: diabolus, qui volebat ut ex lapidibus conficeret panes. Hoc proprium diaboli est. Quotquot ergo liberis suis pietati deditos, levitatis ofores, modestiæ amantes, suadere conantur ut sese liberius effundant in desideria sæcularia ac vanitates, diaboli sunt, quotquot eos avertere conantur à cruce vitæ spiritualis, impedire ne crucem *Christi* amplectantur, diaboli sunt. Quotquot innocentes seducunt, diaboli sunt, quia officio, quod diabolo proprium est, funguntur. Quid ergo mirum si cum diabolo locum habeant in inferno?

Nota est historia quam narrat *D. Hieronymus* *Epist. 7. ad Latam.* Erat *Roma* nobilis quædam matrona, nomine *Prætextata*, cujus nepotis erat *Eustochium* Virgo, quæ mutaverat habitum, & ornamenta  
mu.





omnes nationes & tot ab illo beneficiis præventus? Pharaon tot o-  
neribus & flagris illòs à vero Dei cultu abducere fategerat, num-  
quam potuit: Et ecce jam illos provolutos antè idola videmus:  
Quis hoc potuit? mulieres Moabitides: Vocaverunt illos ad sacrificia  
sua, & ipsi adoraverunt Deos earum: Flagellis & igne contra illos certa-  
verat Pharaon, istæ non verberibus, sed blandioribus verbis illos  
aggressæ sunt. Ergo potentiora fuere verba mulierum lenocinan-  
tium, quam flagra, compedès, carceres, quandoquidem illis resti-  
terit Israel in *Egypto*, qui jam verbis succumbit in *Setim*. Vocaverunt  
eos & ipsi adoraverunt Deos earum. Nullus hic timor, nullæ minæ,  
nulla etiam spes: Quid enim timerent à feminis viri? quid pote-  
rant sperare victores à debellatis mulierculis? nihil: Sed illæ ani-  
mos illorum suâ pulchritudine, & ornatu, & lenociniis corrupe-  
rant, inde secuta est fornicatio, & denique ex fornicatione & lu-  
xuria, idololatria: *Fornicatus est populus*, inquit Scriptura, *cum filia-  
bus Moab*: Quid inde? Vocaverunt eos ad sacrificia sua: Numquid ad  
hoc horruit Israel? nonne erat Dei populus, qui ob erectum olim vi-  
tulum recordabatur ad triginta illorum millia interfecta? & non  
tremuerunt cum audirent se vocari à mulierculis ad sacrificia ido-  
lorum? nihil prorsus: Statim post fornicationem comederunt de  
cibus idolo oblati: Et mox adoraverunt Deos earum: Et ne crederes  
paucorum fuisse tam atrox flagitium, & semel tantum, aut brevi  
tempore ante idola procubuisse, *initiatu est*, inquit Scriptura, *Is-  
rael Beelphegor*.

O vitiorum voraginem! eo devenit Israel post luxuriam, ut non  
solum interfuerint sacrificiis Moabitidum, quod solum illæ expetie-  
rant, verum comederunt cum illis cibos à Deo prohibitos, & ado-  
raverunt Deos earum, & tanto cum affectu ac pertinaciâ adhæsere  
idolo ut avelli ab eo non possent, magistrique fierent atque aucto-  
res novarum superstitionum; ut ait David *Psal. 105*. *Irritaverunt  
Deum in adinventionibus suis, & multiplicata est in eis ruina*.

Stupenda sunt ista, inquiet aliquis: Audi plura. Post fornicatio-  
nem non paulatim seducti sunt, primum in hortos, deinde in lu-  
cos, tum in domos, ut demum, quasi datâ occasione in templa  
idolorum eos feminae invitarent, non sacrificaturos, sed specta-  
turos dumtaxat, non sacrificia, sed aras, & statuas, cæterumque  
templi ornatum, vestesque mystarum. Nihil horum: Nulla invo-  
lucra, non paulatim deducuntur ad scelera, sed pleno impetu sta-  
tim

tim eo currunt. Clara est Scriptura: *Fornicatus est populus cum filiabus Moab: Quae vocaverunt eos ad sacrificia sua, at illi comederunt, & adoraverunt Deos earum: Quid planius? quid compendiosius dici potest? Illi fornicantur, mulieres vocant, illi adorant, non coacti, non invitati, non reluctantes, non tristes, sed epulantur hilariter, & eo animo mox adorant: In ore dapes, & thura in manu: Moabitides enim à fornicariis se impetraturas speraverant idololatriam, & quod speraverant impetrarunt sine illis ambagibus, & sine mora.*

Non tulit Deus diutius tam enorme flagitium, locus est ergo ad Moysen iratus; ei que imperavit ut diceret iudicibus Israel: *Occidat unusquisque proximos suos qui initiati sunt Beelphegor. Quid egisse putatis impudicitiam audita hac mortis sententia? an palluit? an ingemuit? an ejulavit? an inducias postulavit, ut scelus expiare posset? audite, & obstupescite. Et ecce, inquit Scriptura, unus de filiis Israel, intravit coram fratribus suis ad scortum Madianitidem, vidente Moysse, & omni turba filiorum Israel, qui flebant ante fores tabernaculi.*

O impudentiam plusquam palmarem! O flagitium vix universis inferni suppliciiis satis plectendum! O cupiditatem ne tunc quidem finiendam, cum jam lata mortis sententia vita finienda est! Spectante omni populo, vidente Moysse, imminente toti populo supplicio, flente turba, unus filiorum Israel mancipium impuritatis, lupanar subiit, ut innocentiam tunc maxime violaret, cum jam miserrimè erat jugulandus: Quid ergo luxuria non aget inter delicias, si lascivit in morte? quid non aget nullo spectante, quæ vidente ipso Moysse, & omni populo ad meretricem abit ut peccet? Hinc patet, quod, si semel arserit cupiditas, ne ipsa quidem morte extinguitur.

Merito hoc scelus tam indigne tulit Phinees filius Eleazari filii Aaron Sacerdotis, ut arrepto pugione, inquit Scriptura, *ingressus sit post virum Israelitem, in lupanar, & ambos simul virum scilicet ac mulierem perfoderit, & interfecerit.*

Quo facto, inquit Scriptura, *cessavit plaga à filiis Israel: Jam enim occisi erant viginti quatuor millia hominum, & dixit Deus ad Moysen: Phinees filius Eleazari, filii Aaron Sacerdotis, avertit iram meam à filiis Israel, quia zelo meo commotus est contra eos. Quare dic ei: Erit tam ipsi quam semini ejus pactum Sacerdotii sempiternum, quia zelatus est pro Deo suo, & expiavit scelus filiorum Israel.* Hoc est quod ait David Psal.

105. Stetit Phinees, &amp; placavit, &amp; cessavit quassatio.

Hic videre potestis quam gratum Deo fuerit illud opus, ut dicat se propterea placatum, pœnasque suspendisse ne reliquos omnes *Israelitas* disperderet, & promittat *Phinees* in familia ejus semper mansurum summum Sacerdotium, quia sicut Deus nullum vitium magis abominatur quam luxuriam præsertim tam impudentem, sic nihil illi gratius est, quam si plectatur.

Præterea, erat ille *Israëlitæ* qui peccabat, *Zambri filius Salu*, inquit Scriptura, dux de cognatione & tribu *Simconis*. Porro mulier *Madianitis*, vocabatur *Cozbi filia Sur*, principis nobilissimi *Madianitarum*. Et vir princeps erat, & mulier, uterque ex nobilissimo genere gentis suæ. Tanto enormius, quod illi peccarent tam impudenter cum deberent aliis præluere bono exemplo.

Idcirco mandavit *Moyse* Deus particulariter, dicens: Tolle cunctos principes populi, & suspende illos contra Solem in patibulis.

Non omnes quidem (quia certum est plures fuisse viros sanctos, ut *Phinees*, qui non peccaverant) sed eos qui peccaverant vel fornicando cum cæteris, vel dissimulando cum fornicariis, cum deberent illos vel acriter objugare vel castigare: Illos voluit Deus particulari supplicio affici, & suspendi in patibulis, idque contra solem, hoc est, pleno die, in publica via, in conspectu omnium hominum, ad terrorem.

Ubi *Origenes Hom, 20 in Numer.* sic ait: Populus peccat, & principes suspenduntur contra solem; Vides quæ sit conditio principum populi, non solum pro propriis plectuntur delictis, sed & pro populi peccatis coguntur reddere rationem. Hæc si cogitarent homines, numquam ambirent populi principatum: Sufficit mihi pro meis propriis argui delictis, quid mihi necesse est, etiam pro peccatis populi castigari? ita *Origenes*.

Ratio clara est: Quia principes, idem est de omnibus aliis superioribus, vel dissimulant cum subditorum peccatis, vel præeunt illis malo exemplo: Si dissimulant, sunt causa cur amplius peccent, si præeunt, alios ad peccata trahunt, peccata enim Superiorum multos habent imitatores.

## DISCURSUS XI.

Iosue designatur Successor Moysis. Prædicat Deus mortem Moysi.  
Moyses moritur.

POSTquam noxiorum sanguis effusus est, inquit Scriptura, dixit Dominus ad Moysen, & Eleazarum filium Aaron Sacerdotem: Numerate omnem summam filiorum Israel à viginti annis & supra, per domos & cognationes suas, cunctos qui possunt ad bella procedere. Et inventa fuerunt sexcenta millia, & mille septingenti triginta. Inter quos nullus fuit eorum qui ante numerati fuerant à Moysse & Aaron in deserto Sinai: Prædixerat enim Dominus quod omnes morerentur in solitudine: Nullusque remansit ex eis nisi Caleb, filius Iephone, & Iosue filius Nun.

Hoc facto apparuit Deus Moysi & dixit: Ascende in montem Abarim, & contemplantur inde terram quam daturus sum filiis Israel, cumque videris eam, ibis & tu ad populum tuum sicut iovit frater tuus Aaron, quia non credidistis mihi quando debebatis virga percutere petram ut inde fluere aquæ, sed dubitastis an hoc possetis facere, dicentes coram omni populo: Numquid ex hac petra poterimus aquam elicere? cum tamen hoc vobis imperassem, ac promississem me vobis adfuturum.

Optaverat sapius, & oraverat Deum Moyses ut posset cum cæteris intrare terram promissionis, ejusque voluptatibus frui, sed frustra fuit: Nam cum Deum urgeret, iratus ille noluit illum exaudire, sed dixit: Nequaquam ultra loquaris de hac re ad me: Non fiet, quia peccasti, sufficiat tibi quod terram istam videas de longe ex monte Abarim.

Rogo ergo te, inquit Moyses, ò Deus spirituum omnis carnis ut provideas hominem qui sit super multitudinem hanc, & meo loco populum istum deducat, & regat, ne sit populus Domini sicut oves absque Pastore.

Dixitque Dominus ad eum: Tolle Iosue filium Nun, virum in quo est spiritus. Hoc est, prudentia, pietas, fortitudo, cæteræque virtutes tali Principi necessariae.

Statuit ergo Moyses Iosue coram Eleazaro Sacerdote, & omni multitudine populi, & imposuit manus capiti ejus, in signum potestatis quam illi dabat ex parte Dei.

Sed priusquam Moyses moreretur, voluit Deus ut castigaret Madiani-

*dianitas*, quia ipsi per filias suas, ut audivimus, seduxerant filios *Israel* ad fornicationem & idololatriam: Missa sunt ergo duodecim millia pugnatorum duce *Eleazaro* Sacerdote, qui occiderunt omnes mares *Madianitas*, & Reges eorum; & *Balaam* magum, qui prima causa fuerat peccati filiorum *Israel*, interfecerunt gladio, Mulieres vero eorum & parvulos ceperunt, omniaque pecora, & jumenta, urbes, & viculos, & castella incenderunt. Reverfique sunt ad *Moyfen* cum præda, qui cum vidisset captivas mulieres, cur, inquit, feminas reservastis? nonne ista sunt quæ deceperunt filios *Israel* ad suggestionem *Balaam*? ergo omnes interficite, puellas autem, & omnes feminas virgines servate vobis.

1. Jam currebat quadragesimus annus quo filii *Israel* profecti fuerant per deserta, & pervenerant ad terminos solitudinis usque ad *Jordanem*, & aliud nihil restabat nisi ut fluvium illum transirent, qui desertum dividebat à terra promissionis. Pervenerant autem eò, per quadraginta duas mansiones quibus castrametati fuerunt: Et hic finis profectiois illorum per solitudines.

Operæ pretium erit audire speculationes *S. Hieronymi* quibus ostendit illas 42 mansiones per quas *Hebræi* tetenderunt in terram promissionis, significare 42 vias per quas fideles tendunt in cælum, adeoque totam illorum iter aliud nihil fuisse quam meram figuram peregrinationis nostræ in solitudine hujus mundi ad patriam cælestem. Longum esset omnes singillatim recensere, aliquas eaque præcipuas seligemus.

Primus locus ubi *Hebræi* egressi *Ægypto* figebant tentoria, erat *Ramesse*; hoc est, inquit *Hieronymus*, tonitru gaudii, & significat Apostolos aliosque viros Apostolicos prædicantes ac tonantes, quo conversi sunt ad *Christum* infideles & impii, & egressi ex *Ægypto* infidelitatis suæ & peccatorum, & ideo totus mundus gavisus est.

2. Manserunt filii *Israel* in *Socoth*, hoc est dicere *Tabernacula*, & significat nos in hac vita peregrinos esse, & quasi continuo habitare in tentoriis quæ de loco transferuntur ad alium: Quia, ut ait *Paulus*: Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus.

Tertius locus erat *Etham*, hoc *Hebræice* significat fortitudinem, quia fortiter in hac vita, omnia ardua, & adversa superanda sunt.

Quartus locus erat *Phihahiroth* quod significat *Os nobile*, debemus enim os habere tam nobile ac generosum, ut Deum vel maxime inter miseras, calamitates, ac difficultates hujus vitæ laudemus.

5. Locus erat *Mara*, hoc significat *amaritudinem*, ubi inveniebant aquas amaras, quia debemus & amaris lacrymis & amaro animo deslere nostra peccata.

6. Locus erat *Elim* quod significat *arietes*, quos Deus sibi volebat offerri ut præcipua sacrificia in holocaustum, & nos debemus quotidie Sacrificia Deo offerre præcipue nostrorum sensuum ac Passionum quæ nos impetunt quasi cornibus suis ut arietes.

7. Locus erat ad *Mare rubrum*, per quod filii *Israel* sicco pede transibant, & liberabantur à *Pharaone* illos insequente; sic & nos in hoc mundo transire oportet per multas tribulationes in Regnum à quibus liberamur per sanguinem *Christi*, & à diabolo qui nos ubique persequitur.

8. Locus erat desertum *Sin*, hoc significat *Odium*, quia oportet nos odium multorum incurere, præsertim dum virtuti nos damus, qui enim, inquit *Paulus*, *pie volunt vivere in Christo, persecutionem patientur.*

9. Locus erat *Daphca* hoc est, *pulsatio*: Pulsare enim nos oportet per orationem, juxta illud quod ait *Christus*: *Pulsate & aperietur vobis.*

Postea venerunt in *Raphidim*, quod significat *dissolutionem fortium*, ibi enim ceciderunt, & disperferunt *Amalecitas*: Quia totis viribus nos pugnare oportet contra diabolum, ut illum superemus, & frangamus fortitudinem ejus.

Hinc venerunt ad montem *Sinai*, quod *rubum* significat, in quo Deus apparuit *Moyse* eumque solatus est, ut ostenderet non esse nobis despondendum animum, dum per spinas hujus mundi incedimus, fore enim ut nobis non desint divina solatia.

Postquam autem pertransissent *Haseroth*, *Rethma*, *Remmon*, *Pharæes*, & *Lebna*, pervenerunt in *Reffa*, quod significat *frænum*, nisi enim peccatoribus injiciatur frænum timoris Domini, & pœnarum inferni, currunt sicut effrænes & indomiti equi ad omne genus iniquitatis.

Deinde venerunt in *Methca*, hoc est, *dulcedo*, illa videlicet de qua *David* ait *Psa. 30. Quam magna multitudo dulcedinis tue Domine, quam abscondisti timentibus te!* & illa quam experimur in cælesti illo cibo corporis *Christi*, de quo dicit *Salomon*, quod *habeat omne delectamentum suavitatis.*

Inde abierunt in *Hesmona*, hoc est, *festinatio*: Quia non debemus

H h h 3

hic

hic hærere in via, ut oblectemus nos sæculi vanitatibus ac voluptatibus, sed festinandum & currendum est, inquit *Paulus*, *festinamus ingredi in istam requiem, sic currite ut comprehendatis*, ne tarde progredientes, & serius venientes portas cæli claufas inveniamus.

Venerunt etiam in *Selmona*, quod significat *sanctitatem*, vel *umbram*, quia sancti esse debemus in hac vita, & omnia quæ sunt in mundo non pluris facere quam umbram. Hinc toties clamat Scriptura: *Sancti estote*, quia *nihil coinquinatum intrabit in regnum celorum*, & apud *Salomonem* clamant mundi amatores, cum jam essent in inferno: *Transferunt hæc omnia tanquam umbra*.

Denique ne longiori super hoc discursu vos detineam, concludo tractatum hunc in librum *Numerorum*, cum morte *Moyfis*, quæ narratur in libro *Deuteronomii cap. ultimo*.

Jam *Moyfes* cum omni populo venerat ad montem *Abarim*, qui alio etiam nomine vocatur *Nebo*, non longe diffitus à *Jordane*, unde conspici poterat terra promissionis.

Dixit illi Deus: ascende in montem istum, ibi enim morieris. Et ascendit, *Moyfes*, inquit Scriptura, *supra montem Nebo*, in verticem *Phasga*, contra *Iericho*: Ostenditque ei Dominus omnem terram: & summa cum animi voluptate, & oculorum oblectamento, intuebatur *Moyfes*, subjectas amœnissimas valles & montes, & agros foecundos, uberrimas vineas, civitates munitas. Denique, uti sapius illi dixerat Deus, *terram quasi lacte & melle manantem*: Dixitque Deus: *Hæc est terra pro qua juravi, Abraham, Isaac, & Jacob, dicens: Semini tuo dabo eam: Vidisti eam oculis tuis, sed non intrabis ad illam*.

Hic petit *Petrus Cellense* lib. de panibus cap. 12: Nolebas, inquit, Domine, illum introducere in terram illam desiderabilem, quare ergo ostendebas quod non dabas? quasi enim pucro porrigis pomum, & retrahis manum: Non tam fortiter doleret, si non videret, crescit enim aviditas ex visione: Tormenti genus est amare, & non posse potiri.

Ad hoc ego respondeo: Voluit Deus illi ostendere ubertatem, pulchritudinem, fecunditatem, & amœnitatem terræ promissionis in mundo, ut jam abituro ad terram promissionis in altera vita, accenderet desiderium illius, & cogitaret: Si tanta est pulchritudo regionis terrestris, quanta erit pulchritudo regionis cælestis!

Nam

Nam ut recte ait *D. Gregorius Hom. 37 in Euang.* Si consideremus quæ & qualia sunt quæ nobis promittuntur in cælis, vilescunt animo omnia quæ habentur in terris: Numquid hoc expertus est *S. Ignatius*, quando cælum aspiciens, clamabat: *Quam sordet mihi terra dum cælum aspicio?* temporalis enim vita, inquit *Gregorius*, æternæ vitæ comparata, mors est potius dicenda quam vita: Ipse enim quotidianus defectus corruptionis quid est aliud quam quædam prolixitas mortis? quæ autem lingua dicere, vel quis intellectus capere sufficit illa supernæ civitatis quanta sint gaudia, ad hæc audita inardescit animus, jamque illic cupit assistere, ubi se spe:at sine fine gaudere.

Sic volebat Deus *Moyse*s animum per conspectum terræ promissionis, accendere ad desiderium cæli.

Sed quare noluit illum istam terram intrare? dicens: *Vidisti illam oculis tuis, sed non transibis ad illam.*

Respondeo quod Deus hoc fecerit in pœnam peccati quod commiserat *Moyse*s, quando illi mandatum erat ut eliceret aquam de petra: Hanc rationem ipse-met Deus dixerat *Moyse*. Tu, inquit, & *Aaron*, frater tuus prævaricati estis contra me in medio filiorum *Israel*, quando dixistis ad illos: *Num de petra hac vobis aquam poterimus ejicere*, dubitantes de potentia mea? idcirco non intrabis terram promissionis, sed morieris in monte *Nebo*, sicut & frater tuus mortuus est in monte *Hor*.

Ergone, inquit, tam graviter *Moyse*s dubitando peccaverat? Nequaquam: Sed constat ex Scripturis, Deum amicos suos graviter non semel punivisse ob leves errores: Audiamus *Hieronymum ep.* 8. Invenimus, inquit, Dei amicos, ob unius contemptus errorem, bonorum retrofactorum munificentiam perdidisse. Sic *Adam* cum diabolo facile credidit seducenti, post familiaritatem & colloquium Dei, unius pomi cupiditate superatus, perdidit paradisum. Uxor *Loth*, post angelorum obsequia, quia, contra interdictum retro respiciens in figmentum salis repente mutata est: Infelicissimus *Judas*, post electionis meritum, post signorum gloriam, post Apostolicam dignitatem, exiguæ stipis amore deceptus, cui tribunal promittebatur in cælis, laqueo captus fuit in terra. Videmus *Ananiam & Sapphiram*, non de alienæ pecuniæ appetitu, sed de sua timide erogata, morte punitos. Soror *Moyse*s, *Maria*, mulier magna, & quæ capax erat multa regna regendi, propter unum verbum

mus-



murmurationis à capite ad calcem lepra perfunditur. Sic ergo *Moy-  
ses & Aaron*, magni Dei amici, quibus tot favores præstiterat Deus,  
quos toties exaudiebat, propter unum peccatum, quod juxta opi-  
nionem multorum non erat nisi veniale, & tam parvum ut vix dis-  
cerni posset ubi lateret ejus malitia, privati fuerunt terræ promissio-  
nis tam diu expetitæ deliciis. Ex quo concludit *Hieronymus*, si  
Deus sic agit cum amicis suis propter unum leve peccatum, quid  
faciet cum inimicis suis qui quotidie multa graviora peccata com-  
mittunt?

Jam *Moy-  
ses* ascenderat montem *Nebo*, & ut refert *Iosephus* *Histo-  
ricus lib. 4. Antiquit. cap. ultim.* secuti illum fuerant *Senatus, Pontifex  
Eleazarus, & Imperator Iosue*, cumque post mutuos amplexus, *Elee-  
zaro ac Iosue* ultimum valediceret, inter loquendum repentina nu-  
be circumdatus, in vallem quandam est ablatus: In sacris autem  
voluminibus scripsit se mortuum, veritus ne propter excellentem  
ejus virtutem, à Deo raptum prædicarent.

Fabula hæc *Judaica* est quam *Iosephus*, confinxit. Quales etiam  
plures Christiani Scriptores de morte ejus finxere.

Quidam enim putarunt illum necdum esse mortuum, sed tran-  
slatum, ut redeat in fine mundi cum *Elia & Enoch* contra Antichri-  
stum. Alii vero putarunt illum esse mortuum, sed statim resurre-  
xisse, & vivere in paradiso. Alii mortuum esse affirmant, sed resur-  
rexisse in *Christi* transfiguratione quando supra montem *Thabor*,  
apparebat ad latus *Christi* ex una parte, cum *Elia* ex altera.

Fabulæ, quæ paucis verbis refutat ipsa Scriptura, cum dicit:  
*Mortuus est Moy-  
ses servus Domini*, supra montem *Nebo*, in terra *Moab*,  
& sepelivit eum Deus: Ecce, non tantum mortuus dicitur, sed etiam  
sepultus, de resurrectione vero ipsius ne verbum quidem in tota  
Scriptura.

Expendamus singula verba: *Mortuus est Moy-  
ses servus Domini, ju-  
bente Domino, mortuus est.* Mors illa, somnus fuit, talis enim est  
mors justorum: In vita vigilant, & laborant, in morte dormiunt:  
Sic dicebat *Christus Ioan. cap. 11: Lazarus amicus noster dormit*: Ego  
amicus *Christi*, dum moritur, dormit, in die judicii à somno  
excitabitur corpus dormiens; ideo dicebat *Christus: Vado ut  
Lazarum à somno excitem.* Sic etiam de *S. Stephano* dicitur: *Obdormi-  
vit in Domino.*

Propterea etiam mors justorum à Scriptura, quies vocatur: Sic  
enim

enim ait *Ioannes Apocalyp. cap. 13. Amodo jam dicit spiritus ut requiescant à laboribus suis, opera enim illorum sequuntur illos.* Postquam multos magnosque labores subiverint pro Deo in hac vita, plurima passi fuerint, à morte quiescunt: Et tanto magis quiescunt, quod videant sua bona opera illos sequètia, tunc enim securi sunt quando vident se ne minimum quid perdidisse ex laboribus suis. Contrariū fit in peccatoribus: Sic enim ait *Augustinus Lib. Quinquag. Homiliar. Hom. 42 cap. 8. Homines id propter quod peccant, hic dimittunt, sed ipsa peccata secum portant. Quæ & qualis quies potest esse illis hominibus quos peccata comitantur ad æternitatē, tot enim comites videt, quot commiserit peccata quibus hostes Dei effecti sunt. Peccas ergo propter pecuniam, hic dimittenda est: Peccas propter voluptates, hic dimittendæ sunt, sed ipsa peccata tecum portabis.*

Ideo *D. Ambrosius Lib. de bono Mort. cap. 8,* sicuti mortem justorum vocat portum quietis, ita mortem impiorum vocat naufragium, sicuti enim in naufragio omnia amittuntur, quæ vectores magno labore comparaverant: Sic in morte omnia relinquuntur quæ homo moriens multo sudore collegerat. Justi vero metent in morte quæ in hac vita seminarunt, seminarunt, inquit *David,* in lachrymis, in laboribus, in vigiliis, jejuniis, sed in morte portabunt manipulos operum suorum in humeris suis cum lætitia, & vehent illos in horrea cæli, sic mortuus est *Moses.*

2. Addit Scriptura: Mortuus est *servus Domini:* Memini ne semel rem hanc attigisse sed breviter, jã paulo latius hoc explanabo. Titulus ergo sepulchri *Moysis* legislatoris & ducis *Hebræorum* non alius fuit quam *servus Domini,* illis titulis longe nobilior, quos sepulchris antiquorum mortalium superbia inscribit, incredibili ambitionis portento. Quis enim crederet nationē hominum inter cineres superbiã spargere, ac ferere, feris nepotibus nasciturã. Vivit in sepulchris ambitio. Hinc ampli illi tituli: Hinc tantus dignitatum catalogus, hinc honorū insignia mortuorum lapidibus insculpta, ut vel in tumulo non mortalitatē, sed fastum haurire cogamur, qui sepulchra curiosius intuemur: Itane vero? ultra arenam cineremq; mortis vitæ furit ambitio nec ipso vitæ confinio coërceri valet insania vanitatis? Quam nobilior inscriptio illa sepulchri *Moysis: Mortuus est Moyses servus Domini!* Poterant & splendida nomina insculpi lapidi ejus sepulchrali: Potuisset inscribi: Mortuus est *Moyses, Deus Pharaonis, dux populi, Salvator Hebræorum, legislator tribuum, Dei interpres:*

Poterat inscribi bifariam ab eo pelagus dispartitum, familiariter & facie ad faciem egisse cum Deo inter ignes & nubes, & tonitrua montis *Sinai*, devictos reges, aquas è petra extractas, æneum vitulum contritum, serpentem æneum erectum, & innumera alia; sed hisce omnibus prætermisiss, maluerunt Dei servū dicere quam Deum *Pharaonis*. Et jure quidem optimo; nam reliquorum nominum pompa, si cum titulo Servi Domini conferantur evanescit, penitusque dissolvitur. Hinc fit, ut, quia titulum illum multorum sepulchris inscribere non possumus, inania nomina mutuemur à superbia mundi, quæ mortuos magis arguunt vanitatis, quam à virtute commendant. Optandum foret ut omnibus sepulchris insculpi posset: *Mortuus est*, vel, hic jacet sepultus, *servus Domini*. Verum, ut ait *Ambrosius*, non omnes speciosissimum illum titulum usurpare possunt, nec dicere Deo cum  *Davide*: *Servus tuus ego sum*. Ille hoc tantum potest, qui Deo servit, & in Domino moritur, sicut mortuus est *Moses*. Non debet scribi servus Dei in morte, qui in Domino non moritur. Solus ille titulus *Servus Domini*, pluris valet, quam omnia illa magna & vana nomina mundi: *Gaudete*, inquit *Christus* Apostolis, *quia nomina vestra scripta sunt in cælis*; quæ nomina? forte, ducis, vel regis, vel principis, vel consulis, vel nobilis, vel divitis? ista nomina, inquit *David*, in terra scribuntur, in cælis nulla alia nomina nota sunt nisi Apostoli, Martyris, Virginis, Confessoris, Denique sancti, & servi Dei: Ergo qui nomen illud meretur, omnia habet reliqua enim insignia, titulosque universos mors demetit sua falce, in hunc vero titulū, *Servus Domini*, potestatem non habet, ideoque post mortem etiam remanet, & mortuum sequitur, scribendus in cælis, & merito etiam in lapide sepulchrali, quia qui tota vita *Servus Domini* vixit, etiam manet post mortem, qui vero vixit princeps vel rex, vel dives, vel aliis dignitatibus auctus, omnia ista deponit in morte, ideoque non aliud inscribi potest illorum monumētis, quam fuit dives, fuit princeps, fuit ex tali profapia: Fuisse nihil est, ergo omnia ista vana sunt nomina quia jã periēre in morte, *Servus* autē *Domini* hoc manet in æternū.

3. Dicit Scriptura de morte *Mosis*: *Mortuus est jubente Domino*: Ergo ex obedientia, sanus erat & vegetus, non agrotabat, nulla erant prævia mortis signa, solo Dei jussu mortuus est. Arduum erat imperium illud, ante faciem, & in conspectu terræ lacte & melle manantis mortuum, qui populum eo usque deduxerat ex

*Egypto*.

*Agypto*, quodque difficilius morte est, mori ut reum in poenam incredulitatis. Quare plus miror *Moysem* lato ac lubenti animo mortuum, quamvis excluderetur terrâ promissionis, quam tanta cum gloria liberantem populum ex *Agypto*: Sic mori, sic obedire Domino, titulum servi Dei meretur.

Omnes quidem homines moriuntur jubente Domino, ipse enim, inquit *Ioannes* in *Apocalypsi* habet claves vitæ & mortis, nemo ergo ex hoc carcere corporis solvitur, nisi ipse aperiat, sed non omnes moriuntur ex obedientia sicut *Moyſes*, non omnes tam prompto animo, nec tam hilari vultu sicut ille, sed plurimi reluctantur imperio ac voluntati divinæ. Hic exclamat cum *Agag* rege *Amalecitarum*: Siccine separas amara mors? Ille ut, inquit *Salomon*, exclamat: O mors quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis! Ille clamat cum rege *Ezechia*: Sic repente precipitas me vix incipio vivere, & debeo mori? Ille tam affixus est bonis terrenis ut non possit avelli; iste dolet quod infecta cogatur relinquere sua negotia quæ jam disposuerat: Omnes ergo morimur jubente Domino, sed non omnes tam libenter ut *Moyſes*, ideo non omnes merentur gloriosum illud nomen *Servi Domini*: Servus enim Dei semper paratus omni Dei imperio, ac voluntati obtemperare, sive illum velit vivere sive mori: Sive enim, inquit *Paulus*, Deo vivimus, sive morimur, morimur Deo.

Scriptura prosequitur: Deus, inquit, sepelivit *Moysem* in valle terra *Moab*, & non cognovit homo sepulchrum ejus usque in presentem diem.

Hinc patet quod sicut *S. Catharina* corpus sepultum fuerit manibus angelorum in monte *Sinai*, sic etiam corpus *Moyſis* in valle *Moab*. Confirmat hoc *S. Thaddæus* Apostolus, in Epistola sua, dicens: Cum *Michael* Archangelus cum diabolo disputans, altercassetur de *Moyſi* corpore, non est ausus judicium inferre blasphemia; sed dixit: Imperet tibi Dominus.

Quæ verba *Oecumenius* sic exponit: Dicitur *Michael* ministerium præbuisse in sepeliendo *Moyſe*, id non ferebat diabolus, sed accusationem adferebat *Moyſen* indignum esse sepultura, eo quod occidisset *Agyptium*, cumque sepelisset in sabulo, & propterea non permittebat ut honorificam consequeretur sepulturam, cum autem in hac controversia *Michael* haberet occasionem ut diabolo malediceret propter ejus impudentiam, non id fecit, sed i danum in

eum intulit: Imperet tibi Deus. Atque ita *Michael*, cum aliis angelis *Moyſis* corpus, nemine hominum præſente, ſepelivit.

Propterea addit Scriptura: *Non cognovit homo ſepulchrum ejus uſque in præſentem diem.*

Rationes adferunt Patres: 1. *S. Epiphanius Heretiſi* 9. Decebat, inquit, in honorem tanti viri, ut non ab hominibus, ſed ab angelis ſepeliretur loco hominibus incognito.

2. *D. Auguſtinus lib. 1. de mirabilib. Scriptur. cap. 36*: Occultavit, inquit, Deus ſepulchrum *Moyſis*, ne populus *Iſrael*, ſi cognoviſſet ubi eſſet ſepultus, eum adoraret velut aliquid divinum, utpote ducem & legiſlatorem ſuum qui tot mirabilia fecerat, & tam familiariter egiſſet toties cum Deo. Erant enim tunc *Judei* valde proclives ad idololatriam, nam poſtea etiam ſerpentem æneum quem *Moyſes* erexerat, adoravere, & paulo ante adoraverant Deos *Moabitarum*.

Et hanc puto præcipuam cauſam fuiſſe altercationis *Michaelis* Archangeli cum diabolo, quod diabolus vellet corpus & ſepulchrum *Moyſis* notum eſſe *Judeis*; *Michael* vero nollebat, ne daretur illis occaſio idololatriæ.

Sic & *S. Antonius*, ut *Athanaſius* refert, moriturus diſcipulis ſuis mandavit, dicens: Nullus ad *Aegyptum* meas ferat reliquias, ne vano corpus honore fervetur, & vani ritus circa me exhibeantur. Hujus enim gratia maxime huc ſum reſſus, ut nemo præter vos locum tumuli mei noverit. Confido in Domino, quia neceſſario reſurrectionis tempore hoc corpusculum reſurget incorruptum. Diſcipuli ergo involutum, ut præceperat, corpus humo operuerunt, & nemo interim uſque ad hunc diem, præter eos, novit ubi conditum ſit. Ita *Athanaſius*.

Exiſtimat Nihilominus tamen *Cajetanus hoc loco*, quod ſicut *Joſue*, *Eleazarus*, etiam alii principes cum *Moyſe* aſcenderunt in montem *Nebo*, ejusque morti interfuere. Ita illis ſpectantibus corpus deſuncti *Moyſis* per aerem ab angelis vectum in valem *Moab*, ſed determinatum vallis locum in quo illum ſepeliebant, non potuiſſe diſcernere, nec certo notare.

Hinc progreditur Scriptura ut narret quam vegetus eſſet *Moyſes*, in extrema ſenectute; erat enim 120 annorum cum moreretur. *Non caligavit*, inquit, *oculus ejus, nec dentes illius moti ſunt.*

*Dies annorum noſtrorum*, inquit *David Pſalm. 89, Septuaginta anni,*

si autem in potentatibus, octoginta anni, & amplius eorum labor & dolor. Moyses vero cum esset 120 annorum, quod tanquam mirum narrat Scriptura, tam robustus ac vegetus erat, ut nec oculi ejus caligarent, nec unum dentem, quod in senibus minoris ætatis rarum est, amisisset. Unde putamus tantum illi vigorem, & vires in tantâ senectute fuisse?

Censet *Abulensis* provenisse ex familiaritate, & pœne quotidiana præsentia Dei, & quia moratus & collocutus fuerat cum Deo bis per quadraginta dies in monte *Sinai*; quantas autem inde vires hauriret, patet ex eo quod toto illo tempore nihil comederit, nec biberit sola Dei præsentia sustentatus. Sic Deus variis Scripturæ locis promittit multos annos, & longitudinem vitæ servientibus sibi.

Sic *D. Hieronymus Epist. 21, ad Paulum Concordiensem*, putat hoc donum Dei in sanctissimo quodam fene provenisse ex assidua meditatione futuræ beatitudinis, sic enim loquitur: Ecce, inquit, jam centenus ætatis circulus volvitur, & tu semper præcepta Domini servans futuræ beatitudinem vitæ per præsentia exempla meditaris. Oculi puro lumine vigent, pedes imprimunt certa vestigia, auditus penetrabilis, dentes candidi, vox sonora, corpus solidum & succi plenum: Non memoriæ tenacitatem, ut in plerisque cernimus, antiquior senectâ dissolvit, non contractam rugis faciem arata frons exasperat: Non denique tremula manus per curvos ceræ tramites errantem stylum ducit. Futuræ nobis resurrectionis virorem in te Dominus ostendit, ut peccati sciamus esse, quod cæteri adhuc viventes præmoriuntur adhuc in carne; ultitiq; quod tu adolescentiam in extrema ætate mentiris.

Hoc ipsum videtur velle probare Scriptura, cum ait senio-rem *Tobiam* mortuum esse in ætate centum duorum annorum: Laudat ætatem, ut extollat ejus virtutes. & ejus eleemosynas: Quotidie enim, inquit Scriptura, pergebat per omnem cognationem suam, & consolabatur eos, dividebatque unicuique, prout poterat, de facultatibus suis. Ad- eoque, inquit *Ecclesiasticus cap. 29*, conclude eleemosynam in corde paupe- ris, & hæc pro te exorabit ab omni malo: Super scutum potentis, & lanceam, adversus inimicum tuum pugnabit.

2 Ejus magnanimitatem in adversis: Dicit enim Scriptura: Non est contristatus contra Deum quod plaga cecitatis evenerit ei, sed

*immobilis in Dei timore permansit, agens gratias Deo omnibus diebus vite sue. Nihil autem est quod magis abbreviet vitam hominis quam tristitia: Multos, inquit Ecclesiasticus cap. 30, occidit tristitia.*

3 Scriptura vult ostendere quod *Tobias*, tamdiu vixerit, quia effectus ad summam felicitatem, nulla ratione passus sit se à recto virtutis tramite retrahi propter temporalia bona, cum plerumque soleant homines in statu florenti non proficere, sed deficere, genioque indulgere, atque ita vires suas debilitare: Sic, inquit, *Seneca Epist. 39*, Segetem nimia sternit ubertas, sic rami onere franguntur, ita poma cum maturrima sunt, putrescunt, flores cum plenissimi, marcescunt: Sol cum in meridie altissimus est, statim ad occasum declinat: Ita quoque, inquit *Seneca*, animis evenit quos immoderata felicitas rumpit.

4 Meminit Scriptura longioris vitæ *Tobie*, quod semper tam sobrius vixerit. *Qui enim sobrius est, inquit Ecclesiasticus, adjiciet vitam.* In hanc rem facit quod narrat *Serrarius noster cap. 14. in Josue*: Cum, inquit, ante annos quatuor vel quinque venissem ad Cœnobium *Senonense*, vocavit ad se ejus loci Abbas à pago longius distante, rusticum quendam supra centum annos natum, venit ille pedes, & adhibitus convivio, ubi vidit tantam ciborum copiam, cœpit aliquid inter dentes suos mussitare. Abbas hoc audiens, rogavit eum quid diceret, & an aliquid ei deesset? Respondit senex, hoc est quod dico: Si tantam talemque mensam semper habuissem, tamdiu non vixissem. Volebat dicere quod tamdiu vixerim sobrietati meæ adscribo. Omnia hæc paucis verbis complectitur *David Psalm. 90: Quoniam, inquit, in me speravisti, & cognovisti nomen meum, longitudine dierum replebo eum.*

Morimur  
omnes.

Denique mortuus est *Moyse*: Et nos omnes morimur, & quod hic dicitur de *Moyse*, hoc aliquando de nobis omnibus dicitur, mortuus est: *Statutum enim est, inquit Apostolus Paulus Hebr. cap. 9, omnibus hominibus semel mori*, & hæc sententia à Deo lata, est irrevocabilis, & immutabilis, sicut mors ipsa est irreparabilis; idcirco comparat illam Scriptura *lib. 2. Reg. cap. 14*, aquis quæ labuntur in terram, & non revertuntur: Duo sunt quæ numquam reparari possunt, virginitas amissa, & vita. Virginitas tamen si cadat, etiam si amplius stare non possit, potest tamen, rigide postea castitatem servando eo usque adrepere ut virginibus comparetur, sicut *Magdalena* illis comparatur à Patribus, sed mors ubi semel vitam eripuit

puir, hominemque misit ad æternitatem. finis est comædiæ, cortynæ deponuntur, theatrum solvitur, omnis apparatus aufertur, in æternum non restituendus. In quovis certamine restaurari, & reparari victoria potest, in congressu cum morte, numquam.

Cæteræ omnes arbores si vulnerentur possunt restitui, sola cypressus, si putetur, pro semper arefcit: Ita hominis vita, si recidatur, numquam regerminat. Ideo vociferabatur *Iob* cum luctu *Cap. 10*, inquit: *Dimitte ergo me ut plangam paululum dolorem meum antequam vadam, & non revertar ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine.* Grandis terror uno jactu de alea æternitatis agere: Neque solum propterea mors formidanda, quod semel tantum hominem superet, & numquam ille vires suas posset resumere ut iterum pugnet, sed quia improvisa advenit, nec ullam ætatem, nec locum, nec conditionem revererur.

Hinc *Jeremias*, sic lamentatur *Cap. 9*. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum? & plorabo die ac nocte interfectos populi mei.* Et quare tantus luctus ob mortuos? Quia, inquit, *ascendit mors per fenestras nostras:* Hoc deplorandum quod mors non per ostium, sed per fenestras irrumpat. Quod intrat per ostium apertum in domum tuam hoc omnibus facile patet, quod vero per fenestras furtive, in domo est antequam scias: Hoc ergo tantopere deplorandum *Jeremias* putat, quod mors tam furtive veniat ut videre non possis, nisi quando jam irruit in corpus tuum, & in te imparatum. Quis igitur non reformidet, quando agitur de clade animæ quæ numquam restitui potest? Vivendum ergo sicut mori optamus: Mortuus est *Moyfis, servus Dei*, quia talis fuerat in vita, quisquis igitur vult talis esse in morte ut *Moyfes*, sit talis in vita, Amen. FIAT FIAT.

FINIS.

INDEX



# INDEX

## MATERIARUM MORALIUM

*Prima littera P. Partem, secunda D. Discursum, numerus, Folium indicat.*

### A

<b>A</b> dmonitionum & consiliorum impatientes	Parte 5. Disc. 9. F. 595
<i>Adversitas ad Deum compellit.</i>	P. 1. D. 17. F. 112
<i>Adversitas inducit notitiam peccatorum.</i>	P. 1. D. 18. F. 117
<i>Adversitas facit amorem Dei crescere</i>	P. 4. D. 5. F. 441
<i>Adversitas consolationum causa.</i>	P. 5. D. 5. F. 564
<i>Adulterium, ejusque malitia</i>	P. 1. D. 8. F. 48
<i>Amor Dei &amp; mundi sibi adversantur</i>	P. 2. D. 8. F. 260
<i>Amor Dei saepe flaccescit, &amp; extinguitur in sanctis</i>	P. 4. D. 5. F. 437
<i>Amor Dei laboriosus est</i>	P. 5. D. 5. F. 570
<i>Amor omnia vincit</i>	P. 1. D. 7. F. 6
<i>Amor parentum erga omnes liberos debet esse aequalis</i>	P. 1. D. 9. F. 378
<i>Arbitrius convictus</i>	P. 4. D. 8. F. 455
<i>Avaritia sordes</i>	P. 1. D. 9. F. 56. 58
<i>Adulatores.</i>	

### B

<b>B</b> eneficia Dei saepe hominem deteriolem reddunt.	P. 5. D. 1. F. 531
---	--------------------

### C

<b>C</b> eli gaudia animos addunt	P. 3. D. 7. F. 396
<i>Cogitationes mala principia multorum malorum</i>	P. 1. D. 4. F. 21
<i>Colloquia prava.</i>	P. 5. D. 5. F. 556
<i>Compassio</i>	P. 1. D. 11. F. 68
<i>Concordia fratrum</i>	P. 1. D. 18. F. 114
<i>Consiliarii adhibendi, sed ante omnia Deus</i>	P. 1. D. 9. F. 4
<i>Consiliarii impii</i>	P. 5. D. 10. F. 604
<i>Consilium &amp; aequitas</i>	P. 1. D. 14. F. 91
<i>Conscientia remorsus</i>	P. 1. D. 20. F. 128
<i>Constancia Iosephi in adulterio repudiando</i>	P. 1. D. 8. F. 46
<i>Convivia licent, sed honesta</i>	P. 1. D. 20. F. 137

## Index Materiarum Moralium.

Contemplationes stulta  
 Confessione praeveniendus Deus  
 Confessionis institutio  
 Confessio vera & mala P. 4. D. 6. F. 443 & seqq.

P. 4. D. 5. F. 439  
 P. 3. D. 8. F. 372  
 P. 4. D. 6. F. 443  
 P. 3. D. 7. F. 336

### D

**D**ei auxilium quando nulla spes superest  
 Deum habere sicut magna felicitas  
 Dei misericordia.  
 Deus refugium nostrum  
 Detrahitio  
 Dilectio inimicorum  
 Dispositiones ad felicem mortem  
 Distractiones in oratione  
 Divitiarum contemptus.

D. 2. D. 4. F. 232  
 P. 1. D. 7. F. 41  
 P. 1. D. 24. F. 158  
 P. 1. D. 24. F. 155  
 P. 5. D. 4. F. 558  
 P. 1. D. 3. F. 16. & 146  
 P. 5. D. 8. F. 586  
 P. 2. D. 13. F. 194  
 P. 1. D. 16. F. 98

### E

**E**cclēstia persecuciones  
 Elēmosyna  
 Educatio liberorum  
 Eucharistia virtus  
 Eucharistia confertur cum MANNA  
 Excusationes in peccatis  
 Exempla Majorum.  
 Erubescētia in colendo Deo.

P. 2. D. 2. F. 222  
 P. 2. D. 6. F. 241  
 P. 1. D. 10. F. 63  
 P. 1. D. 30. F. 196  
 P. 3. D. 4. F. 350  
 P. 4. D. 6. F. 445  
 P. 2. D. 1. F. 214  
 P. 4. D. 12. F. 480

### F

**F**emina non vagentur  
 Felicitas hominem dēmentat  
 Felicitas dependet à minimo  
 Felicitas non agnoscit pauperes parentes  
 Felicitas noxia  
 Festi dies sancti celebrandi  
 Fiducia in Deum  
 Fiducia in Deum  
 Filii immorigeri  
 Filiorum educatio  
 Filii passim sequantur exempla parentum.

P. 2. D. 17. F. 324  
 P. 1. D. 13. F. 81  
 P. 1. D. 12. F. 70  
 P. 1. D. 23. F. 150  
 P. 1. D. 30. F. 198  
 P. 5. D. 6. F. 573  
 P. 5. D. 3. F. 546  
 P. 1. D. 30. F. 201  
 P. 1. D. 7. F. 40  
 P. 1. D. 11. F. 63  
 P. 5. D. 7. F. 582

kkk

GATN

Index Materiaram Moralium.

**G** Arrulitas qua divulgantur secreta familia. P. 1. D. 9. F. 36

**H**  
**H**ypocritis P. 4. D. 7. F. 450  
 Hypocritarum superbia P. 4. D. 7. F. 453  
 Hæreticorum inconstantia P. 1. D. 19. F. 192  
 Homo solus inter omnes creaturas adversatur Deo. P. 2. D. 14. F. 395

**I**  
**I**magines turpes P. 2. D. 12. F. 284  
 Inconstantia hominis in bono P. 4. D. 14. F. 490  
 Ingratitudo quam turpu P. 1. D. 2. F. 217  
 Invidia, ejusque descriptio P. 4. D. 12. F. 478  
 Invidia P. 1. D. 3. F. 9  
 Iudicia humana non curanda. P. 5. D. 5. F. 568

**L**  
**L**abores hominum vani P. 4. D. 16. F. 13, & 505  
 Laborandum pro celo Ibidem F. 506  
 Lachrymarum vis P. 4. D. 17. F. 515  
 Latari in malo, impium P. 1. D. 5. F. 31  
 Libri inhonesti P. 2. D. 12. F. 286  
 Libri detestandi qui non agnoscunt parentes P. 1. D. 23. F. 110  
 Lingua detractoria P. 2. D. 11. F. 293  
 Lingua maledica Ibidem & P. 1. D. 9  
 Lingua mala omnia bona versit in malum P. 3. D. 11. F. 306  
 Luctus, ejusque diversitates, & quanam lugenda sint P. 4. D. 17. F. 510  
 Luctus tantum à natura datus ad deslenda peccata Ibidem.  
 Luxuria & fornicatio P. 4. D. 13. F. 483  
 Luxuria remedium, fuga P. 1. D. 8, & 9. F. 52  
 Luxuria causa idololatriæ P. 5. D. 10. F. 607

Index Materiarum Moralium

M

**M**achiaveli doctrina impia  
 Mansuetudo ejusque descriptio  
 Mariti solentur uxores afflictas  
 Mendacium ejusque malitia  
 Miracula signa vera religionis  
 Misericordia Dei  
 Misericordia erga afflictos  
 Mors felix  
 Mors debitis dispositionibus praevenienda  
 Mortis memoria omnium victorum medicina  
 Mortificationes  
 Mors servorum Dei pretiosa  
 Morimur omnes  
 Mundi bona non satiant.  
 Munerum acceptatio

P.2. D.10. F.279  
 P.4. D.15. F.499  
 P.1. D.12. F.74  
 P.1. D.19. F.121  
 P.2. D.13. F.289  
 P.1. D.24  
 P.2. D.5. F.242  
 P.1. D.31. F.207  
 P.1. D.27. F.172  
 P.4. D.2. F.415  
 P.1. D.3. F.421  
 P.5. D.11. F.616  
 Ibidem.  
 P.1. D.16. F.102  
 P.1. D.20. F.125

N

**N**egligentia in frequentanda communione

P.5. D.2. F.542

O

**O**bedientia liberorum  
 Obstinatio hominis in obediendo Deo  
 Occasiones peccandi fugienda  
 Orationes superandus diabolus  
 Operari oportet velociter

P.1. D.1. F.20  
 P.2. D.14. F.305  
 P.2. D.13. F.198  
 P.3. D.6. F.360  
 P.4. D.19. F.525

P

**P**arentes dent exempla filiis  
 Parentes non facile credant qua deservuntur  
 Parentes ac Superiores luunt peccata subditorum  
 Parentes ac Superiores praecant subditis  
 Parentes non possunt offerre Deo liberos defectuosos  
 Parentes curam liberorum gerant.

P.2. D.16. F.309  
 P.1. D.11. F.393  
 Ibidem F.398  
 Ibidem F.403  
 P.4. D.1. F.109  
 P.5. D.2. F.139

Kkkk 2

Passio

## Index Materiarum Moralium.

<i>Passio Christi efficax medicina</i>	P. 5. D. 8. F. 589
<i>Patientia via ad calum</i>	P. 1. D. 5. F. 28
<i>Patientia</i>	P. 1. D. 24. F. 86
<i>Pax vera iustorum, falsa peccatorum</i>	P. 4. D. 18. F. 522, 523
<i>Pax cum Deo, &amp; proximo in quo consistat</i>	Ibidem.
<i>Peccata latere non possunt, etiam in hac vita</i>	P. 1. D. 6. F. 36
<i>Peccatores obstinati</i>	P. 1. D. 23. F. 152, & 175
<i>Peccatoris conversio</i>	P. 2. D. 15. F. 312
<i>Peccatores recenter conversi quomodo se gerant</i>	P. 3. D. 1. F. 331
<i>Peccator praeveniat Deum, consuetudo</i>	P. 3. D. 8. F. 372
<i>Peccatorum reliquia penitus auferenda</i>	P. 3. D. 11. F. 396
<i>Peccata deslenda pra omnibus aliis rebus</i>	P. 4. D. 17. F. 511
<i>Peccator infelix quando Deus retrahit manum</i>	P. 5. D. 3. F. 552
<i>Poenitentia &amp; conversionis dilatio</i>	P. 4. D. 11. F. 457
<i>Poenitentia non differenda</i>	P. 1. D. 13. F. 79 & 471
<i>Pena talionis exempla</i>	P. 2. D. 11. F. 281
<i>Peccatores benigne tractandi</i>	P. 2. D. 9. F. 171
<i>Peccatores obdurati</i>	Ibidem. F. 175
<i>Proposita bona statim exequenda</i>	P. 1. D. 13. F. 82
<i>Prosperitas hominem insolentem facit</i>	P. 5. D. 1. F. 531
<i>Providentia Dei</i>	P. 1. D. 15. F. 96
<i>Persecutiones Ecclesia</i>	P. 2. D. 2. F. 222
<i>Prudentia virtus</i>	P. 4. D. 4. F. 427
<i>Prudentia parentibus necessaria</i>	Ibidem.
<i>Pufflanimitas</i>	P. 4. D. 10. F. 465

## R

<b>R</b> <i>Religiosorum osiores &amp; persecutores</i>	P. 3. D. 10. F. 387
<i>Respectus humani in exercenda virtute</i>	P. 4. D. 10. F. 467

## S

<b>S</b> <i>Acerdotes honorandi</i>	P. 1. D. 16. F. 170
<i>Sancti viri saepe a bono deficiunt</i>	P. 1. D. 9. F. 268
<i>Scrupuli, &amp; scrupulose</i>	P. 3. D. 2. F. 334
<i>Idem</i>	P. 4. D. 10. F. 464
<i>Societatis mala damna</i>	P. 5. D. 2. F. 536
<i>Idem</i>	P. 1. D. 17. F. 175
<i>Superbia ejusque descriptio</i>	P. 5. D. 4. F. 297
<i>Sufurrones &amp; adulatora</i>	P. 1. D. 10. F. 58

## Index Materialium Moralium.

*Sorte sua nemo contentus*  
*Spiritus extinguere quid sit*

P.3. D.4. F.346  
P.4. D.5. F.434

### T

**T**emplorum reverentia  
Templorum ornatus non carpendus  
Tepiditas in cultu divino  
Timoris Dei efficacia  
Timor Dei initium sapientia  
Timor Sanctorum ne cadant  
Timor vanus de predestinatione  
Tribulationes in omni familia  
Tribulationum utilitas  
Tribulationes cruce Christi dulcescunt

P.1. D.6. F.145  
P.3. D.8. F.374  
P.4. D.9. F.458  
P.2. D.3. F.226  
P.3. D.7. F.364  
P.3. D.3. F.340  
Ibidem F.334  
P.2. D.17. F.319  
P.2. D.2  
P.3. D.3. F.343

### V

**V**anitas mundi  
Vanitas in ornatu sepulchrorum  
Viduarum pauperum causa non negligenda  
Vita nostra peregrinatio est  
Vita nostra brevitatis  
Vita nostra miseria  
Via cali  
Virtus persecutiones patitur  
Vita pars optima, non deterior Deo offerenda  
Virtutis via non est difficilis  
Vitia palliata prae-textu religionis  
Voluntati divinae conformatio  
Idem.  
Voluptatum insania  
Virtus unius Iusti quam potens.

P.4. D.14. F.494  
Ibidem.  
P.1. D.20. F.132  
P.1. D.25. F.161  
Ibidem. F.164  
Ibidem. F.166  
P.3. D.1. F.328  
P.2. D.9. F.265  
P.4. D.1. F.411  
P.4. D.10. F.468  
P.3. D.9. F.383  
P.3. D.5. F.354  
P.3. D.4.  
P.3. D.9. F.382  
P.3. D.10. F.385

F I N I S.

## FACULTAS.

**E**go *infrascriptus Societatis IESV per Flandro-Belgicam Provincialis,* potestate mihi ad hoc facta, ab *Adm. Reverendo Patre Nostro Thyso Gonzales Præposito Generali ejusdem Societatis IESV Michaeli Knobbaert Typographo Antverpiensi,* concedo *Facultatem, imprimendi Librum, qui inscribitur. Discursus Morales in selectiora loca Geneleos, Exodi, Levitici, Numerorum: compositum à P. Cornelio Hazart, ejusdem Societatis nostræ Sacerdote, & à Deputatis ejusdem Societatis Theologis examinatum, & approbatum. In quorum fidem has propria manu subscripsit, & consueto Officii nostri sigillo munitas dedi. Antverpiæ 11 Junii 1688.*

GUILIELMUS ARNHOUDTS.

## APPROBATIO.

**L**iber, cui titulus: *P. Cornelii Hazart, Societatis IESV, Discursus Morales in Historiam Patriarchæ Iosephi, nec non in Libros Exodi, &c. nihil fidei, nec bonis moribus contrarium continet. Ita prævio examine judico, Antverpiæ 5. Aug. 1687.*

ANTONIUS HOEFLACH,  
*Ecl. Cathed. Can. Grad. Libr. Censor.*

Idem judico Lovanii 13 Aug. 1687.

N. DUBOIS, *Sacrarum litt. primarius Prof.*  
*Libr. Censor. &c.*

Idem Censui.

P. DAMMAN S.T.L. *Apostolicus & Regius*

*Hac secunda Septembris 1687.*


*Librorum Censor.*

## SUMMA PRIVILEGII.

**C**AROLVS, Dei gratia Hispaniarum, Indiarumque, &c. Rex Catholicus, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantæ, &c. Serenissimus Belgarum Princeps, diplomate suo sanxit, nequis Opera R. P. Cornelii Hazart Societatis IESV Sacerdotis edita, præter voluntatem Michaëlis Knobbaert proximis novem annis ullo modo imprimat, aut alibi terrarum impressa in has nostræ Germaniæ Inferioris ditiones importet, venialiave habeat: qui secus faxit, confiscatione librorum & alia gravi pœna multabitur, uti latius patet in litteris datis Bruxellæ.


*Signat*


LOYENS,


















Th  
3098